BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio-Emanuele III
XVIII
G
36
NAPOLI

XVIII
8
36

EPITOME
MANUALIS
MISSIONARIORUM ORIENTALIUM
AB ADMODUM R. P.

F. CAROLO FRANCISCO
A BRENO

Strict. Obſervantiæ S. P. Franciſci Theol., Fideique Controverſiarum præ-Lectore Generali olim Compoſiti;

Nunc verò in compendium redacti, & in Quatuor Partes diviſi:

In quarum duabus prioribus Hæreſes omnes Orientalem Eccleſiam turpiter fædantes brevi, ſed clarâ methodo confutantur: In reliquis verò Caſus omnes morales Miſſionarios ipſos Apoſtolicos reſpicientes continentur.

OPUS

Studioſis omnibus valdè utile: At ipſiſmet Miſſionariis prorsùs neceſſarium.

PARS TERTIA
CONTINENS TRACTATUS

De Sacramentis in Genere } *moraliter conſideratis.*
De Sacramentis in Specie }

ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. MDCCXXXVI.
SUPERIORUM PERMISSU.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Mag. S. Palat. Apoſt.

N. Epiſc. Bojanen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Ord. Prædicat. Sac. Palat. Apoſtolici Magiſter.

EPITOME MANUALIS
MISSIONARIORUM ORIENTALIUM
PARS TERTIA.

PLura jam in duobus præcedentibus Tractatibus, Sexto nempe, & Septimo, de Sacramentis cum in Genere, tum in Specie tradidimus; polemicè tamen, & quaſi Scholaſticâ methodo. Quia verò Sacramentorum materies plures etiam involvit difficultates practicas, quæ paſſim in Sacris Miſſionibus contingunt; ideo non abs re erit iterum replicare Tractatus in hac tertia Parte Manualis Miſſionariorum de Sacramentis tam in Genere, quam in Specie; in Quibus, juxta ea, quę in Pręfatione ad Lectorem promiſimus, omnium dubiorum moralium, & ad Miſſionarios maximè ſpectantium reſolutio in materia Sacramentorum contineatur. Sit itaque

TRACTATUS IX.

Difficultates practicas Sacramenta in Genere reſpicientes complectens.

1. Dubia moralia, Sacramenta in Genere tangentia, atque Miſſionariorum miniſterium reſpicientia, numero parva ſunt; ideoque omnia in unico Capite, per plures Quæſtiunculas ſecato, comprehenduntur.

CAPUT UNICUM.

De Sacramentis in Genere moraliter conſideratis.

2. Recta Sacramentorum adminiſtratio Religioni Orthodoxæ inter Acatholicos introducendæ, vel introductæ conſervandæ ſummopere prodeſſe, nulli dubium eſt: ac proindè difficultates, quæ circa eadem inter Infideles ritè diſtribuenda Miſſionariis paſſim occurrere poſſunt, ſequentes Quæſtiones tradunt reſolutas.

QUÆSTIO I.

An Sacerdotes Captivi valeant Sacramenta concaptivis Fidelibus miniſtrare?

3. Reſp. Poſſe. Ducor autem: quia Sac. Cong. de Propag. Fide ad Octavum Patris Longobardi aſſerit, Sacramenta Captivis

vis à Regularibus hactenus collata ſuſtineri oportere; in poſterum Sedem Apoſtolicam eſſe conſulendam; quod quidem decrevit quoque Sacra Inquiſitio Romana 1630. ad Octavum: at Sedes Apoſtolica hucuſque numquam vetuit Regularibus, Captivos Sacramenta petentes ad eadem admittere; ergo licite admittunt.

4. Et revera Mendicantes, qui ſoli in Locis Captivorum degere ſolent, habent Privilegia ampliſſima miniſtrandi omnia Sacramenta neceſſaria, ubi non adſunt Parochi, ut Minoritis apud Saracenos, & Paganos degentibus à Gregorio IX., Innoc.IV., Nicolao V. conceſſum fuiſſe, habemus ex Bullar. Roder. apud ipſius Compen. Reſol.12.: Aliis verò à Leone X., Adriano VI., Paulo III. S. Pio V., refert idem Roder., & Alii confirmant, & ſupponit Sanchez Lib.3. de Matrim.cap.26., in quibus Indultis nulla Sacerdotum Regularium Simplicium ſit exceptio; ergo cum hujuſmodi Privilegia numquam fuerint revocata, Regulares & potuerunt, & poſſunt neceſſaria Sacramenta Captivis miniſtrare, ſicuti potuerunt quoque Presbyteri Captivi, & poſſent etiam nunc, cogente neceſſitate; ubi enim Lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, L.*de Pretio* ff. v. de public. in rem act.: maximè in Privilegio, quod extendi debet, quoties nulli ſit injuria.

5. Ratio quoque ſuffragatur. Nam perſeverat adhuc motivum, quo inducti ſunt Summi Pontifices ad hujuſmodi Indulta concedenda, ne ſcilicet, ob inopiam Miniſtrorum, Infideles converſi, vel Chriſtiani alii apud eos victitantes Sacramentis deſtituerentur; ergo durat adhuc Indultum, quod, cum nihil Paro-

 chis

chis deroget, non cenſetur neque à Tridentino ipſo revocatum.

6. Neque præſumendum eſt, Eccleſiam piiſſimam Matrem velle denegare Captivis, quod cæteris conceditur: videmus autem, abſente Parocho, vel nolente adeſſe, compellente verò neceſſitate, poſſe Sacramentum Euchariſtiæ, aut Extremæ Unctionis à Regularibus miniſtrari, ex Clem. de Priv. cap. I. Lat. V. ſeſs. II. Conſtit. 4. *Dum intra*. Idipſum fieri quoad Sacramentum Euchariſtiæ, abſente Parocho, docet Lugo de Sac. Euchar. Diſp. 18. Sec. 2. n. 53., & in articulo, aut periculo mortis, à quocumque, ſi legitimi deſint Miniſtri, etiam excommunicato Sacerdote poſſe Abſolutionem impendi, liquet Extra, de Pœnit. Cap. *Etſi Dominici*: & Sacerdotem reſervata habentem, nec abſque ſcandalo Sacrum omittere valentem, à Confeſſario non obtinente authoritatem ab iiſdem abſolvendi, adhuc licitè abſolvi, ſi deſit copia legitimi Superioris, tradit cum Aliis præfatus Lugo de Sacra. Euchariſt. Diſp. 14. Sec. 5.; ergo omnia Sacramenta, præter Ordinem, & Confirmationem, poſſunt Regulares Captivis conferre, etiam Matrimonium, cum non ſit veriſimile, velle denegari à Summo Pontifice Sacramentum Captivis, quod in remedium concupſcientiæ, præter alios fines, inſtitutum eſt.

7. Argumenta, quæ in oppoſitum poſſunt afferri, ex Dignitate Cleri Sæcularis deſumpta, ſolummodò probant, præſente Parocho, aut invito, non poſſe Regulares Sacramenta Captivis miniſtrare, non verò abſente, aut irrationabiliter invito. Quantum verò ad cæteros Clericos Sæculares ſimplices, ſi adeſſent, congruitas quidem quædam poſtularet, ut ipſi Regula-

gularibus in adminiſtratione Sacramentorum, præferrentur: at hæc non eſt tanti momenti, ut ſi Captivi ad Regulares potiùs accedant, quam ad ipſos, offenſionem ſumere deberent: nam quantum ad gradum Ordinis æquales ſunt: quoad cætera diſparitas non eſt ad eo magna, ut indecentiam notabilem inducat.

QUÆSTIO II.

An Sacramenta ſint iis adminiſtrandâ, qui ſummâ Myſteriorum Fidei ignorantiâ laborant?

8. Reſp. Homines hujuſmodi, ſi poſſunt inſtrui ſufficienter priuſquam Sacramenta recipiant, poſſe admitti: ſi verò inſtrui nequeant, minimè.

9. Prima Pars ſuadetur. Quia ſi poſſunt ſufficienter inſtrui, poſſunt quoque ſufficienter diſponi, ut actus eliciant neceſſarios Fidei, Spei, & Charitatis, atque Contritionis ſuorum peccatorum: quoties autem ſint diſpoſiti, ad Sacramenta poſſunt admitti; ergo ſi poſſunt inſtrui, præmiſſa inſtructione, & cæteris diſpoſitionibus, poſſunt admitti, quoties eos præteritæ ignorantiæ, ſi culpabilis fuerit, pœniteant, ac veram emendationem polliceantur. Minimèque ſe rigidos in hoc oſtendere Miſſionarii debent, ne homines rudes, ac parum Sacramentis aſſueti, intempeſtiva ſeveritate ab eorum ſuſceptione arceantur.

10. Quoniam verò Chriſtiani ſunt, & noverunt dari Deum, Chriſtum, Eccleſiam, alioquin ad Sacramenta minimè accederent, inſtruendi ſunt ſummatim de omnibus, quæ neceſſitate medii ſcitu ſunt neceſſaria, exiſtentia

nempè Dei, ut Remuneratoris ſupernaturalis, Trinitatis, & Incarnationis; explicando breviter, & ſuccinctè ipſorum myſteria. Deindè quæ neceſſaria ſunt neceſſitate Præcepti, nempè omnia, quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, Sacramenta, cum explicatione eorum, quæ ad dignè illa ſuſcipienda requiruntur. Inſuper Præceptis Fidei, Spei, & Charitatis, Decalogi, atque Eccleſiæ ſunt imbuendi. Sufficit tamen principaliora, & ſummatim eos docere, atque ab ipſis ſciri quoad ſubſtantiam, non quoad verba, nec nimium ſubtiliter, ſicuti tenentur Doctores, & Sacerdotes Fidelium Magiſtri, uti docet Doct. Subril. 3. Senten. Diſt. 25. Quæſt. 1., & ibidem ejuſdem Interpretes.

11. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam niſi Pœnitentes illi inſtruantur, aut inſtructionis ſint incapaces, aut illam reſpuant, laborant ignorantiâ reddente ineptos ad percipienda Sacramenta; ignorant quippè principaliora Fidei myſteria, Præcepta Decalogi, Orationem Dominicam, vel ea ita confusè ſciunt, ut ad interrogata nequeant reſpondere, quod eſt veriſſimum ignorare, uti notant Navar., Azor. Valen., & Alii.

12. Propterea Eccleſia nullum Adultum ad Baptiſmum admittit, niſi Symb. articulos, nedum credat, ſed calleat, Cap. *Symbolum*, Cap. *Licet*, de Conſec. Diſt. 4. Adeoque hęc Propoſitio juſtè ab Innoc. XI. proſcripta eſt: *Abſolutionis capax eſt Homo, quantumvis laboret ignorantiâ Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.*

13. Multò autem fortiùs id dici deberet, ſi igno-

ignorantia detegeretur à Confeſſario culpabilis; tunc enim ex alio capite Pœnitens Abſolutionis incapax videretur: ſicuti enim hactenus diſcere neglexit, ita poſt Abſolutionem præſumitur necturus. Quo caſu oporteret, Abſolutionem differre, donec addiſceret ea, quæ ſcitu ſunt neceſſaria.

14. Cæterum Apoſtolici Miſſionarii non ità facilè à Sacramentis Homines hujuſmodi rudes, & in medio Nationis pravæ degentes repellant, ſed potiùs eos benignè, quantum ad eorum ruſticitatem ſufficit, ut dignè recipiant, inſtruerè ſatagant, & ſic eos pedetentim ad pleniorem, & perfectiorem cognitionem adducant, ne Populi illi rudes rigore perterriti abſcedant, atque in Infidelitatem, qua undique ſunt circumdati, labantur.

15. Ea, quæ opponi poſſunt, probant, non poſſe quemquam, niſi inſtruatur, ad Sacramenta admitti, qui hujuſmodi Myſteriorum Fidei laborat ignorantiâ; vel eos, qui inſtructionis ſunt incapaces; vel quoties inſtructio fieri non poteſt, aut repellatur, aut nulla ſit ſpes probabilis futuræ emendationis: non verò quando inſtructio eſt poſſibilis: ſi verò repellantur, ob Miniſtrorum inopiam, non ita facilè ſunt reverſuri, & aliquo pacto ob Nationis ruſticitatem, atque cum Infidelibus commixtionem, ſunt excuſabiles.

QUÆSTIO III.

An dantes Filias Chriſtifidelium Infidelibus, aut Hæreticis in Matrimonium, poſſint ad Sacramenta admitti?

16. TRia hic diſcutienda ſunt. I. Utrum poſſint Parentes pro Filiis adhuc infantibus ſpondere tempore ſuo in Matrimonio collocandis? II. Utrum Filiæ Fidelium poſſint Turcis non Baptizatis nubere? III. An poſſint Turcis, Apoſtatis, Hæreticis, aut Schiſmaticis copulari? Ex quibus reſolutionibus conſtabit, an Chriſtiani hujuſmodi à Sacramentis repelli debeant?

17. Quantum ergo ad primum Dubium, Reſp. licere quidem Parentibus promittere Filias ſuas adhuc infantes: non valere tamen promiſſionem, niſi ætate congrua factæ conſciæ illam ratam habuerint.

18. Prima Pars patet ex Cap. *Fraternitas*, de Deſponſat. Impub. ubi Papa de Patre ita loquitur: ***Poteſt autem Filium nondum adultum, voluntas cujus diſcerni non poteſt, Pater, cui vult, Matrimonio tradere***; ergo poteſt Pater ſpondere Filios ſuos in Matrimonio collocare: ſicut enim alii contractus à Parentibus, & Tutoribus ſubſiſtunt pro Impuberibus eliciti, ita valent quoque promiſſiones de Matrimonio contrahendo.

19. Secunda quoque Pars ejuſdem Reſponſionis, requiri nimirum ratificationem Impuberum, cum ad legitimam ætatem pervenerint, habetur expreſsè Cap. *Si Infantes* de Deſponſat. Impub. in 6. ubi res hæc in terminis diffinitur; igitur, niſi tempore congruo hujuſ-

modi

modi promiſſiones ratificentur, non valent.

20. Ratio autem eſt, quia Matrimonium liberrimum eſſe debet, Cap. *Veniens*, de Sponſal.; ergo etiam Sponſalia, quæ ad Matrimonium diſponunt, Cap. *Cum locum*, eodem tit.: non eſſent autem, niſi cognita ratificentur, deeſt quippè contrahentium conſenſus; ergo hæc ratificatio neceſſariò requiritur.

21. Ob eamdem rationem ſciri debet à ratificante invaliditas Sponſalium à Parentibus tempore Infantiæ emiſſorum, niſi ratificentur, ex pluribus à Sanchez cumulatis, de Matr. Lib. 1. de Sponſal. Diſp. 16., ubi idipſum probat paritate ducta ex ratificatione Profeſſionis invalidæ, cujus invaliditas ſciri debet, ut ratificetur, & fiat valida, alioquin libere nequaquam ratificaretur, cum neſciretur invalida.

22. Ad ſecundum Dubium reſpondeo, Matrimonium cum Turcis non Baptizatis eſſe nedum illicitum, ſed invalidum.

23. Ratio primæ Partis eſt; quia Divina Scriptura vetat hujuſmodi conjugia inter Fideles, & Infideles, Deuter. 7. 3. Reg. 2., 2. Cor. 6. 14. Eccleſia quoque idipſum prohibet, ex Aurelian. II. cap. 19., ex Agathen. cap. 67., ex Avernen. cap. 6. relat. 2. Cap. *Non oportet*. Nec deeſt ratio. Tumquia Sacramentum eſſet imperfectum, eo quia perficeretur tantum ex parte Fidelis, non autem Infidelis, ut notat Doct. Subtil. 4. Diſt. 39. Quæſt. Unic., quod ſanè videtur incongruum. Tumquia Conjuges debent eſſe una Caro, ex Apoſt. ad Epheſ. 5. 31., quod utique difficillimum eſt cum cultus diſparitate conſiſtere. Tumquia deeſt bonum principale Conjugii, quod eſt indiſſolubilitas, cum Fidelis poſſit ab Infideli diſcedere, ſi abſque injuria Creatoris convivere nequaquam liceat; ergo

ergo hujuſmodi Conjugia cum Infidelibus non baptizatis vetita ſunt, ac proinde mala.

24. Secunda Pars evincitur. Nam Sacri Canones invalidant hujuſmodi Conjugium, ut conſtat ex ipſamet praxi, & ſenſu Eccleſiæ hujuſmodi Conjugia invalida cenſentis, & Legem irritantem inducentis: conſuetudo enim eſt altera Lex, ſi rationi nequaquam repugnet, Cap. *Conſuetudo*, & Cap. *Fruſtra*, Diſt. 1.; ergo illa Conjugia ſunt invalida, etſi, utpote humana, poſſit à Summo Pontifice diſpenſari, ex Silveſtro, Ugolino, Soto, Ledeſma à Sanchez citatis Lib. 1. de Matrim. cap. 16., nec diſſentit Bonac. de Imped. Matrim. Quæſt. 3. Punc. 7.

25. Dico III. Matrimonium cum Turcis Apoſtatis, Hæreticis, atque Schiſmaticis eſſe quidem vetitum, non tamen irritum.

26. Prima Pars patet. Tumquia Scriptura Divina omnem cum Hæreticis, & ſimilibus commercium vetat, ex Epiſt. ad Tit. 3. 10., & Joan. 1. 19. Tumquia Canones idipſum interdicunt, ex Synodo Laodic. cap. 31. Agath. cap. 67. Carthag. III. cap. 12. Elibert. cap. 16. Chalced. cap. 14. Tumqnia adeſt periculum magnum ſubverſionis; proles enim in vera Religione difficulter educati poteſt: pax, & tranquillitas Familiæ aut evertitur, aut difficillimè ſervatur, ut experientiâ ipsâ comprobatur; ergò &c.

27. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam neque Divinæ Scripturæ, neque Canones hujuſmodi Matrimonia irritant, ſed ſolummodo prohibent, & puniunt ſeparatione Thori, & cohabitationis, & aliis pœnis, Cap. *Ad abolendam*, Cap. Final. de Hæret. in 6. Hæretici enim capaces ſunt Sacramentorum; hinc eorum Ordinationes, & Baptiſmata in forma Eccleſiæ ſuſtinentur, quamvis ſacrilega 1. Quæſt. 1. Cap.

Quod

Quod quidem; ergo contractus Matrimonialis poſt hæreſim validus eſt, etſi illicitus, nec per hæreſim diſſolvitur, ex Triden. ſeſs. 24. de Matrim. cap. 5.

28. Ex his patet reſolutio propoſitæ difficultatis. Nam quoad Turcas non baptizatos adeſt impedimentum dirimens diſparitatis Cultus; adeoque nulla ſunt Sponſalia, ſicuti nullum eſt Matrimonium. Quoad cæteros verò datur ſeveriſsima Eccleſiæ prohibitio; adeoque ſicut peccant Parentes ſpondendo, ita peccant Filii, aut Filiæ contrahendo. Quocirca Sponſores à promiſſis recedere nolentes, quoniam in actuali peccandi voluntate verſantur, Sacramenta non merentur, ſicut non merentur Mulieres non Baptizatis nuptæ, nec tamen à concubinatu recedere volentes. Ita reſolvit Pignatel. Conſul. 144. Tom. 3.: ſi tamen vellent expectare, donec Apoſtolica Sedes conſulta, ſi velit, diſpenſare dignetur, parati tamen recedere, ſi diſpenſare nolit, poſſent admitti, utpote voluntate peccandi carentes. Quod quidem multò fortiùs de promittentibus Filias ſuas Schiſmaticis, aut Hæreticis dicendum eſt, cum hujuſmodi Conjugia ſint ſolummodò illicita, non invalida.

29. Id, quod contra primam Concluſionem opponitur, nihil evincit. Concedo enim promiſſionibus Parentum ſtandum eſſe, ſi honeſtæ ſint: at nego, valere niſi ratificentur, ad quam ratificationem tenentur quidem Filii, ſi nihil obſtet: at ſi nolint, compelli non poſſunt, & eorum Conjugia, Parentibus reſtagantibus, valida ſunt, ex Triden. ſeſs. 24. de refor. Matrim. cap. 1.

30. Argumentum contra ſecundam Concluſionem, quod nimirum nulla detur Lex Ma-

tri-

trimonia cum non Baptizatis irritans, optimè diluitur, dicendo, dari Legem Eccleſiaſticam uſu ipſo, & ſenſu Eccleſiæ conditam, atque firmatam, qua hujuſmodi Matrimonia irritantur, uti docet Bellar. Tom.3. Controver. Lib.1. de Matr. cap.23. In exordio verò Eccleſiæ permiſſa ſunt ob multitudinem Infidelium, & Fidelium paucitatem, & cum ſpe converſionis Conjugis Infidelis, ut plerumque contingebat.

31. Argumentum, quod contra tertiam Concluſionem adducitur, nempe Matrimonium Mulieris Catholicæ cum Schiſmaticis Apoſtatis, aut Hæreticis validum eſſe, & ſola prohibitione Eccleſiæ fieri illicitum; at hujuſmodi prohibitio tollitur ex graviſsimis incommodis, quæ ſubirentur, puellis negatis; non videtur quidquam evincere: nam etſi hujuſmodi Conjugia ſint valida, nihilominus non ob ſolam Eccleſiæ prohibitionem ſunt vetita, ſed ob alia motiva graviſsima, ut V. G. periculum proximum ſubverſionis, pravam prolis educationem, diſsidia familiæ, & alia hujuſmodi. Si autem talia incommoda non urgeant, aut ſuperanda ſperentur, utique concedo, hujuſmodi Conjugia poſſe tolerari, ſtante metu mali graviſsimi, quod imminere ſupponitur, ſi Conjugium diſſolvatur: attentè tamen cavendum eſt, ne mala ſingantur, & quærantur excuſationes in peccatis; exempla enim, quæ adduci poſſunt, oppoſitum evincunt, cum habeamus, Conſtantium ab Uxore Euſebia Ariana fuiſſe ſeductum: Valentinianum I., Conjuge Hæretica impellente, multa mala perpetraſſe, quod quidem veriſimilius eſt poſſe contingere, ſi Mulieres Catholicæ Viris Apoſtatis, aut Schiſmaticis, & Hæreticis Matrimonio copulentur.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Mulieres uxoratæ captæ ab Infidelibus, ac fugere renuentes cum periculo vitæ, ad Sacramenta admitti queant?

32. RESP. Mulieres nolentes recedere ob metum mortis, vel alterius graviſsimi incommodi à periculo proximo peccandi, ſi congruis remediis utentes, tentationi minimè ſuccumbant, non eſſe Sacramentis indignas; ſecus verò ſi ſemper, aut frequenter ſuccumbant.

33. Prima Pars, quam plures tenent, ut Henriquez, Navar. Cajetan., & Alii apud Layman. lib. 3. Theol. moral. Tract. 6. cap. 4., oſtenditur. Nam hujuſmodi Mulieres carent voluntate peccandi, atque ad peccatum affectu, cum tentationi reſiſtant, à qua minimè vincuntur, ipſiſque periculum, in quo verſantur, eſt involuntarium; ergo mulieres iſtæ ſunt capaces Sacramentorum, eo modo, quo in omnium ſententia Filiifamilias, vel alterius conditionis, quibus periculum peccandi involuntarium eſt, ſi tentationi reſiſtant, remedia adhibeant ad præcavendum, nec in eadem peccata relabantur, ſaltem eadem frequentiâ, nequaquam à Sacramentis excluduntur.

34. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam ſi loquamur de Sacramento Pœnitentiæ, utique non ſunt capaces, cum careant vero, ac firmo emendationis propoſito, quod quidem ex Triden. ſeſs. 14. Cap. 4. neceſſariò requiritur. Hinc ab Innoc. XI. damnatæ ſunt iſtæ duæ Propoſitiones: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione verſatur, quam poteſt, & non*

non vult dimittere, aut ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit; ergo ſi non licet manere in proxima occaſione peccandi ob hujuſmodi motiva, neque licitum erit, eadem ſtante, eiſdem Sacramenta miniſtrare.

35. Ex eadem radice ad Euchariſtiam admitti nequeunt, cum in actuali concubinatu permaneant. Nec metus mortis eas excuſat: nam ſi invitæ violarentur, nullum peccatum committunt; ſi verò nequaquam reluctando pollui patiuntur voluntariè, cum reluctari, quantum eis fas eſt, teneantur; ac proinde conſentiunt, & peccant: metus enim cadens in conſtantem Virum, etſi minuat, non tamen tollit voluntarium; adeoque nec peccatum, de His, quæ vi, ex metu, Cap. *Sacris*, & docet cum comm. Poncius noſt. Diſp.22. Quæſt. 3. Cur. Theol.: metus igitur excuſat à Legis tranſgreſſione, quando res præcepta non eſt intrinſecè mala, ex Bonac. Diſp. 2. de Peccat. Quæſt. 8. Punc.2., non verò quando intrinſecam continet pravitatem, uti docet S.Thom.2.2. Quæſt.110. Art. 5. ad 4.

36. Ad Argumentum, quod adduci poteſt: Mulieres nolentes recedere etiam cum periculo vitæ à Viris non ſuis eſſe in voluntario periculo peccandi; adeoque Sacramentorum incapaces: reſpondetur, non eſſe illas Fœminas in periculo voluntariè ſuſcepto, nec teneri ad illud fugiendum cum vitæ diſcrimine, quoties illud non ſit ſibi proxima occaſio peccandi: ſi autem revera fuerit tale, tunc debere etiam cum vitæ diſcrimine ſugere; alioquin cenſerentur in eo voluntarie permanere, atque conſentire in omnia peccata, quæ ex illo ſequerentur, ut optimè

timè Cardenas in Criſ. Theol. Propoſ. ab Innoc. XI. damnatarum.

QUÆSTIO V.

An liceat Catholicis Sacramenta percipere in Templo Hæreticorum, Patriarcha Schiſmatico id ſub pœnis præcipiente.

37. RESp. Non licere. Ducor. I. Quia communicatio in ſacris cum Hæreticis, & Schiſmaticis etiam toleratis, ſtante Edicto: eſt Hæreſis, aut Schiſmatis externa proteſtatio: hinc Paulus V. in Brevi dato ad Catholicos Anglos aſſerit, eos, ſtante Regis Edicto, Templa Hæreticorum adeuntes eſſe Legis Dei tranſgreſſores, etiamſi Hæretici illi non eſſent nominatim denunciati: at externa Schiſmatis, aut Hæreſis proteſtatio numquam eſt licita; ergo Schiſmatico Patriarcha pręcipiente per Edictum, illicitum eſt Catholicis adire Templa Schiſmaticorum, aut Hæreticorum.

38. II. Lex lata, tametſi in re indifferenti, in contemptum Eccleſiæ, nedum non obligat, ſed potiùs obligat ad non obediendum; qui enim obtemperaret, Eccleſiam ipſam contemnere videretur: at Lex Patriarchæ Schiſmatici, pœnis ſancitis, Catholicis ſecum in Sacris communicare præſcribens, eſt lata in contemptum Eccleſiæ, quaſi Ipſa non ſit illa Unica, extra quam non datur ſalus, quam Chriſtus fundavit, & Eccleſiæ Schiſmaticæ ſint veræ Dei Eccleſiæ, ſicut Orthodoxa; ergo nullo modo licet obtemperare Patriarchæ Schiſmatico per edictum præcipienti, ac pœnis ſtatutis.

39. Eo magis quia, quoniam Schiſmatici nolunt Præſuli Catholico parere, quem veluti

Anti-

Antichriſtum abominantur, ſi Catholici hujuſmodi Edicto parerent, Schiſmatici in ſua pertinacia magis firmarentur, ſibi ſuadentes, Schiſma, quo ab Eccleſia Catholica ſcinduntur, juſtum eſſe, cum Catholici, eo non obſtante, cum ipſis in Sacris communicant, & pluris faciunt mandatum Patriarchæ Schiſmatici, quam Eccleſiæ Orthodoxæ; ergo etiamſi aliundè liceret cum Schiſmaticis, & Hæreticis in Sacris communicare, uti plerique poſt Conſtantienſe Decretum probabile arbitrantur, non tamen admittendum eſt, Edicto Patriarchæ Schiſmatici, aut Hæretici promulgato.

40. Objicitur, Patriarcham Schiſmaticum præcipere rem bonam, dum perceptionem Sacramentorum in Eccleſia Matrice imperat: Concilium Conſtantienſe permittere communicationem cum Hæreticis, & Schiſmaticis toleratis, qualis eſt Patriarcha: Lex Eccleſiaſtica, qualis eſt iſta de non communicando cum Schiſmaticis, utpote purè humana, non obligat cum magno adeo incommodo, quod incurreretur, nolendo communicare: nec adeſt ſcandalum ullum, cum omnes noverint, Catholicos id facere Patriarchæ imperio cogente, non ex propria voluntate.

41. Reſp. Patriarcham præcipere rem malam non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco: quamvis enim malum non ſit percipere Sacramenta, & orare, id tamen facere in Templo Hæreticorum, aut Schiſmaticorum, & quidem jubente Patriarcha Schiſmatico, malum eſt; eſt quippe Schiſmatis proteſtatio: incertum eſt, an Conſtantienſe Schiſmaticos, aut Hæreticos in ſuo Indulto comprehendat; at licet comprehenderet, non tamen cogente Patriarcha, ſed quoties cogit neceſſitas Fidelium, & Hæretici non

rogan-

rogantes, ſed rogati Sacramenta miniſtrent. Lex de non communicando cum Hæreticis, & Schiſmaticis in Sacris, non eſt purè Eccleſiaſtica, ſed Naturalis, & Divina: cæterum, etſi purè Eccleſiaſtica eſſet, quoniam ejus violatio in Eccleſiæ contemptum redundat, adhuc violari non poteſt abſque peccato: ſcandalum quoque adeſt, dum pluris fiunt mandata Schiſmatici Præſulis, quam Summi Pontificis, & ſuſpicio ingeritur, Schiſmati manum præberi.

QUÆSTIO VI.

An Mulier Chriſtiana Uxor Apoſtatæ jam defuncti, nolens alere Filios in Fide Catholica metu tormentorum, ad Sacramenta poſſit admitti?

42. RESp. Non poſſe. Ratio eſt: nam nolens, quantum in ipſa eſt, Filios Fidei Catholicæ præceptis imbui, verſatur in actuali propoſito peccandi, imo in ipſo peccato; ergo Sacramentis eſt indigna. Conſeq. patet. An. autem eſt certum. Nam Jure Naturali, Divino, & Eccleſiaſtico tenentur Parentes educare Filios in vera Religione, ut eos tenentur nutrire alimento carnali, L. *ſi quis à liberis*, ff. *de liberis agnoſcendis*; adeoque curare quoque ut alantur cibo ſpirituali, qualis eſt inſtructio in rebus Fidei, ſine qua ſalus æterna numquam obtinetur, & tenent communiter Doctores congeſti apud Laym. lib. 5. Theol. Moral. Tract. 10. Par. 3. Cap. 5., & Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 11. Quæſt. 5. art. 2.

43. Accedit Præceptum Charitatis, quo tenentur diligere Proximum, & eo magis diligere, quo magis proximus eſt; igitur Filii, qui

qui ſunt ſummè proximi, ſummè quoque ſunt diligendi: non diligerentur autem ſi eorum inſtructio negligeretur in rebus Religionis: iis ſiquidem non eſſent volita verą bona, nempe Beatitudo æterna, quæ ſine fide haberi nequit, & hæc ſine inſtructione aquiri non poteſt, cum Fides ſit ex auditu, ad Rom. 11.

44. Neque metus incommodorum excuſat: nam Filiis debent Parentes velle illa bona, quæ ſibi velle tenentur, ex ordinata Charitate; cenſentur quippe una cum ipſis Perſona; L. final. L. de impuber.: ſed ipſi, quocumque incommodo non obſtante, ſi neſcirent Fidei myſteria, ipſa addiſcere deberent; ergo tenentur quoque curare, ut à Filiis addiſcantur; ergo nolentes curare à Filiis addiſci, Sacramentis indignæ ſunt.

45. Idem crimen incurrunt Filiorum Tutores, & curam gerentes; Parentibus quippe in hoc onere ſuccedunt, L. 2. C. *ſi Tutor*, ff. de adminiſ. Tutor.; & docet Bonac. de Contract. Diſp. 3. Quæſt. 19, Punc. 4.; ergo ſicuti Parentes negligentes eos inſtruere mediatè, vel immediatè, nec reſipiſcere volentes, Sacramentis eſſent indigni: ita ipſi renuentes, à Sacramentis arcendi ſunt, utpotè in actuali verſantes voluntate peccandi.

46. Obji. in oppoſitum, Parentes, & Tutores ad Sacramenta non ſunt indiſpoſiti ex hoc, quod negligant Filios erudire, aut reducere errantes. Tumquia Fides eſt liberrima; ergo Filii debent relinqui in ſua libertate, ut ſequantur Religionem, quam velint. Tumquia adeſt conſuetudo permittendi Apoſtatarum Filios amplecti Sectam, quæ ipſis placuerit, videntibus, & ſcientibus Prælatis. Tumquia nemo cum diſcrimine vitæ tenetur Proximo ſubvenire gra-

vi

vi tantum neceſſitate laboranti: Filii autem gravi tantum laborant neceſſitate inſtructionis Myſteriorum Fidei, cum Pueri à Parochis, & Miſſionariis inſtrui poſſint: ſi autem Adulti ſint, ex ſemetipſis inſtructionem valent ſibi comparare, quin à Parentibus cura impendatur.

47. Reſp. neg. ant.: ad primum, quod in probationem adducitur, dico, Fidem eſſe quidem liberrimam, quatenus à voluntate credentis pendet, ut ſuſcipiatur, vel non ſuſcipiatur, non verò quod inſtructione, ſuaſione, atque hortatione non poſſit induci; in Baptizatis verò etiam præceptis, ac pœnis reaſſumi, ejuſque Leges obſervari, ex Triden. ſeſs. 7. Can. 7. 8. & 9. Secundum de conſuetudine nihil officit, cum ſit peſſima, Legique Dei adverſa, Cap. *Cum tanto*, de conſuet., & propterea præſcriptionem non infert, de Præſcrip. Cap. *Diligenti*. Tertium denique ad rem non facit: verum quippe eſt, non teneri nos cum periculo vitæ ſubvenire Proximo gravi tantum neceſſitate laboranti: at hic loquimur de neceſſitate ſpirituali, & de his, qui ex officio Filiorum curam gerunt; hi enim etiam in gravi ſolummodò ſpirituali neceſſitate laboranti tenentur ſubvenire, etiam cum vitæ diſcrimine, cujuſmodi ſunt Paſtores, & Parentes, ex Poncio noſt. Cur. Theol. Diſp. 32. Quæſt. 3. Concluſ. 9.

48. Nullam igitur habent excuſationem Matres, & Propinqui Filiorum, quos ex Apoſtatis habuerunt, quin ſatagant, eos Myſteriis Fidei mediatè, vel immediatè inſtruere, quod ſi nolint hoc præſtare, Sacramentis indigni ſunt, utpote in actuali voluntate peccandi exiſtentes, imò actualiter peccantes.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An Sacramentis dignæ ſint Chriſtianæ Mulieres Apoſtatis nuptæ, à quibus ob metum gravem renuunt ſeparari?

49. Reſp. Si nullus adſit Religionis contemptus, Dei injuria, aut periculum perverſionis, Uxores recuſantes à Viris Apoſtatis ob gravia incommoda, quæ imminent, ſeparari, eſſe capaces Sacramentorum: ſecùs, minimè.

50. Prima Pars patet. Nam, ablatis contemptu Religionis, Dei contumelia, aut periculo perverſionis, remanet ſola Lex Eccleſiaſtica cohabitationem, thorique conjunctionem cum Hæreticis, aut Schiſmaticis interdicens: at iſta minimè obſtringit, ſtante metu cadente in conſtantem Virum, niſi mala, quæ timentur in ſpretum Legis Eccleſiaſticæ, ſint infligenda, ex Ponc. noſt. Diſp. 25. Curſ. Theol. Quæſt. 7., ubi teſtatur de communi; ergò Mulieres non tenentur à Viro Apoſtata recedere; adeoque nec Sacramentis ſunt indignæ.

51. Secunda Pars eſt perſpicua. Nam tenemur ſub pœna peccati recedere ab omni eo, quod Dei injuriam, Religionis contemptum, & periculum ſubverſionis inducit: hinc Math. 18. dicitur: *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te*: perverſionis autem periculum 3. Reg. 11. pro ratione adducitur, ut Fideles Ethnicorum connubia vitare debeant, & Sacri Canones propterea ſeparationem Conjugis Fidelis ab Infideli præſcripſerunt, Cap. 2. de Divor.; ergo ſtante Dei contumelia, aut perverſionis periculo,

culo, tenentur mulieres illæ à Maritis apoſtatis recedere; renuentes autem à Sacramentis ſunt repellendæ, uti cum communi ſentit Sanchez Lib. 10. de Divor. Diſp. 15.

52. Opponitur contra primam Partem. Connubia cum Infidelibus vetita ſunt Chriſtianis; ergo etiam permanere in illis. Nec metus excuſat, cum hujuſmodi permanentia Legi Dei adverſetur. Tumquia hujuſmodi Mulieres ſunt in proximo periculo peccandi; ergo, niſi recedant ab ipſo, Sacramentis ſunt indignæ. Hæc tamen non cogunt. Non quidem Primum: quamvis ſint Fidelibus cum Infidelibus vetita Connubia, non tamen eſt vetitum in illis permanere abſque injuria Creatoris, & periculo ſubverſionis, imò cum ipſo vivere debent, Cap. *Quanto*, Cap. *Gaudemus*, de Divor. Maximè quia hujuſmodi Apoſtatæ ſunt baptizati, etſi Fidem Orthodoxam rejecerint. Neque ſecundum urget. Nam quamvis periculum peccati vitari debeat, quoties tamen peccatum non ſequitur, nec ſponte in periculo perſeveratur, ſed gravi cogente neceſſitate, nulla committitur noxa lethalis; non enim periculum ab ipſis amatur, & propterea nec pereunt in illo. Et profectò Mulieres Catholicæ in Primitiva Eccleſia Gentilibus, & Hæreticis nupſerunt, quin ullo pacto in Fide Orthodoxa periclitarentur.

QUÆSTIO VIII.

An clandeſtinè Uxorati nolentes ſeparari, Sacramentorum ſint capaces?

53. RESp. Ubi non eſt Tridentinum promulgatum, vel ſaltem hoc ignoretur, nolentes ſeparari non eſſe indignos Sa-

cramentis. Nam in tali caſu Conjugium validum eſt, uti antea ſubſiſtebat; Lex enim non obligat, niſi ut ſufficienter promulgata, de Conſtit. in 6. Cap. *Animarum*: & ipſummet Triden. declarat ſeſs. 24. Cap. 1., de Refor. Cap. 5.: ſi verò ſit publicatum; tunc, quoniam Matrimonium eſt invalidum, ipſi verſantur in actuali concubinatu; adeoque, niſi Eccleſiæ obtemperare velint, publicè ad normam Concilii contrahendo, à Sacramentis ſunt repellendi, veluti in actuali peccato, ac propoſito peccandi de cætero verſantes.

54. Imò, etſi Matrimonium illud in ſe ſit validum, nolentes tamen Eccleſiæ obtemperare, publicitatem Matrimonii juxta normam Tridentini præcipienti, niſi graviſſima obſtarent motiva, adhuc videntur à Sacramentis arcendi, non veluti Concubinarii, ſed veluti Eccleſiæ inobedientes, quæ ſemper ad honeſtatem Parochi præſentiam requiſivit, Arelat. III. Cap. ult. Lateran. IV. Cap. 51. Nicolaus I. ad Conſul. Bulgar. Cap. 3.

55. Dixi autem: *Vel ſaltem hoc ignoretur*; niſi enim de promulgatione conſtet, etſi Conjugium in eſſe materiali ſit invalidum, ut optime Sanchez Tom. 1. de Matrim. Diſp. 17., in eſſe tamen formali validiſſimum eſt; adeoque, tametſi Miſſionario privata tantum ſcientia promulgatio Tridentini nota ſit, ſi probare non poſſit, Conjugibus illis Sacramenta denegare non poteſt, veluti Concubinariis, ſi ob gravia motiva nolint ſeparari, atque in facie Eccleſiæ conjungi.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An Puellæ Parentum tantummodò voluntate nuptæ, Virum relinquentes, ad ipſum verò redire renuentes, Sacramentis ſint dignæ?

56. PRiuſquam reſolvatur Quæſtio, notandum eſt, non verſari hic difficultatem de Puellis, quę Turcis non baptizatis nubunt; neque de illis, quæ Schiſmaticis, Apoſtatis, aut Hæreticis nuptæ, ab iis, ob contumeliam Creatoris, aut periculum ſubverſionis fugiunt; ſed de illis, quæ Catholicis, aut Hæreticis, aut Schiſmaticis copulatæ, non motivo Religionis, aut Conſcientiæ, ſed ob alias rationes recedunt, & nolunt reverti. His præmiſſis,

57. *Reſp.* Tales Conjuges à Viris recedentes, nec reverti volentes, Sacramentorum eſſe incapaces.

58. Ducor autem: Quia tale Matrimonium eſt validum; ergò ſicuti extra caſum contumeliæ Creatoris, aut periculum ſubverſionis recedere nullo modo poterant, ſaltem authoritate propria, Cap. *Sæculares* 23. Quæſt. 2. Cap. *Multorum* 25. Quæſt. 6. Cap. *Porro*, de Divor.; ita nolentes redire, cum in actuali ſint peccandi voluntate, ad Sacramenta admitti non poſſunt. An. autem patet: adeſt quippe conſenſus exteriùs expreſſus, non quidem verbis, ſed facto: Matrimonio enim pręfatæ Puellæ à Parentibus contrahentibus celebrato minimè contradixerunt: acceſſerunt quoque die nuptiarum, nemine compellente, & abſque ulla contradictione, Mariti domicilium adierunt, & cætera præſtiterunt, quæ ex uſu Pa-

triæ Matrimonium indicant, & conſequuntur; ergo, etiamſi nullum verbum ex parte Puellarum intervenerit, adhuc validum eſt, cum puta ſigna externa, abſque verbis, ad validitatem Matrimonii ſufficere, doceant. S. Thom. 4. Diſt. 27. Quæſt. 1. Art. 2., Doct. Subtil. 4. Diſt. 24. Quæſt. 2. cum ſuis reſpectivè Diſcipulis: Contractus quippe non minus ſignis, quam verbis exprimitur, Cap. Fin. de Conjug. Ser. Cap. *Fere Matrem*, de Sponſ.

59. Nec officit timor reverentialis. Nam ſi purus ſit, abſque mixtione minarum, vel alterius incommodi, non invalidat Matrimonium, ſicut nec religioſam Profeſſionem, ut tenuit Rota in una Pul. Matrimonii, apud Dian. in fine Par. 11.: ſi verò adſit metus graviorum malorum, adhuc hujuſmodi Conjugia ratificata per ſubſequentem copulam, & diuturnam maritalem cohabitationem, valida cenſentur, Cap. *Si qui fidem*, de Sponſal.; non quia copula id præcisè efficiat, ſed quia vel præſupponit, vel indicat conſenſum ratificativum prioris metu exorti, ut optimè Branc. noſt. Diſp. 19. de Matrim. art. 4., & cum eo Aver. Hurtad. & Alii.

60. Copulam verò illam, atque cohabitationem diuturnam ex affectu maritali prodiiſſe, patet. Nam ſi ex metu conſummaſſent, ſtatim capta occaſione fugam arripuiſſent, non verò poſt longum tempus: ſignum eſt ergo, eas fugiſſe, non ob metum incuſſum, ſed ob alia motiva, affectuque verè maritali Viris ſuis fuiſſe permixtas; adeoque Matrimonium validum fuiſſe.

61. Si tamen reipſa internum conſenſum non præſtiterunt, utique Matrimonium invalidum eſt: at non facile eis credendum; nec ſi

verum

verum dicerent, eàs juvaret! Eccleſia enim præſumptione vehementi mota adverſus eas ageret, nec alter Conjux ei credere tenetur, quamvis enim fictè promiſerit, ſtare tamen debet promiſſis. Quocirca Mulieres iſtæ ad reditum ſunt compellendæ, vel ſi renuant, Sacramentis arcendæ. Quod quidem de Viris etiam dicendum eſt, ab Uxoribus ſuis ob eadem motiva diſcedentibus.

62. Opponitur adverſus hæc, quod aut defuit conſenſus hujuſmodi Mulierum in Matrimonium, aut fuit coactus: utroque autem caſu irritum fieri Matrimonium; ergo ſicut non fuerunt vero conjugio copulatæ, ita poſſunt ab eo licitè recedere.

63. Nec juvat maritale commercium, aut diuturna cohabitatio. Nam defuit conſenſus in principio; ergo defuit etiam in decurſu, & conſequenter non validatur Matrimonium ex copula ſequenti. Nam *non validatur tractu temporis, quod ab initio de jure non ſubſiſtit*, de regul.Juris in 6.: ſicuti nec validatur Profeſſio religioſa ex hoc quod Novitius perſeveret diù in Religione, ſi motivum reluctandi adhuc perſiſtat.

64. Reſp. conſenſum in pluribus adfuiſſe, quo ſponte, nullo metu incuſſo, Matrimonio conſenſerunt, & à Viris recedunt, non quia coactæ ad Matrimonium, ſed quia Mariti deformes, aut pauperes, aut viles effecti ſunt: aut ſi coactæ metu in conſtantem Virum cadente Matrimonio conſenſerunt, non tamen coactè copulam, & diuturnam cum Viris cohabitationem habuerunt: copula enim numquam dici poteſt coacta, cum numquam ob ullum metum liceat fornicari; adeoque cum præſumptio veri Matrimonii adverſus eas militet, ſi

reverti nolunt, Sacramentis indignæ ſunt, eo pacto, quo à Sacramentis repelleretur Religioſus, qui aut ſponte religioſam Profeſſionem emiſiſſet, aut, ceſſante metu, adhuc diù in Religione perſeveraſſet, ab ea autem profugus reverti ſub hoc prætextu renueret.

QUÆSTIO X.

An poſſint ad Sacramenta admitti, qui ob ſumptus ſuperfluos nequeunt Parochis promiſſam ſtipem exhibere?

65. RESP. breviter. Si pecunia illa dari ſoleat per modum ſimplicis eleemoſynæ, ex pura liberalitate, poſſe admitti ad Sacramenta, qui eam dare renuerent; secùs verò ſi tenerentur ex vi Legati, aut ratione proventus Parochis debiti.

66. Prima Pars eſt perſpicua. Nam qui dat ex pura, & ſimplici eleemoſyna, dat ſub conſilio: at qui dat ſub conſilio, omittens dare, minimè peccat, alioquin daret ſub præcepto, non ſub conſilio; ergo non tenetur dare illam eleemoſynam; adeoque nec omittere convivia, ſi utrumque non poſſit.

67. Secunda Pars patet. Nam Legata Defunctorum ex Juſtitia ſunt omninò ſolvenda; & hoc adeò verum eſt, ut propriis Hæredis præferri debeant, ex Lugo de Juſt. & Jur. Diſp. 20. ſec. 5. n. 95. Hæredes enim ſicuti ſuccedunt in bonis Defuncti, etiam oneribus ſuccumbere debent, juxta Reg. Juris in 6. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.*

68. Idipſum dicendum eſt, ſi pecunia illa ratione proventus Eccleſiaſtici debita ſit: *Qui enim Altari deſervit, de Altari vivere debet*,

Cap.

Cap. Apoſtolicis 16. Quæſt. 1. : & ſicut Deo in argumentum ſupremi Dominii debentur decimæ, ac primitiæ rerum omnium, ita Miniſtris Dei debentur proventus ipſis æquivalentes, uti diſcurrit Suarez Tom. 1. de Relig. Trac. 2. Cap. 16., Leſſ. de Juſt. & Jur. Lib. 2. Cap. 39. Dub. 5.; ergo libræ decem Sacerdotibus ſolvendæ ſunt, vel omittenda convivia: renuentes autem, ſi utrumque non poſſint, ſolvere Sacerdotibus, à Sacramentis arcendi. In dubio ſtandum pro Defunctis: cauſæ enim piæ privilegiatæ ſunt, ex Fagnan. in Cap. *Cum eſſes*, de Teſtam.

69. Conſuetudo, quæ opponi poteſt contra primam Partem, nihil evincit: Legem enim facit ſolummodò, quando animo ſe obligandi inducitur, non verò alio pacto, uti docent Sotus, Sayrus, & Alii apud Bonac. de Leg. Diſp. 1. Quæſt. 2. Punc. ult.

QUÆSTIO XI.

An Militibus à direptione adversùs Turcas, Principe ſuo Catholico invito, exercita abſtinere nolentibus dare Sacramenta poſſint?

70. RESP. regulariter loquendo, hujuſmodi Milites, ab excurſionibus abſtinere nolentes, Sacramentis eſſe indignos.

71. Ducor. Quia hujuſmodi Milites in actuali peccandi affectu permanent; ergo ipſo durante ad Sacramenta, veluti indiſpoſiti, admitti non poſſunt. Conſeq. patet; An. autem oſtenditur. Nam manent in voluntate Turcas occidendi, eorum bona rapiendi, captivos adducendi; hæc autem, ſtante tregua, vel pace, niſi fiant ad propriam propulſandam injuriam, illi-

licita ſunt, ex Navar. Lib. 4. Cap. 1. Azor. Inſtit. Moral. Part. 3. Lib. 2. Cap. 7. Quæſt. 15., & Aliis: cum Fides etiam Infidelibus, & Hæreticis ſit ſervanda, 23. Quæſt. 1. Cap. *Noli*; ergo permanentes in hac voluntate Sacramentis recipiendis inepti ſunt. Tumquia bona privata Turcarum ad ipſorum dominium privatum pertinent, à Majoribus accepta, aut labore aquiſita, vel hoſtibus non Chriſtianis ablata; ergo injuſtè à Militibus privatis rapiuntur, abſque publicæ authoritate Poteſtatis, ſtante fœdere pacis, ac treguæ.

72. Nec recurrere licet ad interpretativam Principis Supremi voluntatem: hæc enim deeſt, cum videamus, hujuſmodi irruptiones Supremis Principibus diſplicere, atque à Ducibus ſeveriſſimè mulctari, Turcarum quippè iracundiam imprudenter provocant, atque ad damna longè majora inferenda impellunt; ergo propria authoritate, invitis Superioribus, agunt, & proinde illicitè; adeoque deſiſtere nolentes, à Sacramentis, veluti indiſpoſiti, arcendi ſunt.

73. Opponunt I. Turcas treguam violare excurrendo; ergo Chriſtiani non peccant talionem rapinis reſtituendo. II. Duces ſtipendia Militibus minimè perſolvunt; ergo, ne fame pereant, poſſunt rapinâ ab Infidelibus ſubſidium neceſſarium extorquere. III. Ea, quæ rapiuntur, erant in poſſeſſione Fidelium; ergo ipſa in eamdem poſſeſſionem poſſunt vindicari, cum res clamet pro Domino ſuo, & Bellum adverſus invaſores injuſtos, quales ſunt Turcæ, ſemper juſtum eſt, & pro rebus illis rapiendis, vitæ diſcrimini ſe exponunt.

74. Reſp. Primum ſolummodò probare, ſi à Principe adverſario, vel de ejus tacita facultate fides frangatur, poſſe de mandato Princi-

pis

pis invaſi, vel ejus tacita facultate fieri excurſiones ad injuriam vindicandam, aut propulſandam, non tamen à Militibus privatis, & privata authoritate agentibus; ſicuti enim non ipſi, ſed Princeps inducias facit, ita non ad ipſos, ſed ad Principem ſpectat eas frangere. Secundum evincit ſolummodo, extrema neceſſitate laborantes, non autem gravi tantùm, ex Propoſ. damnat. ab Innoc. XI., poſſe Turcis, & Chriſtianis bona rapere, quantum ſufficit ad neceſſitatem illam tollendam: quo caſu, Ducibus ſtipendium minimè tribuentibus, damnum illatum ab ipſis reparandum; vel niſi ipſi reficiant, à Principe ipſo. Tertium malam infert Conſequentiam. Nam etſi admittatur, bona illa injuſtè fuiſſe retenta, non tamen ſequitur, poſſe licitè à Militibus rapi, cum non ſint bona Turcarum, ſed aliorum Chriſtianorum. Regnum verò etſi in communi ſit uſurpatum, bona tamen particularium poſſunt eſſe legitimè poſſeſſa: nec pertinet ad Milites privatos illa recuperare, ſed ad Supremum Principem, qui fœdus cum Turcis ſtatuens, dominium quoque rerum, quæ poſſident, videtur tranſtuliſſe. Quantum vero ad pericula, quæ rapiendo Milites ſubeunt, nullam mercedem merentur, cum illa incurrant, aut invito, aut nequaquam mandante Principe, vel Duce; quocirca niſi deſiſtere ab incurſionibus ſint parati, à Sacramentis, utpote indiſpoſiti, ſunt repellendi.

QUÆSTIO XII.

An Sacramenta ſint tribuenda Militibus Duellum ab Infidelibus oblatum acceptantibus?

75. RESp. Permittente Duce, poſſe: secùs, minimè.

76. Prima Pars patet. Nam Duellum, Duce permittente, Miles acceptans à Turca oblatum, juſtâ causâ movetur, nempe ad Populi Chriſtiani defenſionem, & Exercitum Fidelium ab ignominiæ timiditatis nota abſtergendum, uti feciſſe David, habemus 1. Reg. 17. ergo poteſt in tali caſu Duellum acceptare, uti ſentiunt Navar. in Manual. Cap. 15. n. 27. Valen. Tom. 3. Part. 1. Cap. 1. Sanch. Lib. 2. Moral. Cap. 39. & Alii; adeoque ad Sacramenta poſſunt admitti.

77. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Tumquia privata authoritate Duellum acceptare vetitum eſt, Cap. 1. de Torneamen., ubi ſtatuitur, in iis morientes Eccleſiaſtica privari ſepultura. Tumquia non ad Milites, ſed ad Duces ſpectat de cauſa, & motivo Belli diſponere; ergo qui privata authoritate Duellum ſuſcipit, in Legem delinquit. Tumquia Duellum acceptans à Turcis oblatum, abſque Ducis facultate, graviter delinquit, & in ea prava voluntate perſiſtens Sacramentis eſt indignus, & incurrit pœnas in Conſtit. Apoſtol. taxatas, uti eas incurrit Princeps Duellum permittens, niſi juſta adſint motiva, ex Sanchez Lib. 2. Oper. Moral. Cap. 3. & 9. apud Barboſ. in collec. Doct. ſuper Triden. ſeſs. 25. Cap. 6.

78. Argumentum in oppoſitum ex Conſtitutio-

tutionibus Apoſtolicis, Gregor. XIII. *Ad tollendam*. Clem. VIII. *Illius vices*. Triden. ſeſs. 25. Cap. 19. & Cap. *Monomachiam*, Quæſt. 5. & Cap. *Significantibus*, de Purgat. Vulgar. deductum, evincit ſolummodò in caſu, quo Duellum ſponte, & abſque Ducis licentia, citraque cauſam legitimam acceptatur; non verò quando adeſt juſtum motivum, ac Duces permittunt: quare Propoſitio illa, qua dicebatur: *Vir equeſtris ad Duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*; juremeritò ab Alex. VII. confixa eſt.

QUÆSTIO XIII.

An Sacramenta interdum poſſint ex cauſa urgenti ſimulatè adminiſtrari?

79. RESp. Non poſſe. Habemus hoc deciſum ab Innoc. XI. hanc, nempe 29. inter 65. Propoſitionem proſcribente: *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*.

80. Ratio eſt apertiſſima. Nam nullus metus, aut quæcumque alia cauſa extrinſeca excuſat à peccato, quotieſcumque res vetita eſt intrinſecè mala, ut patet ex ſe, rectèque advertit Ilsünq. Trac. 4. Theol. Prac. Diſp. 1. art. 2. §. 3. Simulatio autem adminiſtrationis Sacramentorum eſt ab intrinſeco mala: magna quippe fit Sacramentis injuria, dum ad alium finem adhibentur ab eo, ob quem fuerunt à Christo inſtituta, nimiùmque Deus illuditur, rem Divinam fraudolenter tractando, quod ſanè magnum crimen eſt. Cap. *de Homine*, de Celebrat. Miſs.

81. Magnum quoque Suſcipientibus damnum infertur, eo quia putant ſe Sacramentum recepiſſe, cum revera minimè acceperint: ita qui ſe putant abſolutos, non ampliùs de Confeſsione cogitant, & Epiſcopus, aut Sacerdos Ordinem ſe ritè recepiſſe exiſtimans, in falſa Abſolutione, aut Ordinatione conquieſcit; ergo, cum hujuſmodi ſimulatio Religioni, Charitati, Veracitati, ac Juſtitiæ adverſetur, dicendum, eam numquam licere. Hinc Innoc. III. Cap. cit. *De Homine*, aſſerit, graviùs peccare, qui ſimulatè, quam qui irreverenter conficit Sacramentum: nam iſte Deum ſolum, ille Deum, & Populum offendit.

82. Neque excuſatur Sacerdos ſimulans, ſi non decipere intendat, ſed permittat ſolummodò aliorum deceptionem: hoc enim, etſi fortaſſe in aliis actionibus tolerabile ſit, non tamen quoties in Dei contemptum, & perniciem Fidelium redundat; hinc in nullo caſu licitum eſt falſam ſimulare Religionem, aut jurare exteriùs animo non jurandi; ergo neque licitum eſt Sacramentorum adminiſtrationem ſimulare.

83. Obji. Matrimonium poſſe ſimulari, ex Sanchez, Henquirez, Coninch, & Aliis apud Carden. Curſ. Theol. Diſſert. 20. cap. 7. quos ipſemet ſequitur. II. Qui ſimulat, nullam injuriam infert Sacramento, cum illud non efficiat. III. Minus malum eſt ſimulare Sacramentum, quam illud indigno conferre, & exponere prophanationi, ſi utrumque vitari nequeat; ergo hæc ſimulatio eſt licita.

84. Reſp. Matrimonium ex metu gravi contractum, non eſſe verum Matrimonium, conſtans ex contractu libero tamquam materia neceſſaria, qua deficiente, cum deſit verus Contractus, ceſſat Matrimonium eſſe; adeoque ex-

teriùs

teriùs poteſt ſimulari, cum verum Sacramentum non ſimuletur: qui verò Baptiſmum ſimulat, verum ſimulat Sacramentum, cui nihil deeſt, præter intentionem Miniſtri. Secundum ob eamdem rationem ruit; idcircò enim ſimulatio hujuſmodi peccatum eſt, quia ponitur omne id, quod Sacramentum conſtituit, quod tamen nullum fit, defectu intentionis. Tertium diluitur, dicendo, ſi utrumque omninò ſit inevitabile, potius indigno Sacramentum præbendum, quam ſimulandum: attamen utrumque vitari poteſt. Nam ſi ad lupos, & pravum odorem arcendum, compellantur metu mortis Miſſionarii ad Baptiſmum conferendum, aut Abſolutionem præbendam Sacramentalem, poſſet aqua non vera adhiberi, aut verba confusè ob murmurari non Sacramentalia: quo caſu non ſimularetur Baptiſmi, aut Sacramentalis Abſolutionis collatio, ut notat Cardenas loco citato, & periculum evaderetur.

TRA-

TRACTATUS X.

Dubia practica de Sacramentis in Particulari continens.

1. GRaves difficultates inſurgunt in Sacris Miſsionibus circa Sacramenta in particulari adminiſtranda, quibus haud modicum Miſsionarii Apoſtolici interdum anguntur. Nonnullas hic proponemus, ut ipſorum utilitati magis ac magis conſulamus.

CAPUT PRIMUM

De Baptiſmo.

2. QUoniam Baptiſmus omnium eſt Sacramentorum janua, nodi plerumque exurgunt haud parum difficiles, quibus Miſsionarii Apoſtolici dilaniantur. Horum principaliores hic proponemus.

QUÆSTIO I.

An valeat Baptiſmus ob fines merè terrenos ſuſceptus, non verò deſiderio ipſiuſmet Baptiſmi?

3. REſp. Affirmativè. Ducor autem. Quia validus eſt Baptiſmus, quoties habetur materia, forma, & intentio Miniſtri, & Suſcipientis, ex Floren. in Decret. Eugenii IV.: at in caſu noſtro hæc omnia habentur; ergo &c. Ant. autem patet. Nam materiam, formam, & intentionem Miniſtri revera exiſtere jam ſupponi-

ponimus. Adeſſe autem etiam intentionem Suſcipientis, patet: nam Turcæ intendunt Baptiſmum verum Chriſtianorum, illum ſcilicet, qui reipſa, vel in opinione eorumdem deſervit ad lupos arcendos, & pravum à corporibus Infidelium odorem depellendum: iſte autem eſt ſolus verus Baptiſmus, quem conferunt Eccleſię Miniſtri, ut à quacumque alia diſtinguitur ablutione; ergo Turcæ intendunt ſuſcipere verum Baptiſmum Chriſtianorum: hæc autem eſt ſufficiens, cum circa ſubſtantiam Baptiſmi verſetur, non verò ejuſdem circumſtantias; ergo validus eſt iſte Baptiſmus.

4. Confir. Quia validus eſt Baptiſmus à Turcà, vel Judæo in forma Eccleſiæ collatus cum intentione faciendi quod ipſa facit, ex Nicolao I. ad Conſul. Bulgar. cap. 14.; ergo etiam validus Baptiſmus à Turca receptus, ut lupos, aut malum odorem arceat. Prob. Conſeq. Non minus requiritur intentio Miniſtri, quam Suſcipientis; ut optimè probat Lauræa Tom. I. in 4. Sent Scoti Diſp. 3. art. 2., & eſt communis Theol., at Miniſter Paganus nihil aliud intendit, quam illud, quod faciunt communiter Chriſtiani in tali actione: profectò enim effectus Baptiſmi ulteriores ab ipſo minimè creduntur; ergo valebit quoque Baptiſmus receptus à Turca, hac ſolummodò intentione, ut lupos arceat, & pravum odorem depellat.

5. Hanc Doctrinam diſertè Magnus Auguſtinus tradidit pluribus in locis; ſed præcipue de Catechiſ. Rud. cap. 17. aſſerens, nonnullos ob lucrum temporale fieri Chriſtianos, & nihilominus Baptiſmum valere; ergo idipſum de Turcis dicendum eſt.

6. Opponitur, Turcas non habere veram intentionem ſuſcipiendi Baptiſmum Chriſtianorum,

rum, cum intentionem poſitivàm habeànt manendi in Secta ſua, uti revera faciunt; ergo Baptiſmus ille non eſt validus. Conſeq. patet. Ant. prob. Quia intentio ſuſcipiendi Baptiſmum imbibit in ſua ratione formali voluntatem ſe Cætui Chriſtianorum adſcribendi, cujus Baptiſmus eſt Teſſera; ergo ſi hæc intentio Turcis deſit, non habent veram intentionem ſuſcipiendi Baptiſmum Chriſtianorum; ergo ille Baptiſmus, quem recipiunt, non eſt validus.

7. Reſp. nego Conſeq. Intentio enim primaria, & neceſſaria ad validitatem Baptiſmi eſt ſolummodò velle recipere Baptiſmum Chriſtianorum: cæteræ aliæ ad dignè ſuſcipiendum deſerviunt. Et ſanè Pueri jocantes, qui a Divo Athanaſio pariter puero Baptiſmum recipiebant, unicè Baptiſmum Chriſtianorum recipere, & conferre intendebant, non vero adſcribi eorum militiæ, aut alios effectus referre Baptiſmum conſequentes; & tamen Baptiſmum illum Alexandrinus Patriarcha ratum habuit, Sozom. lib. 2. cap. 16., & Ruff. lib. 10. Hiſt. cap. 14. referentibus.

QUÆSTIO II.

An Infantes Infidelium, Schiſmaticorum, aut Hæreticorum à Miſſionariis baptizari debeant?

8. Reſpon. Infantes hujuſmodi in proximo mortis periculo verſántes baptizari debere, alios verò minimè.

9. Prima Pars oſtenditur. Nam ſuccurrendum eſt Proximo in extrema neceſſitate corporali verſanti, ex præcep. Charit., ex communi apud Pont. noſt. Cur. Theol. Diſp. 32. Queſt. 5.

ergo

ergò multò fortiùs urgente neceſſitate ſpirituali, ex S.Thom.2.2. Quæſt.26.art.4.: Parvuli autem hujuſmodi neceſſitate ſpirituali extrema laborant: nam ſupponimus à nemine alio baptizari; niſi verò baptizentur, in æternum peribunt; ergo Parvuli illi in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituti, baptizari debent.

10. Secunda quoque Pars patet. Nam tales Infantes, ut notat optimè Tolet.IV. cap.59. manere debent ſub Parentum educatione; adeoque cum morali certitudine, eos in infidelitate permanſuros: hoc autem pacto eos baptizare videtur illicitum, cum adſcribantur, medio Baptiſmate, militiæ Chriſti futuri deſertores, cum magna Chriſti injuria, Baptiſmique contemptu, ſive iſti Parvuli furtivè, ſive apertè baptizentur, maximè ſi offerantur ad Baptiſmum pro lupis arcendis, & pravo odore à corporibus amovendo.

11. Si autem mors probabiliter tantum timeatur, Pignatel: quidem Tom.4. Conſul.206. putat, baptizari non debere, nam Apoſtaſia moraliter certa eſt, cum ſub educatione Parentum remaneant; mors verò tantummodò probabilis: periculum autem certum perverſionis præferendum eſt ſaluti incertæ. Alii verò, ut Vaſquez Coninch. Layman, apud Dian. in Sum. V. *Baptiſmus*, cenſent, baptizari oportere, eo quia nunc ſalus Parvulorum ponitur in tuto, infidelitas verò futura incerta eſt. Prior Sententia magis ſevera, ſecunda magis pia videtur.

12. Obji. adverſus ſecundam Partem. Parvuli illi ſunt in gravi neceſſitate ſpirituali conſtituti; ergo ipſis Baptiſmo ſuccurrendum eſt. Quod enim pereant, Miſſionariorum crudelitati; quod verò Apoſtaſiam amplectantur, eorumdem Puerorum perverſitati adſcribetur. II. Neceſ-

ceſſitas Baptiſmi imminens eſt, mori quippè poſſunt, priuſquam uſum rationis adipiſcantur: Apoſtaſia verò non ita imminet: ab ea enim, Gratia Dei ſuffragante, cum adoleverint, poſſunt recedere.

13. Reſp. Primum non urgere: Infantes enim illi extrema neceſſitate minimè laborant, nec in periculo, nec in articulo mortis conſtituti: quod verò in Apoſtaſiam ſint lapſuri, moraliter certum eſt, ab Hæreticis, vel Apoſtatis educandi; adeoque periculo prophanationis Baptiſmus moraliter exponitur.

14. Ad ſecundum dico, neceſſitatem non eſſe imminentem ex hoc, quod mori poſſint ante, vel poſt uſum rationis, niſi morbo aliquo afficiantur, ad quem mors moraliter ſequatur. Periculum verò perverſionis eorum, & Baptiſmi prophanationis eſt indubitatum, educatione Infidelium permanentium.

QUÆSTIO III.

An à Miniſtris Evangelicis baptizari valeant Infantes Infidelium, Parentibus reluctantibus, extra mortis periculum?

15. RESp. non licere. Ducor autem. Quia etſi valde ſit pròbabilis Sentent. Doct. Subtil. 4. Diſ. 4. Quæſt. 9. aſſerentis cum Suis, poſſe authoritate Principis Infantes Infidelium ſibi civiliter ſubditorum, invitis Parentibus, baptizari, ſi religiosè educari queant, nec eorum occiſio propter Baptiſmum timeatur: attamen Infantes Infidelium Principi Chriſtiano nequaquam civiliter ſubditorum, Parentibus invitis, minimè baptizari poſſunt, & quidem authoritate privata. Et in hoc omnes fere conveniunt,

veniunt, cum S. Thom. 2. 2. Quæſt. 10 art. 2., & 3. Part. Quæſt. 68. art. 10. apud. Maſt. noſt, Diſp. 2., de Baptiſ., & Conſ. Quæſt. 4. art. 1. Infideles autem, quorum Filii baptizari prætenduntur, ſubjecti non ſunt Principibus Chriſtianis, ut Turcæ, Mauri, Perſæ, Indi; ergo nullo pacto hujuſmodi Parvuli, Parentibus invitis, baptizari poſſunt.

16. Ulteriùs authoritatem hanc Miſsionarii ab Eccleſia nequaquam poſſunt habere, quæ in Ethnicos nullo jure potitur, niſi fortaſſe adverſus Ipſam malignè graſſentur, dicente Apoſtolo 1. Cor. 5. 12. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?*

17. Deinde hujuſmodi Parvuli, invitis Parentibus Ethnicis, baptizati, aut relinquerentur ſub patria poteſtate, aut eriperentur? Non primum: tunc enim, cum ſint in Infidelitate permanſuri, non minus Fidei Orthodoxæ, quam Sacramento fieret injuria. Non ſecundum; quia Miſsionarius non habet neque publicam, neque privatam authoritatem Filios Parentibus eripiendi, in quorum, jure ipſo naturali, ſunt poteſtate, atque ad ipſos educatio pertinet, de Deſpon. Impub. cap. 1.; ergo non licet baptizare hujuſmodi Infantes, Parentibus invitis.

18. Obji. Concilium Quartum Toletanum approbare hujuſmodi Baptiſma, dum commendat zelum Regis Siſebuti Infideles ad Baptiſmum cogentis. II. Minus malum eſt vim facere Parentibus, quam Baptiſmum Infantium omittere. Nam conferendo, fit injuria ſolummodò Parentibus: negando autem, fit Deo, Baptiſmum omnibus imperanti, Matth. ult. 19. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* III. Parentes injuriâ Parvulos afficiunt, Baptiſmum

dene-

denegando ; ergo poſſunt , ipſis invitis , baptizari , ſicut poſſent eripi ab eorum manibus, in flumine mergendi , vel occidendi .

19. Reſp. Primum non officere. Tumquia illi Infideles erant Siſebuti Regis ſubditi. Tumquia Concilium zelum Regis commendat , non actionem , quam Patres vetuerunt in poſterum fieri. Secundum facile ſolvitur , dicendo , majus malum eſſe Baptizare in infidelitate permanſuros , quam utilitatem Baptiſmi, nullam frugem pro fine ultimo allaturi , nec facienda eſſe mala , ut eveniant bona : malum autem eſt, baptizare Parvulos cum injuria paternæ authoritatis. Tertium ſolvitur , neg. Conſeq. Nam injuria, quæ fit Parvulis denegando Baptiſmum, ad publicam Poteſtatem pertinet vindicare , non ad privatam Miſsionarii. qui poteſt quidem Parvulum in flumine demergendum impedire , non tamen apud ſe retinere , ſed reſtituere , aut Parentibus , aut Propinquis debet , incolumem ſervandum .

20. Quæres I. An ſi de Parentum voluntate nihil conſtaret , liceret Pueros baptizare ?

21. Reſp. affirmativè , ſi poſſent in tuto collocari. Nam in dubio pro Parvulis præſumendum , & cenſendum , Parentes velle id , quod eorum ſaluti conducit .

22. Quæres II. Quid faciendum, uno Parente Fideli , altero Infideli exiſtente , uno conſentiente , altero reluctante ?

23. Reſp. In utroque caſu Baptizari oportere. Ducor ratione , quam adducit Thomas à Jeſu in laudatiſsimo opere de Conver. omnium Gentium l.4.p.210.§. *Sed ſi uterque.* Quia nimirum Parens Fidelis tenetur Parvulum baptizare, qui eum ſequitur , non autem Infidelem ; ergo eo conſentiente poteſt à Miſsionariis baptizari, diſ-

diſſentiente verò alio, ſupplet Eccleſia ejuſdem conſenſum, ad quam pertinet cura Infantis.

24. Si autem uterque ſit Infidelis, unus vero conſentiat, alter diſſentiat, tunc, niſi permittatur in vera Religione educari, nequaquam baptizandus eſt, in Parentum infidelitate permanſurus.

QUÆSTIO IV.

An in Baptiſmatis adminiſtratione poſſit unus Materiam, alter Formam miniſtrare, uti faciunt Georgiani?

25. Reſp. Non poſſe, & Baptiſmum hunc eſſe invalidum. Ita D. Thom. 3. Part. Quæſt. 67. art. 6. D. Bonaven. 4. Diſt. 5. art. 9. Quæſt. Doct. Subtil. 4. Diſt. 6. Quæſt. 2. Alen. noſt. Memb. 6. Quæſt. 8. art. 6. & Recent. communiter.

26 Patet autem ratio. Nam Matth. ult. 19. ubi præſcribitur Materia, Forma, & Miniſter Baptiſmi, apertè innuitur, ab eodem Miniſtro Materiam, & Formam applicari oportere, dicitur quippe: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: at ſi unus Materiam præberet, alter Formam proferret, non poſſet dici de Miniſtro *Ego te Baptizo*, cum revera non ablueret; ſicut Pœnitens non poteſt dicere, *Ego te Abſolvo*, etſi materiam Pœnitentiæ miniſtret; ergo non verificaretur inſtitutio Sacramenti, qua Miniſter non tantum proferre verba, ſed etiam verè abluere dicitur, quod ſignificatur per ly *Baptizare*, apud omnes Nationes: hinc exploditur explicatio Cajetani Georgianæ praxi faventis, dum aſſerit per ly *Baptizo* idem intelligi,

ac

ac tibi *Baptiſmum confero*; quod videtur ſalvari, etſi alter aquam miniſtret, & abluat: nam in communi ſermone Baptizare idem eſt, ac abluere: at abluere pertinet ad Miniſtrum Formam proferentem, dum dicitur Matth. ult. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris &c.*; ergo etiam Baptizare. Nec apparet ratio, cur Formæ pars non poſsit ab uno proferri, & altera ab altero: Forma verò poſsit ab uno proferri, & materia ab altero miniſtrari, cum utrumque in verbis inſtitutivis ad eumdem Miniſtrum pertineat.

27. Accedit conſuetudo univerſalis Eccleſiæ, quæ apud omnes Nationes Chriſtum colentes, præter Georgianos, non patitur, Formam proferri à Miniſtro; aquam verò adhiberi ab altero; ergo ſuſtineri nullo pacto Georgianorum poteſt Baptiſma, niſi fortaſſe in caſu, quo Baptizans eſſet mancus: tunc enim ſi compellat ſumma neceſsitas, alio materiam miniſtrante, poſſet ſub conditione conferri, ex Ponc. noſt. Curſ. Theol. Diſp. 42. Concl. 4.

28. Opponitur I. Armenorum, & Græcorum Baptiſma à Floren. in Inſtruc. Armen. validum declarari, etſi Miniſtri actio non exprimatur veluti neceſſaria, dicendo; *Baptizetur Servus Chriſti*. II. Baptiſmus eſt compoſitum morale artificiale; ergo ſicuti poteſt admittere plura ſigna, ita plures miniſtrantes, eo pacto, quo plures Sponſi idem Matrimonii Sacramentum miniſtrant, & in Sacramento Pœnitentiæ Pœnitens materiam præbet, Sacerdos abſolutionem. III. Duo Miniſtri totaliter concurrentes verè baptizant, ex com. Theol.; ergo etiam partialiter concurrentes, quatenus unus Formam profert, alter Materiam adhibet.

29. Reſp. ad primum. Etſi in forma Græ-

corum

corum non exprimatur actio Miniſtri explicitè, ponitur tamen æquivalenter, dum approbatur altera, qua dicitur: *Baptizetur Servus Chriſti manibus meis*; & praxi ipſa confirmatur, dum apud Græcos ſolus Miniſter Formam profert, & facit ablutionem. Ad ſecundum neg. Conſ. potuiſſet quidem ita inſtitui: at probandum eſt, hoc Sacramentum ita fuiſſe inſtitutum. Pœnitentiæ autem, & Matrimonii Sacramentum, ideò à diverſis exigunt Formam proferri, & Materiam miniſtrari, quia Pœnitentia fit per modum Judicii forenſis, quo Judex debet ſententiam proferre, & Reus materiam Judicii miniſtrare. Matrimonium verò per modum Contractus, ad quem duo contrahentes neceſſariò requiruntur. Tertium parum urget. In tali enim caſu uterque Miniſter non ſolum Materiam, ſed Formam applicat, cum juxta Doct. Subtil. 4. Diſt. 6. Quæſt. 2. §. *de Primo*, uterque verè conficiat, nec ſit ratio, cur unus, & non alter plenè concurrat. Georgiani autem dividunt actionem, uno Materiam, altero Formam applicante. Nulla ergo probabilitas in tali relucet opinione, vel ſi adeſſet, ſublata eſt per Innoc. XI., damnantem eos, qui opinione minùs probabili, & minùs tuta, qualis eſt hæc, in Sacramentis adminiſtrandis utuntur.

QUÆSTIO V.

An valeat Baptiſmus, quo Miniſter Spongia aqua madefacta Infantem abluit?

30. RESp. Affirmativè, quoties Infans in parte principali verè abluatur.

31. Ratio autem eſt. Quia ſufficit ad Sacramenti validitatem ablui verè corpus Infantis,

tis, ut cum Auguſt. Hom. 80. in Joàn. dici poſſit: *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Corpus verè dicitur ablui, ſi pars principalis, V. G. Caput, in quo virtualiter omnes ſenſus continentur, Spongia aqua tumefacta per guttas decurrente ſucceſſivè abluatur; ergo cum Spongia magnam partem Capitis madefaciat, ſalvatur optimè vera ablutio ad Sacramentum neceſſaria.

32. Quod opponitur, hujuſmodi ablutionem non eſſe neque merſionem, neque infuſionem, neque aſperſionem, & requiri ad validitatem Baptiſmi defluentiam aquæ, ita ut ſucceſſivè ablutio fiat, ut plures tenent, apud Maſtri. noſt. Diſp.2. de Baptiſ. Queſt.8. art.1., quę non apparet in ablutione per Spongiam: facilè diluitur, dicendo, quod etſi diverſa hæc ablutio ab aliis videatur, cum vera tamen ſit ablutio, verè per eam fit Sacramentum: cæterum reducitur ad infuſionem, quoties expreſſa, vel compreſſa Spongia verè caput Pueri ablueret quoad partem majorem.

QUÆSTIO VI.

An Baptiſmus Adultis conferri queat, nulla præcedente Myſteriorum Fidei inſtructione?

33. RESp. Regulariter non poſſe, licere tamen in aliquo caſu ſpeciali?

34. Prima Pars patet. Quia Chriſtus Dominus Marc. ult., 16., & Matth. pariter ult. 19. jubet, præmitti Baptiſmo prædicationem Evangelii, atque Doctrinæ, quod quidem cum Eunucho Reginæ Candacis, Baptiſmum petente, feciſſe Philippum Diac., habemus Act.8. 35.

35. Id-

35. Idipſum mandat Eccleſia fieri, ex Brachar. II. Agathen. Laodicen. Tolet. relat. de Conſecrat. Nicolaus I. de Baptiſ. cap. 2. Hinc Patrinus, loco Infantium reſpondens, à Sacerdote interrogatur, an calleat myſteria Fidei; ergo &c.

36. Accedit ratio. Nam Miniſter Evangelicus nullum Adultum baptizare debet, niſi quem diſpoſitum putat, ne Sacramentum prophanationis diſcrimini exponat: at neminem poteſt cenſere diſpoſitum, qui ad Baptiſmum abſque ulla inſtructione accedit, cum ſine ipſa, actus Fidei, Spei, & Charitatis, ac Pœnitentiæ elicere nequeat, ſine quibus juſtificatio in Adultis minimè obtinetur, ex Triden. ſeſs. 6. cap. 6.; igitur nequit Miſſionarius ullum Adultum baptizare, abſque præcedenti congrua inſtructione.

37. Secunda quoque Pars ſuadetur. Quia interdum poſt concionem Evangelizantis, in audientibus magnum Baptiſmi deſiderium poteſt excitari, quos utilè cenſet Miſſionarius ſtatim Baptiſmate initiare, ne ejuſdem deſiderium deferveſcat: impoſſibile eſt autem omnes inſtruere perfectè: hos autem licitum eſt baptizare, cum etiam Apoſtoli id fecerint, habita Concione, Act. 2. 41.; ergo in iſto caſu non eſt neceſſaria inſtructio, quæ aliquo pacto in Concione præceſſit, ſaltem eorum Myſteriorum, quorum Fides eſt ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria.

38. Quod objicitur, poſſe ſufficere ad Baptiſmi licitam collationem ejuſdem efficax deſiderium, & confuſam myſteriorum Fidei notitiam, quam utique Apoſtoli Concionantes præbere poterant, qui tamen myriades hominum una Concione convertebant; evincit quidem, id lice-

licere in caſu aliquo particulari, & ſpeciali neceſſitate compellente, non tamen regulariter loquendo; perpendendum eſt quippe, ad licitam Baptiſmi ſuſceptionem non ſufficere ejuſdem efficax deſiderium, quod à Fide imperfecta prodire poteſt, ſed ſicuti neceſſaria eſt explicita plurium Myſteriorum Fides, ita neceſſaria eſt inſtructio ſaltem ſummatim, & quoad præcipua Capita Religionis. Apoſtoli autem, qui linguarum, & aliorum donorum muneribus gaudebant, improbo labore, poterant unica Concione tot myriades hominum erudire ante Baptiſmum, cum in Concione illa proponerent credenda, ipſaque miraculis confirmabant.

QUÆSTIO VII.

An valeat nonnullorum Orientalium Baptiſma, in cujus Forma ſingulis Perſonis Trinitatis additur Amen?

39. Reſp. Poſſe ſuſtineri. Quia adſunt omnia neceſſaria ad verum Baptiſmi ex Divina Inſtitutione, atque à Patribus, & Conciliis, præſertim Florentino, & Tridentino requiſita; ergo eſt validum.

40. Quod verò addatur ly *Amen* ad ſingulas Perſonas, nihil officit; talis enim additio ſenſum non variat ſermonis, ſed ſolummodò redolet ſuperfluitatem: Baptiſmus autem invalidus non efficitur, niſi verba addita, vel mutata errorem inducant, ſenſumque legitimum labefactent, ex Doct. Subtil. 4. Diſt 9. Quæſt. 2., nec diſſentit S. Thom. 3. Part. Quæſt. 6. art. 8. & Recentiores ſequuntur, Filiuc. Lib. 1. cap. 4. Quæſt. 5. Lugo de Sacram. in Gen. Diſp. 2. ſec. 6.

41. Nec

41. Nec obſtat, quod opponi poteſt; ſi diceretur: *Ego te baptizo in Nominibus Patris &c.*, non valere Baptiſmum, quia denotaret diviſionem Eſſentiæ in pluralitate Perſonarum, ex Alenſi 4. Part. Quæſt. 8. Memb. 3. art. 3.; ergo neque *Ego te Baptizo in Nomine Patris Amen*, eo quia eadem Nominum pluritatem innueret: nego quippe Conſeq. Illa enim repetitio *Amen* non denotat plura Nomina, ſed ſolummodo ejuſdem repetitionem, eo modo, quo dicendo *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, non denotantur plures Dii. Minus urget, quod additur, interpoſitionem illam *Amen* coarctare ſenſum, quaſi Baptiſmus in Nomine tantum fiat Perſonæ, cui additur, quod falſum eſt; reponitur quippe ly *Amen* non reſtringere Baptiſmum ad illam tantum Perſonam, cui adjungitur, ſed ſolummodo confirmat, eum in ejuſdem Nomine conferri, ſicut perficitur in Nomine aliarum Perſonarum: quare non denotatur, tria fieri Baptiſmata, ſed unum, Nomine trium Perſonarum. Tertium, quod opponitur, hanc Formam praxi Eccleſiæ contradicere, probat eſſe illicitum, non invalidum. Si tamen hæc Forma ab immemorabili dicatur introducta, cenſerem, Chriſtianos illos ea utentes non eſſe vexandos, ſi abrogatio ægrè ferretur; ſicut ob idem motivum toleratur illa Græcorum: *Baptizetur Servus Chriſti*.

QUÆSTIO VIII.

An Ethnici rebellantes Principi ſuo ad Baptiſmum admitti queant, rebellioni minimè abrenuntiantes?

42. RESp. Neophytos hujuſmodi admitti quidem ad Baptiſmum non debere, niſi reſtituere polliceantur, quod ſuum non eſſe in conſcientia cognoſcunt, non tamen explicitè compellendos ad recedendum à rebellione, Regnumque uſurpatum reſtituendum. Ita cenſuerunt Theol.à Rom.Gen. Inquiſi.deputati 1674. ad 3. ex Dubiis Sinicis: *Conſulendum eſt eis, ut injuſtè accepta reſtituant; &, ſi promittant ſe facturos, non eſt eis negandus Baptiſmus.*

43. Ratio primæ Partis eſt, quia niſi polliceantur, ſe malè accepta reſtituturos, manent in actuali peccato, & voluntate peccandi in poſterum: tunc autem indigni ſunt Baptiſmo, utpote indiſpoſiti, cum careant diſpoſitione ad fructuoſum Baptiſmum neceſſaria, nempe verâ Pœnitentiâ, ex Triden. ſeſs. 6. Cap.6., & docent Scholaſtici cum S. Thom. 4. Diſt.6. Quæſt.1. art.3., Doct. Subtil. 4. Diſt. 4. Quæſt.5.: carent quippe propoſito firmo emendationis, ad ipſam requiſito, ex eodem Triden. ſeſs.14. Cap.4.& Floren. in Decret. Eugen.; ergo admitti non poſſunt ad Baptiſmum, juxta Canonem Auguſt. de Peccat.merit. & remiſ. à Subtili adductum Quæſt. 5. cit. *Omnis, qui voluntatis ſuæ factus eſt arbiter, cum accedit ad Sacramentum Fidelium, niſi eum veteris vitæ pœniteat, novam non poteſt inchoare.*

44. Argumentum in oppoſitum: nempe, nolentes Regna reſtituere, non eſſe diſpoſitos,

utpo-

utpote carentes propoſito emendationis ad Baptiſmum neceſſario: ſolutum eſt in probatione primæ Partis; ſi enim polliceantur, malè accepta reſtituere, etiam propoſitum habent, Regnum raptum reddendi Dominis ſuis: an autem injuſtè rapuerint, ad Miſſionarios minimè ſpectat inquirere.

45. Quæres, quonam pacto Milites, & Conſiliarii Regnorum occupatorum ad Baptiſmum ſint admittendi?

46. Reſp. ex præfatis Theologis Sanctæ Inquiſit. Rom., admitti poſſe cum hac conditione, ut ſpondeant, ſe, juxta æquitatem, Magiſtratu, ac militia functuros, juſta conſilia præſtituros, ac quidquid injuſtè rapuerint, reſtituturos; nam de juſtitia Belli, aut Principatus invaſi, non eſt Miſſionariorum diſputare.

QUÆSTIO IX.

An Ethnici Concubinas, aut ſecundas Uxores repellere renuentes, admitti ad Baptiſmum valeant?

47. Reſp. Ethnicos nolentes expellere Concubinas, aut ſecundas Uxores, non eſſe ad Baptiſmum admittendos, etſi polliceantur, iis minimè uſuros. Ita præfati Theologi Inquiſit. Rom. ad Quintum decimum reſpondentes: *Non poſſe*.

48. Ducor autem. Quia, niſi expellant Concubinas, aut ſecundas Uxores, non oſtendunt firmum propoſitum recedendi à concubinatu, & pravo uſu plurium Uxorum Evangelica Lege interdicto, cum in proxima ſint occaſione peccandi; ergo admitti non poſſunt ad

Baptiſmum, pro cujus rectâ diſpoſitione requiritur vera peccatorum Pœnitentia, & propoſitum amplius non peccandi, novam in Chriſto vitam inchoantibus neceſſarium. Quod verò Concubinæ, aut ſecundæ Uxores proxima ſint occaſio peccandi, patet: nam hactenus cum illis peccarunt; ergo ſunt quoque in poſterum proxima occaſio peccandi. Nec pollicitationes amplius cum illis non coeundi juvant; ſi enim hucuſque ab ipſis minimè abſtinuerunt, quomodo ſperandum, eos ab iis abſtinere in poſterum, cum quibus convivunt, & à quibus alliciuntur? Propterea Alex. VII. optimè Propoſitionem hanc inter 45. proſcripſit: *Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum Concubinarii, vulgo* Regalo, *dum, deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent Concubinarium, & alia Famula nimis difficilè inveniretur*.

49. Hinc ruit, quod objici poteſt: nempè propoſitum firmum emendationis, ſicuti eſt index doloris criminum commiſſorum, ita eſſe veræ Pœnitentiæ Argumentum: hoc autem habere ſupponuntur Ethnici Baptiſmum petentes; ergo poſſunt ad Baptiſmum admitti. Falſum quippe eſt, verum eos habere propoſitum emendationis, & præteritorum criminum dolorem, nolentes Concubinas, aut ſecundas Uxores expellere, cum quibus hucuſque deliquerunt; cum Amicum, & Miniſtrum etſi neceſſarium, juxta Auguſt. Lib. 1. de Serm. Dom. in monte, imò Parentes ipſos, ſi nobis offendiculum præbeant, ex Cyril. Alex. Lib. 12. in Joan., reſpuere debeamus.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

An recipi debeant ad Baptiſmum Ethnici, qui renuunt Uſuras in Regione ſua conſuetas abjicere?

50. RESP. Ratione præcisè mutui aliquid accipientes, præter ſortem, ac renuentes morem hunc relinquere, baptizari non poſſe; ſi verò ratione periculi verè probabilis, aut moleſtiæ, ac litium, nimiæque retardationis, aliorumque ſimilium aliquid exigatur, neque ab hoc ſtylo recedere velint, adhuc poſſe ad Baptiſmum admitti.

51. Prima Pars eſt communis, & ſancitur 14. Quæſt. 4. Cap. *ſi quis*, & ex Lateran. III. Cap. *Quia in omnibus*. Uſura enim jure omni tam naturali, quam poſitivo eſt interdicta, cum à ratione alienum ſit plus accipere, quam ſit datum; neque quiſquam ambigit, nolentem ab hac uſura recedere à Baptiſmo excludi oportere.

52. Secunda Pars eſt deciſa à Theologis Rom. Inquiſit. in reſol. ad 3., ex 18. propoſitis à Sinenſibus Miſſionariis Ord. Præd. 1645., habetur quippe: *Cenſuerunt ratione mutui immediatè, & præcisè, nihil eſſe accipiendum ultra ſortem principalem. Si verò aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, dummodo habeatur ratio periculi, & probabilitatis ejuſdem, & ſervata proportione inter periculum, & id, quod accipitur &c.* Idipſum tenent Medina, Azorius, Layman, & Alii, quos ſequitur Bonac. de Contrac. Diſp. 3. Quæſt. 3. Punc. 5.

53. Ratio autem eſt. Quia periculum extrinſecum, ut notat optimè Ponc. noſt. Diſp. 55. Quæſt. 4. Concl. 3., eſt pretio æſtimabile,

cum nemo teneatur prodigere pecuniam ſuam; ergo qui imminente probabili periculo fugæ Mutuatarii, vel ſaltem morali neceſſitate urgente exigendi cum labore, & moleſtiis coram Judice ſummam mutuatam, non ſponte, tradendam, ſed vi potiùs, & ſerò extorquendam, aliquid exigit, præter lucrum ceſſans, & damnum emergens, uſuram non committit; adeoque recipi ad Baptiſmum poteſt.

54. Nec obſtat Cap. *Naviganti*, Extra de Uſuris: *Naviganti, vel eunti ad Nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ſupra ſortem, Uſurarius eſſe cenſendus*. Ibi enim fit ſermo de eo, qui, ut aliquid ſupra ſortem obtineat, ſumit ſupra ſe periculum quodcumque, etiam intrinſecum; nec alio pacto vult mutuare, niſi Mutuatarium ad hoc onus cogendo: in caſu autem noſtro ſermo eſt de periculo merè extrinſeco, & frequenter contingente.

55. Quæres. An triginta pro centum aſſignata in aliquibus Regionibus Ethnicorum à Magiſtratu pecuniam mutuantibus uſuram contineant?

56. Reſp. ſi juxta morem illius Regionis triginta pro centum ſint aſſignata periculo, quod timetur ſortis amittendæ, ſivè nimis difficiliter, & magnis incommodis exigendæ, vel ob alios fines honeſtos à Lege intentos, non videtur uſurarium. Si verò ſpectetur præcisè utilitas Mutuantis volentis in quocumque caſu ex pecunia mutuata aliquid lucrari, præter motiva jam expreſſa, tunc certè uſuram continet: quo caſu nolentes mutuare, niſi præciſe ob finem lucri, non verò ob alios fines, nec aliis conditionibus, ad Baptiſmum minimè, utpote indiſpoſiti, debent admitti.

QUÆSTIO XI.

An Ethnicus à Judice compulſus ad dandas uſuras poſſit ad Baptiſmum recipi, tametſi officium à publica Poteſtate dimittere non permittatur?

57. Reſp. Non poſſe. Ita præfati Theologi Sanc. Rom. Inquiſit. 1645. Dub. Miſſionariorum Sinenſium reſponderunt: *Chinenſes in ſtatu uſurario permanentes baptizari non poſſe.*

58. Ratio eſt. Quia hujuſmodi Uſurarii ſunt in ſtatu peccat. lethalis, & animo in eo permanendi. Uſura enim jure Divino, Naturali, & Eccleſiaſtico vetita eſt, pœniſque gravibus interdicta: de Uſur. Cap. *Præterea.* Cap. *Quia in omnibus.* Cap. *de Petro*, diſt. 47. & 14. Quæſt. 4. Cap. *ſi quis.*

59. Nec quidquam faciunt, quæ pro ipſis opponuntur. Quod enim ſint compulſi à Judice in officio permanere, facit quidem, eos non peccare in hoc, non tamen facit eos non delinquere, dando pecunias ad uſuram, cum poſſent dare alio modo, tribuendo quidem pecuniam, ſed lucro licito. Poſſunt enim aliquid accipere præter ſortem, ratione oneris, quod ſuſtinent, & quidem inviti, laboris in pecuniæ prompta omnibus numeratione, cuſtodiæ, & procurationis ejuſdem lucri ceſſantis, ac damni emergentis, periculi ſortem amittendi, ac moleſtiarum in ejuſdem recuperatione, quæ frequenter ob fugam Debitorum deprehenditur. An autem lucrum, quod recipere poſſunt, æquivaleat triginta, quod pro ſingulis centum exigitur, ipſorum eſt diligenter perpendere. Si

autem prompti ſint exigere ſolummodò quantum Tituli expreſſi inducere poſſunt lucri, utique poſſunt ad Baptiſmum admitti, etiam ſi in officio Fœneratorum permaneant, cum revera uſuras non ſint admiſſuri.

60. Quæres, An Filii Uſurariorum, qui hujuſmodi officium exercuerunt Fœneratorum, baptizari cupientes, ipſorum uſuras reſtituere teneantur?

61. Reſp. Affirmativè, ex Decif. præfatorum Theol. ad 5. quo dicitur: *Cenſuerunt, Filios hæredes Uſurariorum teneri à Patribus ex Uſuris illicitè aquiſita reſtituere, certis quidem Dominis, ſi certi ſunt, ſin minus, juxta regulas à Doctoribus traditas.*

62. Ratio eſt. Quia bona per Uſuras aquiſita non erant in dominio Patris, juxta veriorem ſententiam; in omni tamen opinione reſtitutioni cenſentur obnoxia, & Uſurarius debet Dominis, ſi vivant, reſtituere; ſi mortui ſint, Hæredibus; aut, ſi ipſi deſint, Pauperibus, ex Lateran. III. tit. de Uſur. Cap. 7.

63. Sicut ergo tenentur Hæredes debita, & Legata Defuncti ſolvere, ita etiam Uſuras reſtituere: & in hoc Doctores omnes conveniunt. Filii igitur Uſurariorum iſtorum, renuentes Uſuras reſtituere, ſi poſſint, utpote indiſpoſiti, à Baptiſmo ſunt repellendi. Non enim ignorantiam adducere poſſunt pro excuſatione. Quamquam enim ex hoc præcisè, quod Parenti uſurario ſucceſſerint, eam poſſent objicere, cum ſit res facti: attamen moniti à Miſſionariis, allegare illam non poſſunt, & incipiunt eſſe malæ fidei poſſeſſores; adeoque ad reſtitutionem tenentur, eamque denegantes in ſtatu ſunt actualis peccati, & ſic Baptiſmo indigni.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

An permitti poſſit, Infidelem, aut Hæreticum Patrini munus in Baptiſmo exercere?

64. RESp. Non licere. Ratio eſt. Quia Patrinus Baptiſmi debet eſſe baptizatus, & confirmatus, de conſec. diſt.4. Cap. *In Baptiſmate*: nec excommunicatus, ex Mediol.I. Part. 2. tit. de Baptiſ. Infidelis autem non eſt neque baptizatus, neque confirmatus. Schiſmaticus verò, aut Hæreticus eſt in Bulla Cœnæ excommunicatus; ergo &c.

65. Ulteriùs. Patrinus vicem gerit ipſius Pueri baptizandi, cujus nomine interrogationibus Eccleſiæ de recta Fide reſpondet, eumque veræ Religionis myſteriis erudire debet, ac devium reducere, ex Colon. II. Part.7. Cap.4. Aurelianen. Cap. 19. Neutrum horum poteſt præſtare Schiſmaticus: multò autem minus Infidelis; ergo nullatenus permittendum eſt ipſis fungi munere Patrini in Baptiſmo.

66. Attamen ne videatur Turcæ, aut Schiſmatici amicitia contemni, poſſet Catholicus pro Patrino aſſumi, præſente tamen Schiſmatico, aut Turca, uti conſulit Pignatel. Tom.7. Conſul. 58. ad 6. In Sponſalibus tamen, ex eodem ibidem, cogente neceſſitate, poſſe permitti, cenſuit Inquiſitio Romana An. 1615. 17. Octobris, quæ interrogata, reſpondit: *Moneantur abſtinere. Verum ſi ſine periculo ceſſare nequeant, poſſe permitti.*

67. Obji. Patrinus eſt Baptiſmo accidentalis, & ſola Lege Eccleſiæ inductus; ergo non videtur ratio, cur Paganus poſſit baptizare,

non autem Patrinus aſſiſtere Baptiſmo ; ergo multò fortiùs eſſe Patrinus Baptiſmi.

68. Reſp. ne. Conſ. : ſolum enim ſequitur poſſe omitti Patrini miniſterium non omnino neceſſarium ; non autem poſſe ab Hæretico, aut Pagano exerceri : idcirco autem poteſt baptizare ob ſummam Baptiſmi neceſſitatem : at non poteſt eſſe Patrinus ; quia ejus aſſiſtentia eſt mera ſolemnitas, quæ indignè à Pagano, aut Hæretico præſtaretur, utpote Eccleſiæ hoſte, non potente Puerum inſtruere in vera Religione. Si tamen non Baptizatus officium præſtaret Patrini, cognationem ſpiritualem cum Lavato minimè contraheret ; ſicuti Hæreticus, aut Schiſmaticus, qui ratione Baptiſmi Eccleſiæ authoritati ſubduntur.

QUÆSTIO XIII.

An ob verecundiam Mulierum apud nonnullas Ethnicas Nationes unctiones Chriſmatis in Baptiſmo poſſint omitti?

69. Reſp. Non licere. Ita Theologi Sanc. Rom. Inquiſit. 1645. ad 2. Dub. Sinenſium Miſſionariorum, his verbis : *Sacramentalia in Baptiſmo adhibenda ; nec ſufficere motivum in dubitatione expreſſum, ut Miſſionarii* (*quantum in ſe eſt*) *ab ipſis abſtineant*.

70. Ratio eſt. Quia Ritus hujuſmodi antiquiſſimi ſunt : Unctionis enim meminit Clem. Rom. Lib. 3. Recog., qui licet ſit incertæ fidei, antiquiſſimus tamen eſt, citatur quippe ab Orig. Tract. 35. in Machab. ; meminit quoque Juſtinus Mar. Quæſt. 107. Cyril. Jeroſol. Catecheſ. 2. & 3. Miſtag. Sputum in auribus Ambroſ. commemorat de iis, qui initiantur Myſt. Cap. 1. ;

Cap. 1. ; ſalem in ore inferri, refert Concil. III. Carthag. Can. 5., & ab utraque Eccleſia tam Orientali, quam Occidentali hujuſmodi Ritus adhibentur; ergo, citra magnam neceſſitatem, omitti nequeunt, qualis eſſe zelotypia Conjugum non videtur, qui nullum habent argumentum de Miſſionariorum integritate amgibendi; qui propterea ab eadem Sac. Congreg. docentur, ita ſe cautè gerere, ut Maritis, aut Parentibus ſuſpicionem nullam ingerant.

71. Quod ergo opponitur, hujuſmodi Ritus eſſe meri juris Eccleſiaſtici, non Divinæ inſtitutionis, qui etiam in privato Baptiſmate, cogente neceſſitate, omittuntur; ergo etiam licebit, ne zelotypia erga Uxores, & Filias Conjugibus, & Parentibus ingeratur: nullius eſt momenti. Nam verum eſt, Ritus hujuſmodi ex Lege Eccleſiaſtica prodire: at ſunt antiquiſſimi, & ab univerſali Eccleſia exactè cuſtoditi: ſi verò cogat gravis necesſitas, omittuntur; at non eſt talis in caſu expreſſa, cum motivum à Miſsionariis nullum præbeatur, quo zelotypia adverſus eos ulla excitetur.

QUÆSTIO XIV.

An Mos nonnullarum Orientalium Eccleſiarum dandi ſimul Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam poſſit ſuſtineri?

72. RESp. Hujuſmodi morem poſſe tolerari, ſi abſque turbatione tolli non poſsit.

73. Ducor autem. Quia nullum continet errorem contra Fidem Orthodoxam, aut indecentiam aliquam majeſtati Sacramenti repugnantem. Non quidem quoad Suſcipientes;

Con-

Confirmatio enim, & Euchariſtia Infantibus data, non præbetur indignis: nam poſt Baptiſmum ſuſceptum, originali, & actuali carent peccato. Fides verò, Spes, & Charitas cum cæteris muneribus Cœleſtibus infunduntur, ex Triden. ſeſs. 7. Cap. 7.

74. Neque etiam quoad Miniſtros ulla committitur indecentia. Nam quamvis jubeantur Sacerdotes, Euchariſtiam non tribuere, niſi iis, qui ætatem diſcretionis attigerint, ex eodem Triden. ſeſs. 21. Cap. 4., & Lateran. IV. Cap. *Utriuſque*: Epiſcopi verò ne Confirmationem tribuant, niſi doli Capacibus, ex Colon. II. Part. 7. Narbon. Cap. 15., ſi tamen conferatur, nihil Sacramenti derogat ſanctitati, ac majeſtati, cum in primitiva Eccleſia, quantum ad Euchariſtiam tribuendam, hunc morem extitiſſe, afferat Triden. ſeſs. 11. Cap. 4.; De Confirmatione autem Innoc. I. Epiſt. 1., Cyprian. Serm. de Lapſ., & alii Patres, quos cumulat Hiqueus: noſt. Comment. ſuper 4. Sent. Scot. diſt. 7. Quæſt. 1., ut nimirum Fideles, his divinis præſidiis muniti, Ethnicorum perſecutioni reſiſterent, tunc graſſanti.

75. Quod verò Presbyteri ſimplices Confirmationem miniſtrent, Epiſcopis reſervatam, veluti Ordinariis Miniſtris, ex Floren. in Inſtruc. Armen., ex Triden. ſeſs. 3. Cap. 7., id facere credendi ſunt ex Apoſtolica diſpenſatione ab immemorabili obtenta: arguendi tamen eſſent, ſi putarent id fieri poſſe ordinaria poteſtate, quæ tamen, eo quia non invenitur, anſam præbuit Clem. VIII. Bulla *Sanctiſſimus* hujuſmodi authoritatis exercitium prohibendi, non tamen abſolutè irritam declaravit, ſed ſolummodò ſub conditione repetendam.

76. Nec objecta quidquam dictis nocent.

Quod

Quod enim dicitur contrà primam Partem, Euchariſtiam in Parvulis fruſtrari fine ſuo, cum ad ipſam præparari non poſsint, nec ſint capaces eam ſumendi ſub ſpeciebus Panis, & Vini, nullius eſt momenti: in Parvulis quippe Euchariſtia fine ſuo nequaquam fruſtraretur, in ipſis augumentum Gratiæ producens, licet non adeo uberem, ſicuti ſi eſſent præparati; & optimè ſub ſpeciebus Panis, & Vini eam ſumere poſſunt, non ea tamen ſoliditate, qua ſumunt Adulti. Quantum verò ad Confirmationem, utique ejuſdem Miniſter Ordinarius eſt Epiſcopus: at ſimplex Sacerdos eſſe poteſt extraordinarius, ex Apoſtolica diſpenſatione, quam in caſu ſupponimus.

QUÆSTIO XV.

An offerri poſſit Parvulus à Schiſmaticis baptizandus ad Fidem Orthodoxam occultandam?

77. RESp. Non poſſe: Ducor. Quia non licet petere ſivè pro ſe, ſivè pro alio Sacramenta à Schiſmaticis, & Hæreticis publicis, & notoriis, quales ſunt Orientales, niſi cogat ſumma neceſsitas, ſunt quippe ab Eccleſia præciſi, ut publici hoſtes: at in caſu noſtro nulla cogit neceſsitas; ſi enim adeſſet Miſsionarius, eidem offerri poſſet: ſi minimè adeſſet, à Parente ipſo baptizari valet.

78. Secundò. Numquam licet falſam proteſtari Religionem: at hujuſmodi proteſtatio contingeret, Parvulo Schiſmaticis oblato ad Baptiſmum; vel enim Catholicus occultus pro Parvulo publicè Baptiſmum peteret, vel privatim: ſi publicè; oſtenderet quoque publicè, ſe Schiſ-

Schiſmaticos haberė pro legitimis Eccleſiæ Miniſtris, ſicuti habet Catholicos, quo pacto certè Schiſma externè profiteretur: ſi privatim; eumdem ſcopulum offenderet, cum non deſint Miſsionarii Apoſtolici, aut Alii, quibus utatur: & nihilominus ad Schiſmaticos recurrit; ergo recurrendo ad Schiſmaticos, Schiſma ipſum externè profitetur, ſicuti Catholicam profiteretur Religionem, ſi ad Catholicos recurreret.

79. Opponitur. Minimè peccari petendo rem juſtam, nempe Baptiſmum pro Parvulo: nec obſtare, Parochum eſſe Schiſmaticum, cum ex Conſtantienſi liceat petere à Præciſis Sacramenta, & ex Doct. Subtil. 4. Diſt. 5. Quæſt. 2. poſsimus, cogente neceſsitate, petere Baptiſmum pro Parvulo etiam à Præciſis: at nulla major datur neceſsitas, quam ſe inter Hæreticos occultandi; ergo in tali caſu licitum eſt, Parvulum Schiſmaticis Parochis tradere baptizandum.

80. Reſp. Non peccari petendo rem juſtam: peccari tamen petendo non juſtè: at petendo Baptiſmum pro Parvulo à Parocho publicè Schiſmatico, cum per Catholicum Sacerdotem, aut per ſeipſum fieri poſsit, non juſtè petitur Baptiſmus: Conſtantienſe autem Concilium loquitur de Catholicis Præciſis, non verò de Hæreticis, aut Schiſmaticis, ſi ſeipſos ab Eccleſia dividunt. Falſum eſt quoque adeſſe ſummam neceſsitatem; cum poſsit Catholicus ſe occultare, Baptiſmum à Miſsionariis petendo, vel ex ſemetipſo tribuendo, non tamen Schiſmaticis tradendo. Fides occultari quidem poteſt, non tamen oppoſita oſtendi, uti fieret, ſi Parvulus Parocho Schiſmatico tribueretur baptizandus. Doctor autem Subtilis loquitur

in

in caſu, quo ſolus Præciſus poſſit baptizare, non verò quando adſunt Alii, ut contingit in caſu.

81. Ex his ſequitur, Catholicum non poſſe in privato Baptiſmo, Parvulum deferre ad Parochialem Eccleſiam Schiſmaticorum, ut Cœremoniç omiſſæ ſuppleantur, ob rationes eaſdem, ob quas non poteſt peti à Schiſmaticis Baptiſmus. Si autem contingat, Infantem à Schiſmaticis privatim baptizatum, cum ad congruam ætatem pervenerit, Catholicam amplecti Religionem, non teneri ad ſupplendas in Templo Catholicorum Baptiſmi Cœremonias. Quamvis enim, ſpectato jure, id fieri deberet; oppoſitum tamen conſuetudo induxit; ut enim notat Layman Lib. 5. Trac. 2. Cap. 8., rudis Populus cenſeret Baptiſmum iterari, quia ab Hæreticis, etſi debitâ formâ, collatus eſt, & proinde invalidus; quod profectò à Catholica veritate abhorret. Si tamen citra nullum incommodum Baptiſmi Cœremoniæ poſſent in Templo ſuppleri, à ſenſu Univerſalis Eccleſiæ nequaquam eſſet alienum. Cæterum in Baptiſmo privato, aut omnes cœremoniæ omittendæ ſunt, ſi neceſſitas urgeat; aut omnes adhibendæ, ſi facultas ſuppetat: diſplicet enim nonnullarum Nationum Orientalium abuſus, quo, citra veram neceſsitatem, aliquas ponunt, aliquas omittunt.

82. Quod ſi hujuſmodi cum Schiſmaticis communicatio in aliquibus locis in praxim reducitur, uti contingit apud Ditiones aliquas Græcorum Reipublicæ Venetæ ſubjectas, id contingit, vel quia Schiſmatici non ſunt notorii, ſed Catholicis permixti, quo caſu Conſtantienſe Indultum ſuſtineri poteſt etiam ad Schiſmaticos, & Hæreticos extendi: vel quia hu-

hujuſmodi praxis, non quidem approbatur, ſed toleratur à Sancta Sede Apoſtolica ad majora incommoda evitanda.

QUÆSTIO XVI.

Utrum Miſſionarii rebaptizent licitè Infantes, quos putant dubia Forma fuiſſe baptizatos, etiamſi in mortis periculo non verſentur: vel Adultos, qui ſunt erroneè inviti?

83. RESP. Ad utrumque affirmativè.

84. Prima Pars, quam docet Joannes Vezuix Ord. Prædic. in ſuo Paſtor. Miſſionar. Trac. 6. art. 13., ſuadetur. Quia ſtante Forma dubia, Baptiſmus ille anceps eſt; adeoque Puer ille in periculo gravi, etſi non extremo, verſatur ſalutis æternæ; ergo Miſſionarius, ſub Benedictionis, aut medicamenti prætextu, illum ſub conditione denuo baptizans benè agit, & utiliter negotium ſalutis æternæ erga Puerum gerit.

85. Secunda quoque Pars patet. Nam hujuſmodi Chriſtiani reſpuentes hunc ſecundum Baptiſmum primi reparativum non ſunt Baptiſmum nolentes, ſed ſimpliciter volentes, quem libenti animo ſuſcepetunt adulti, vel ipſum in infantia ſuſceptum, uti ritè ſuſceptum ratihabent; ergo in Baptiſmum verum Chriſti, quem vera Eccleſia tribuit, conſentiunt; igitur conſentiunt quoque in ſecundum Baptiſmum ſub conditione collatum, etiamſi renuere videantur. In tantum enim reſpuunt hunc ſecundum Baptiſmum, quia putant erroneè, priorem eſſe licitum, ſeù ritè collatum; iſte autem error non tollit conſenſum ſimpliciter in verum Chri-

ſti

ſti Baptiſmum; cum enim error privatus ſit, non contradicit intentioni, qua volunt Baptiſmum Chriſti ſimpliciter, eo pacto, quo Baptiſmus collatus ab Hæreticis intendentibus baptizare juxta intentionem veræ Eccleſiæ, uti validus ſuſtinetur, etiamſi intendant excludere Romanam Eccleſiam, quæ ſola eſt vera Dei Eccleſia; ergo, etſi repugnare videantur, iſti ſecundo Baptiſmo conſentiunt, imò quærerent, ſi ſci ent invaliditatem prioris; ergo eos decipiendo benè Miſſionarii agunt, latenter ſub aliena ſpecie, ſub conditione denuò baptizantes.

86. Opponunt. Filios Chriſtianorum dubia Forma baptizatos ſub cura Parentum Hæreticorum, aut Schiſmaticorum degere; adeoque in falſa Secta manſuros, cum Religionis, & Baptiſmi prophanatione: at hoc non ſemper ſequitur, cum poſsint iſti Pueri eſſe Filii etiam Catholicorum: vel ſi Schiſmaticorum, facile poſſunt converti, uti de facto convertuntur, & multi mero errore materiali ab Eccleſia ſunt diviſi, qui tamen invalidè baptizati perirent. II. Baptizare Pueros, invitis Parentibus, malum eſt; ergo etiam rebaptizare Forma dubia exiſtente. Hoc tamen parum officit, cum illi, de quibus loquimur, ſint Catholici, aut Schiſmatici, vel Hæretici, qui omnes Eccleſiæ ſubduntur; & propterea, etiam ipſis invitis, eorum Filii ſicut poſſunt baptizari, ita quoque rebaptizari, ſi Baptiſma ſit invalidè, vel dubiè collatum; nec ſemper ipſis invitis, ſed ignorantibus, rebaptizantur ſub conditione.

87. Quæres, An Miſſionarius detectam Baptiſmi invaliditatem Baptizato aperire debeat?

88. Reſp. Teneri, ſivè malè Baptizati monitio-

nitione ſint benè uſuri, ſivè non. Ratio eſt, quia verſantur in graviſſimo diſcrimine perditionis æternæ, cum abſque verò Baptiſmo decedere poſſent, ſine quo ſalutem æternam numquam conſequentur, & hoc adeo verum eſt, ut licet Baptiſmus Fluminis, vel Sanguinis interdum ſufficiat, ſi tamen Baptiſmus Fluminis haberi poſſit, & negligatur, aut reſpuatur, ſalus æterna nequaquam obtinetur, de Conſecrat. Diſt.4. Cap. *Baptiſmi vicem*, Triden. ſeſs.7. cap.4., & Scholaſtici conſentiunt. S. Thom. 3. Part.Quęſt.66. art.11.Alenſ. Quęſt.8. Memb. 9. art.4. Doct. Subtil. 4. Diſt.4. Quęſt.6. Igitur tenentur Miſſionarii, eos monere ſivè benè, ſivè malè monitis uſuros, cum ex parte Summi Pontificis Paſtorali munere fungantur, quibus ſtrictior obligatio incumbit, quam ſimplici Confeſſario.

QUÆSTIO XVII.

Utrum Miſſionarii poſſint, invitis Parentibus & Dominis, Filios, atque Servos baptizare, qui ſcientes, & volentes, Baptiſmum petunt?

89. Reſp. poſſe. Ratio eſt, quia in iis, quæ ſalutem æternam, & ſtatum proprium reſpiciunt, unuſquiſque ſui juris eſt, neque à Patria, aut Dominorum pendet poteſtate, Cap. *Cum Virum*, de Regul. ac docet S. Thom.2. 2. Quæſt. 189. art.10 Hinc Matrimonia, invitis Parentibus, ac Dominis, à Filiis, & Servis contracta, uti valida ab Eccleſia ſuſtinentur, ex Mogun. IV. cap. 37. Triden. ſeſs.24. de Refor. cap.1. de Conjug. Servor. cap.1. Filii quoque ad Profeſſionem capeſſendam,

dam, invitis Parentibus, admittuntur, & Profeſſio ſuſtinetur, ex S. Thom.2.2. Quæſt. 101. art.1., & Cajetan. ibidem, Aliiſque pluribus apud Layman. Lib.4. Trac.5. cap.4., niſi ſint Impuberes, quibus ex Legis præſumptione, ſicut interdicitur Matrimonium contrahere de præſenti ob defectum uſus rationis, ita religioſa vetatur Profeſſio, nec ſubſiſtit, niſi ratificetur ætate congrua, de Regul. Cap. *Significatum*; aut eorum auxilio Parentes indigeant extremè, ergo, invitis Parentibus, Filii uſu rationis gaudentes Baptiſmum ſuſcipere poſſunt, qui nullum ex his impedimentis inducit.

90. Opponitur. Nam Filii, tametſi uſu rationis utentes, adhuc ſunt ſub Patria poteſtate, donec emancipentur, & Servi ſub Domini facultate, ob quam Religionem ingredi non poſſunt, ipſis invitis, à quibus intra triennium repeti poſſunt, cum rebus, quæ attulerunt, Cap. *Si quis incognitum* 17. Quæſt. 2.& Cap. *Generalis* Diſt.54., nec poſſunt ad Sacros Ordines admitti, niſi manumittantur, Diſt.54. Cap. *Nullus*. Adeſt quoque periculum ſubverſionis, quouſque maneant ſub poteſtate Patris, aut Domini infidelis, à qua per Baptiſmum non eripiuntur; ergo Filii, & Servi baptizari non poſſunt, Parentibus, aut Dominis ivitis.

91. At iſta non urgent. Nam verum quidem eſt, Pueros etiam ratione utentes, & Servos eſſe ſub Patris, aut Domini poteſtate, diverſimodè tamen: nam in ſtatu Infantiæ carentes uſu rationis, quo eligere veram Religionem poſſint, reſervatur Parentibus, aut Dominis, quibus eorum incumbit educatio, Symbolum illis exquirere, quo veram Religionem aſſumant: at quando ſunt doli capaces, ſicuti ex ſemetipſis veritatem Fidei prædicatæ diſcernere poſſunt,

ita quoque Symbolum ejuſdem liberè queunt aſſumere, cum cura ſalutis æternæ capeſſendæ ad unumquemque pertineat. Idcircò autem Servi, Dominis invitis, in Religione profiteri nequeunt, quia Status Regularis eſt omninò cum ſervitute imcompoſſibilis. Vota enim ſolemnia emittentes in omnimodam Prælati Regularis tranſeunt poteſtatem, 16. Quæſt. 2. Cap. *Abbates*; itaut voluntas Monachi arbitrio Superiorum tradatur, Cap. Final. de Sepul. in 6. Baptiſmus autem minimè ſervituti opponitur, à qua non eximuntur; imò jubentur à Lege Chriſti, Dominis ſuis perfectam obedientiam, atque ſubjectionem exhibere. Hinc Eccleſia ad Clerum Servos non admittit, niſi manumiſſos; cæterum, ſi admittantur, ſtatim libertatem aquirunt, etſi Domino ſatis fieri debeat, Diſt. 54. Cap. *Si Servus*. Quantum verò ad periculum ſubverſionis, utique adeſt: at cavere illud poſſunt, vel exeundo à Domo Patris, aut Domini, ſi facultas ſuppetat; vel iis præſidiis muniendo, quæ à Fide Orthodoxa miniſtrantur, ut illecebras Sæculi, malaſque pravorum hominum inſidias eludant, ac Fidem veram, quam amplexi ſunt, immaculatam cuſtodiant.

QUÆSTIO XVIII.

Utrum Baptiſmus apud Orientales non in indicativo, ſed in infinito modo his verbis collatus: Baptizare in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *ſit validus?*

92. RESp. Baptiſmum hunc eſſe dubium, ac proinde ſub conditione iterandum.

93. Ducor autem, Quia Forma, quam docuit

docuit Chriſtus Dominus, & Apoſtoli tradiderunt, & Concilia firmarunt, præſertim Floren. in Iſtruc. Armen., & Triden. ſeſs. 7. Can. 4. reſtringit ſignificationem ſuam ad tempus præſens, non futurum, aut præteritum, dicendo: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: vel ut dicunt Græci: *Baptizetur Servus Chriſti, in Nomine &c.* ergo quocumque alio pacto Baptiſmi Forma exprimatur, cum variet ſenſum ſubſtantialem, vel ſaltem de hoc gravem ingerat ſuſpicionem, ille Baptiſmus aut invalidus, aut ſub conditione iterandus.

94. Secundo. Forma exprimere debet ex præcepto Chriſti paſſionem Recipientis Baptiſma, & actionem Miniſtri baptizantis, vel in ſeipſa, vel æquivalenter, ex Doc. Subtil. 4. Diſt. 3. Quæſt. 2. §. 3. & ſentiunt communiter Theologi, apud Laym. Lib. 5. Trac. 2. Cap. ... Si autem proferatur in infinito, non ſignificatur actio Miniſtri, & paſſio Baptizati, vel ſaltem dubiè exprimitur; ergo &c.

95. Tertio. Ut Baptiſmus validè conferatur, vel ſaltem de illo minimè ambigatur, actio ſignificata per Formam determinata eſſe debet, qua denotetur quid fiat hic, & nunc, non quod fiet, vel factum eſt, ut videmus in cæteris Sacramentis contingere: at per verba prolata modo infinito non ſignificatur, niſi actio in genere, indeterminatè, & confusè; ergo ſicuti Forma illa nullum, vel ſaltem dubium ſenſum habet, ita quoque Baptiſmus eâ collatus invalidus eſt, aut dubius; adeoque ſub conditione repetendus; exoticus quippe eſt ab uſu, & ſenſu univerſalis Eccleſiæ, idem ſemper quoad ſubſtantiam in Baptiſmo, cæteriſque Sacramentis conferendis exactè ſervantis.

96. Si

96. Si tamen ad ly *Baptizare* in infinito adderetur *Te*, & *Ego*, ut ſenſum faceret: *Ego Te baptizare*, videtur poſſe ſuſtineri; æquivalenter quippe diceretur, quod in Forma communi exprimitur.

97. Quod autem objicitur; idem ſignificari dicendo: *Baptizare*, ac *Ego te baptizo*, & in imperativo valere dicendo: *Baptizare*; ergo etiam in infinito, ſicut valere videbitur in præterito, aut in futuro; non tollit difficultatem. Nam quamvis Nationes illæ idem intendant ſignificare in infinito, & in præſenti; non tamen verba illa ex ſe ſunt nata ſignificare: non ſufficit autem intentio ad Formam verificandam, ſed requiritur id ſignificari vi ſermonis, alioquin numquam diſputaretur, an lingua aliqua poſſet exprimi Forma Baptiſmi, aut aliorum Sacramentorum. Nec valet, ut ſupponit objectio, Baptiſmus collatus Forma in optativo, aut præterito, aut futuro, ſed ſolummodo imperativo, eo quia tunc exprimitur actio præſens Miniſtri, & paſſio Recipientis. Quoniam autem hæc omnia deſunt in caſu noſtro, nec quidquam certi exprimitur, Baptiſmus hujuſmodi ſub conditione videtur repetendus.

QUÆSTIO XIX.

An Miſſionarius poſſit baptizare Infidelem ſurdum, & mutum à nativitate?

98. Reſp. Si præcedere potuit inſtructio congrua credendorum; poſſe; secùs, minimè;

99. Prima Pars patet. Quia Surdus, & Mutus capaces ſunt Baptiſmi, ſi rectè inſtruantur, uti fieri poteſt: non enim verba requiruntur, ſed

ſed nutus, aut ſcriptura, quibus conſenſus exprimatur; ſicuti neque ad Confeſſionem Sacramentalem, aut Matrimonium exigi, ſed ſignum ſenſibile ſufficere, quibus peccata, aut conſenſus aperiantur, tradit cum Suis Doct. Subtil.4. Diſt.17. Quæſt. Unic. §. *Ad aliud*, & eſt communis; ergo ſicuti queunt peccare, ſi ſint Adulti, ita, poſita inſtructione, poſſunt juſtificari, & baptizari.

100. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Quia, niſi præcedat inſtructio eo modo, quo eſt poſſibilis, addiſcere nequeunt ſcitu neceſſaria, ſivè ad credendum, ſivè ad agendum; elicere non valent actus Fidei, Spei, & Charitatis, quibus diſponuntur ad Baptiſmum dignè ſuſcipiendum; adeoque neque illis Baptiſmus conferendus eſt, qui nihil in ipſis ageret, niſi impreſſionem Characteris, ac malè ſe gereret, ſi quis illum conferret, Sacramentum fruſtrationi, & irreverentiæ exponendo.

101. Quæres I. An conferri debeat Baptiſmus illi, qui nec peteret, nec Baptiſmum reſpueret?

102. Si nullà ante ſigna præbuerit voluntatis Baptiſmum cupientis, non poſſe conferri. Ita Doct. Subtil.4. Diſt.4. Quæſt.4. cum Suis. Ratio eſt, quia requiritur in Suſcipiente, qui uſu pollet rationis, conſenſus ſaltem habitualis, alioquin videretur illud contemnere, ex Innoc.III, Cap. *Majores*, De Baptiſ. Si tamen conferretur, ab Eccleſia pro ritè Baptizato haberetur, & cogeret ipſum ad Leges ſuas obſervandas.

103. Quæres II. An Amentes adulti Infidelium, & Hæreticorum baptizari debeant?

104. Reſp. Amentes à nativitate nullis lucidis intervallis gaudentes, uti præſumptione

ſegis Pueris comparantur, ita eodem modo cum ipſis in Baptiſmate agendum eſt: baptizari igitur poſſunt, ſicut Infantes, ut eorum æternæ ſaluti conſulatur, uti ſentiunt communiter Doctores.

105. Qui verò lucida poſsident intervalla, etſi durante amentia ob defectum intentionis baptizari nequeant, rationis tamen uſu adepto, baptizari minimè interdicuntur: requiritur tamen, ut ipſum petant, dum ratio viget, vel antequam in amentiam inciderent, poſtulaverint, aut deſiderium oſtenderint, Cap. *Majores*, de Baptiſm.; etſi non deſint, qui ſufficere credant, nullum ante inſaniam actum contrarium oſtendiſſe; quod profectò minùs tutum eſt.

QUÆSTIO XX.

Utrum validus, & licitus ſit Baptiſmus, dum à Miſſionario Formam proferente Puer in extremis conſtitutus ob defectum aquæ in Flumen projicitur?

106. RESp. Baptiſmum hunc invalidum, & illicitum eſſe. Ita Doct. Subtil. 4. Diſt. 4. Quæſt. 3. §. *Ad Quæſtionem* in Corol. *Ex hoc ſequitur*.

107. Prima Pars oſtenditur. Quia de natura ſua intrinſeca Ablutio baptiſmalis non ordinatur ad mortem, ſumpta analogia internæ ablutionis cum externa: hæc autem non ordinatur ad mortem, ſed ad ſordes abſtergendas; ergo neque Ablutio baptiſmalis; adeoque in tali caſu cum ab inſtitutione exorbitet, nihil operatur; ergo Baptiſmus ille invalidus eſt.

108. Secundò. Hujuſmodi ablutio, præter-

terquam ab Eccleſiæ uſu, ac ſenſu abhorret, non fit à Miniſtro Materiam applicante, dum Forma profertur; dicitur enim: *Ego te baptizo*, idest *Te abluo*, ſicut dicendo: *Te abſolvo*, ſignificatur actio Miniſtri abſolventis: at Infanti in Mari demerſo nulla actio proxima Miniſtri apparet; non enim verè abluit, niſi nimium remotè; ergo hæc merſio non meretur nomen Ablutionis baptiſmalis, quæ immediatè a Miniſtro proficiſci debet, ſicut immediatè Forma profertur; igitur &c.

109. Secunda quoque Pars liquet. Nam mala non ſunt facienda, ut veniant bona: at hoc contingeret in caſu propoſito: nam projiciens Infantem non baptizatum in Mare, aut Flumen, eum necat, ſicut necaret, ſi eum projiceret baptizatum: at hoc pacto eum occidit, quod intrinſecè malum eſt; ergo non poteſt licitè Miniſter Puerum in Flumen projicere, ut baptizet, alioquin liceret quoque Puerum baptizatum occidere, ut cœleſtem conſequatur Beatitudinem, quod tamen nemo ut licitum admittit.

110. Arguitur in oppoſitum. Hujuſmodi Baptiſmus Materiam, Formam, & Intentionem Miniſtri continet; ergo eſt validus, etſi Miniſter immediatè non abluat, cum Ablutio paſſiva, non autem activa ſit conſtitutiva Baptiſmi, juxta Doct. Subtil. 4. Diſt. 6. Quæſt. 2. §. *Ad ſecundum*. Nec tollitur validitas illius Baptiſmi, eo quia Infans necatur: nam necaretur quoque, ſi baptizaretur aqua venenata, & tamen validus eſſet Baptiſmus.

111. At hæc nihil proſunt objicientibus. Non enim ſufficiunt Materia, Forma, & Intentio Miniſtri, ſed requiritur etiam congrua applicatio per modum veræ, & naturalis ablutionis;

nis: hæc autem deeſt in caſu, cum ſubmerſio non ſit vera Ablutio paſſiva ex parte Baptizati, dependens ab activa ex parte Miniſtri; adeoque nec verificatur Forma ad Materiam relata, quidquid Suarez, Vaſquez, & Alii clament apud Maſt. noſt. 4. Senten. Diſp. 2. Quæſt. 2. art. 1. n. 38. Ablutio autem paſſiva eſt conſtitutiva Baptiſmi, ſed relatè ad activam, qua Materia applicatur, ut notat ibidem Subtilis; igitur Ablutio ſubmerſiva non eſt illa, de qua ipſe loquitur, ſed longè diverſa; idcircò autem validè baptizatur aqua venenata Infans, eoquia Ablutio illa ſecundum ſe nata eſt ad Corpus abſtergendum, & modo fit connaturali, & eodem pacto Forma profertur, etſi per accidens occidat: at demerſio per ſe occidit, nec, niſi mediatè, & improbriè applicatur.

112.[2] Quantum ad ſecundam Partem, quod opponitur, nempe ex duobus malis minùs eſſe eligendum, quod eſt ſubmerſio Pueri, vaniſſimum eſt: nam majus malum eſt, Puerum demergere, quod grave peccatum eſt, quam omiſſio Baptiſmi, quæ pura pœna eſt originalis peccati, non ex ſe mala, utpote culpæ ordinativa, uti notat acutè Subtil. 4. Diſt. 14. Quæſt. 1. *de Secundo*, juxta Auguſt. 1. Retrac. cap. 25. quoties abſque culpa Miniſtri contingat.

QUÆ-

QUÆSTIO XXI.

Utrum hæc Forma baptiſmalis nonnullorum Orientalium valeat : Ego eum lavo : Tu cum tuo Spiritu eum baptiza in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ?

113. RESP. Poſſe ſuſtineri. Ducor, quia nihil ipſi deeſt : non Materia, nempe aqua naturalis : non Forma ; habetur enim illa, qua Eccleſia utitur, nempe : *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* ; vox enim *lavo* idem ſonat, ac *baptizo* ; ergo ſicuti dicendo : *Ego te baptizo*, validus eſt Baptiſmus, ita dicendo : *Ego te lavo*.

114. Nec verba ſuperaddita : *Tu cum tuo Spiritu eum baptiza*, Baptiſmum labefactant ; cum enim ſenſum Formæ nequaquam mutent, ſed ſolummodò innuant, effectum Baptiſmi à Deo tantum pendere, tamquam à cauſa principali, ejuſdem validitati minime officiunt, juxta Doct. Subtil. 4. Diſt. 3. Quæſt. 2. §. *De ſecundò* ; nec cæteri Theologi diſſentiunt, apud Maſtr. noſt. Theol. moral. Diſp. 16. Quæſt. 2. art. 2. n. 16.

115. Ratio dubitandi, eo quia Ablutio videtur materialis, cum ejus effectus non ad ipſam, ſed ad Deum referatur, omnino tollitur, dicendo ; quod Ablutio, de qua eſt ſermò, non opponitur Baptiſmo, quod adſcribitur Deo : ſed ſolummodò innuitur, effectum Baptiſmi principaliter Deo, inſtrumentaliter Miniſtro convenire ; hoc autem non tollit, quin illa Ablutio ſit verè ſacramentalis.

116. Quæres, An iterari debeat Baptiſmus, in quo diceretur : *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti* ?

117. Reſp. Negativè cum Concil. Tolet. & Aliis, quos dat Maſt. noſt. loc. cit. Nam quamvis non ponatur particula &, Perſonæ tamen omnes exprimuntur, nulla excluſa, ſicuti excluderentur, ſi diceretur: *Ego te baptizo in nomine Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti*. Quamvis autem omittatur particula &, denotans Baptiſmum fieri in Nomine omnium Perſonarum diſtributivè; ejus tamen omiſſio non denotat fieri disjunctivè, adeoque Baptiſmum minimè labefactat.

QUÆSTIO XXII.

An validè baptizetur Puer contagio infectus, profundendo ſuper ipſum vas aquæ in ſummitate arundinis poſitum, dum Forma profertur?

118. RESP. Affirmativè. Ducor autem. Quia nihil ipſi deeſt ad validitatem. Non quidem Materia remota, nempe aqua naturalis, hæc quippe ſuppetit: neque proſſima, nempe Ablutio paſſiva, cum verè Puer abluatur: neque activa ex parte Miniſtri; hic enim mediante inſtrumento Puerum lavat: neque enim opus eſt, immediatè Baptizandum à Miniſtro abſtergi, ſed ſufficit mediante vaſe, quo aqua ſuper initiandum infunditur, juxta Eccleſiæ praxim in iis Locis, in quibus non merguntur Pueri in aqua, ſed ea potius ſuper caput infunditur Infantis, ex Ritual. Paul. V. tit. de Baptiſ.

119. Tota igitur difficultas ad diſtantiam reducitur, quæ tamen juxta longitudinem arundinis non eſt tanta, ut tollat veritatem Formæ, quæ enuntiari debet; adeoque non tollit ſimul-

ſimultatem cum Materia ad validitatem neceſſariam; tanta quippe requiritur ſimultas, quantam requirit compoſitum: hoc autem, cum ſit morale artificiale, moralem quoque requirit ſimultatem, qualem cenſeo in caſu.

120. Et ſanè non videtur major diſtantia localis requiri, ut verificetur hæc propoſitio: *Ego te baptizo*, quam ad hanc; *Ego te interficio*: ad hanc autem non opus eſt ſimultate phyſica locali; qui enim glandem in corpus hoſtis jaculat, verè interficit, nec tamen ipſi immediatè localiter eſt præſens; ergo ſimiliter verè baptizat, qui per arundinem corpus Initiandi, Forma prolata, abluit.

121. Argumentum, quod adducitur, deeſſe inter Patientem, & Agentem ſimultatem neceſſariam ad Sacramentum, eo modo, quo non adeſſet inter applicantem Materiam, & proferentem Formam, ſi horæ quadrans flueret. Dico falſum eſſe, ut in Reſolutione dictum eſt; datur quippe ſimultas medio inſtrumento inter Agentem, & Patientem, quos moraliter unit, quod dici non poteſt de mora unius quadrantis, quæ inter Formam, & Materiam intercederet.

QUÆSTIO XXIII.

An Miſſionarius benè ageret, conferendo Infideli adulto in agone mortis conſtituto Baptiſmum, quem antea poſtulaverat; etiamſi nulla, vel ſaltem dubia Pœnitentia præceſſerit?

122. Reſp. Abſolutè conferendo malè ageret; benè autem ſub conditione.

123. Prima Pars evincitur. Quia conferre Sacramentum illi, qui putatur indiſpoſitus,

malum eſt; exponitur quippe prophanationi, atque fruſtrationi quoad effectus Sanctificationis, quos intendit in Animam inducere: at Infidelis, de quo eſt ſermo, etſi ante Baptiſmum poſtulaverit, apparet indiſpoſitus, cum Pœnitentia non eluceat præcedentium peccatorum, quæ in Adultis, præter Fidem, & Spem, neceſſaria eſt, ſive attritio ſit, ſivè contritio, ex D. Th. 3. Part. Quæſt. 68. art. 4., & Doct. Subtil. 4. Diſt. 4. Quæſt. 5. 6. *Reſpondeo*, Scriptura Divina præeunte Act. 2. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*. Et firmant Conc. Carthag. IV. cap. 52. Trid. ſeſs. 4. cap. 1., & ſeſs. 6. cap. 6.; ergo cum hac indiſpoſitione malè baptizatur.

124. Quamvis autem Adultus cathecumenus carere poſſit mortali, quo caſu Pœnitentia non videretur neceſſaria, quia tamen in Infideli militat oppoſita præſumptio, idcircò temerè à Miſſionario abſolutè baptizaretur.

125. Secunda quoque Pars oſtenditur. Nam ſtante dubio de congrua diſpoſitione, ſi Baptiſmus conditionatè conferatur, occurritur periculo prophanationis, & fruſtrationis Sacramenti; quo pacto in dubio iterati Sacramenti agendum eſſe, dixit Alexander III., extra de Baptiſm., & ejus effectu; ergo ſub conditione baptizando Infidelem illum benè ageret Miniſter Apoſtolicus, qui idipſum facere deberet, etiam in defectu aliarum diſpoſitionum, nempe Fidei, Spei, & Amoris, quæ ex Triden. ſeſs. 6. cap. 6. ad fructuoſum Baptiſmum requiruntur.

126. Obji. contra primam Partem. Tumquia Cathecumenus petens Baptiſmum, Pœnitentia nequaquam præmiſſa, videtur ſufficienter diſpoſitus, cum vitæ novæ profeſſionem

pol-

polliceatur ; hinc Act. 8. Philippus Diaconus nihil aliud ab Eunucho Reginæ Candacis exegit, præter Fidem, ut eum baptizaret ; continetur quippe virtualiter in propoſito Baptiſmi ſuſcipiendi : Pœnitentia enim neceſſaria eſt Baptizatis, non Baptizandis, ex Auguſt. de ver. & fal. Relig. cap. 8. Tumquia ſi Pœnitentia præcedere deberet, regeneratio Pœnitentiæ adſcriberetur, & ſic Baptiſmus non produceret Gratiam ex opere operato, quod opponitur Trid. ſeſs. 7. cap. 8.

127. Adverſus ſecundam Partem adducitur, Miſſionarium eſſe certum de voto, & poſtulatione Baptiſmi, etſi dubitet de Pœnitentia moribundi ; ergo non baptizat indiſpoſitum ; ergo licitè baptizat, etiam citra conditionem, cum in dubio propendere debeat in partem Animæ faventem, maximè in articulo mortis, in quo Pœnitentia præſumitur.

128. Reſp. ad objecta contra primam Partem, non ſufficere profeſſionem vitæ novæ ad Baptiſmi validitatem, ſed requiri, præter alias diſpoſitiones, deteſtationem antiquæ, alioquin quicumque fictus dignè Baptiſmum ſuſciperet. Idcircò autem Philippus Diaconus ab Eunucho Fidem exegit, quia omnium diſpoſitionum eſt principalis, cum, ſine ipſa, impoſſibile ſit placere Deo : cæteræ verò non negantur, ſed ab iis præſcinditur, quæ aliis locis Scripturæ innoteſcunt. Auguſtinus verò aut loquitur de Pœnitentia Sacramento, non Virtute : vel de iis, qui peccatis lethalibus carent ; vel de Pœnitentia ſatisfactoria, quæ Baptizatis tantum convenit, non Baptizandis, quorum etiam quoad reatum pœnæ in Baptiſmo delentur. Ultimum leviſſimum eſt. Tumquia non requiritur in Baptiſmo Pœnitentia perfecta per actum contritionis, ſed ſufficit attritio ex metu gehennæ ;

 vel

vel ex aliis ſimilibus motivis concepta, ex Trid. ſeſs. 14. cap. 4., & tenent probabilius Doctores apud Maſt. noſt. 4. Sent. Diſp. 2. Quæſt. 5. art. 2. Hinc patet Baptiſmi fructus eximius. Tumquia, etſi requireretur perfecta Contritio, uti plures Alii cenſent, adhuc Baſptimus neceſſarius eſt, & agit ex opere operato: Contritio enim illa nihil agit, niſi cum voto efficaci Baptiſmi neceſſarii in re, vel in voto ad Vitam Æternam conſequendam, ex eodem Triden. ſeſ. cit. & 14. cap 4.

129. Quod adverſus ſecundam Partem opponitur, parum officit. Nam votum, & poſtulatio Baptiſmi non inferunt diſpoſitiones neceſſarias, ut videmus in fictis; ergo dubitans de diſpoſitione moribundi, non poteſt illum licitè baptizare, exponendo Sacramentum periculo fruſtrationis, & irreverentiæ, quod quidem neque in articulo mortis faciendum eſt, ſed Charitati ſufficienter ſatisfit, baptizando ſub conditione.

QUÆSTIO XXIV.

An Miſſionarius Infideles ſua prædicatione converſos validè, ac licitè aſpergendo baptizet?

130. Reſp. Baptiſmum aſpergendo partem principalem ita notabiliter, ut guttæ diffluant, validum, ac licitum eſt. Ita Doct. Subtil. 4. Diſt. 4. Quæſt. 3. §. *Ad Quæſtionem*, cum Suis, & Aliis, ut Vaſquez, Henriquez, Averſa, Caſpenſis.

131. Ratio primæ Partis eſt. Quia Eccleſia non reſpuit aſperſionem, ſicuti nec infuſionem, ex Ritual. Rom. §. *De Forma Baptiſmi*, etiamſi merſio ſit omnibus tutior; ergo, cogente neceſ-

neceſsitate, validè facit Miniſter per aſperſionem baptizando: ſi verò partem principalem, v.g. faciem, abluat, homo dicitur abſolutè ablutus; ergo cum per aſperſionem pars principalis poſsit ablui, guttis aquæ fluentibus, adeoque vera fieri Ablutio per Formam expreſſa, validum quoque confertur Sacramentum Baptiſmi.

132. Et profectò cum Act.2. tria milia Hominum die Pentecoſtes baptizata referantur, non eſt credibile à paucis adeo Miniſtris, nempe duodecim Apoſtolis, Baptiſmum merſione, aut infuſione fuiſſe collatum; ergo per aſperſionem, qua pars principalis aquæ guttis perfundebatur ſucceſsive diſcurrentibus. Quod verò totum corpus minimè abluatur, non tollit validitatem: nam etiam per infuſionem ſolum caput abluitur, cum tamen de talis Baptiſmi validitate nequaquam ambigatur, etſi aqua externam ſolummodò cutem, & capillos perfundat.

133. Dixi autem: *Partem principalem, ablui oportere per guttas ſucceſſivè defluentes*. Nam non dicitur Perſona ablui per partem minùs principalem, neque per paucas guttas, quæ ſucceſſivè partes aliquas corporis minimè perfundant, ex Bonac. Laym. Granad. Aliiſque citatis à Maſt. Noſt. 4. Senten. Diſp. 2. Quæſt. 2. art. 1. n. 4.

134. Secunda quoque Pars patet. Nam Miniſter Evangelicus ita baptizando nihil agit reprehenſione dignum, cum hujuſmodi baptizandi ratio ſit tuta; ergo, ut Catechumenos ſtatim Chriſto lucretur, alioquin divertendos, aſpergendo baptizans, benè, & prudenter agit; ſicuti Eccleſia utitur nunc infuſione, etſi trina merſio in Primitiva Eccleſia praxim obtineret; de Conſecrat. Diſt.4. Cap. *Poſtquam Nos*.

 135. Obji-

135. Obji. contrà primam Partem. Tumquia ad Baptiſmum validum requiritur vera Ablutio, quà ſordes Animæ mundentur, cum analogia ad ablutionem, qua corpora mundantur: aſperſio autem non videtur hujuſmodi, cum per ipſam vix aliquæ corporis partes minus principales tangantur; ergo cum in Sacramentis tutior pars ſit eligenda, non videtur poſſe ſuſtineri. Tumquia ad validitatem Baptiſmi corpus ipſum Baptizandi, non autem crines, aut veſtes abluendum eſt: at per aſperſionem veſtes ſolummodò, aut crines abluerentur; ergo non eſt validus hujuſmodi Baptiſmus.

136. Contra ſecundam Partem objici poteſt, Baptiſmum per aſperſionem à Dei Eccleſia exulaſſe, & exponi Sacramentum periculo fruſtrationis, cum videatur impoſſibile tot miriades Hominum in principaliori parte, & quidem ab uno Miniſtro, & brevi tempore, ablui poſſe; ergo, etſi fortaſſe validè, illicitè tamen agit Miniſter Evangelicus baptizando per aſperſionem.

137. Reſp. ad Primum, min. eſſe falſam, aſpergendo faciem, adeout per eam guttæ undatim decurrant ſucceſſiva madefactione, quod ſanè fieri nedum minimè impoſſibile, ſed facillimum eſt; & quidem ſi fiat, ut fieri debet, non confusè, ſed ſingulas Perſonas aſpergendo, quod ſanè tutiſſimum eſt, cum facies, quæ eſt pars principalis Hominis, non pes, aut brachium abluatur. Secundum nimis probat, cum etiam per infuſionem non corpus immediatè, ſed crines in Adultis tangantur, & ipſis mediantibus ipſamet cutis: at in caſu noſtro iſta difficultas non urget, cum facies ipſa aſpergi debeat, non quomodocumque, ſed ita ut guttæ undatim per faciem defluant; quo pacto dici-

tur

tur homo ita verè ablutus, ſicut per infuſionem, ſive capilli dicantur Anima rationali informati, ſivè non.

138. Ad id, quod adverſus ſecundam Partem opponitur, dico, aſperſionem in Dei Eccleſia non eſſe quidem in uſu: attamen non reſpui veluti indecoram, ſicut tempore S. Gregorii Magni Lib. 1. Epiſt. 4. trina quidem merſio erat in uſu, nec tamen una tantum repellebatur, cum in utraque veritas Sacramenti ſalvaretur, ex Tolet. IV. Cap. 5. Neque eſt impoſſibile ab homine ſolerti, labore improbo, plures miriades Hominum ſacris undis per aſperſionem, & quidem brevi tempore initiari, cum ſciamus die Pentecoſtes tria millia Hominum ab Apoſtolis fuiſſe baptizata.

QUÆSTIO XXV.

An Catholicus in Baptiſmo ſolemni erga Puerum à Schiſmaticis ſibi oblatum Patrini munus exercere queat?

139. Reſp. Non licere. Ita Sac. Congreg. de Prop. Fide 1642., & tenet Thomas à Jesù de Conver. omn. Gent. Lib. 3. p. 2. §. 4. Navar. Lib. 1. Conſil. 2. num. 66. Azor. Tom. 1. Lib. 8. Cap. 11. Quæſt. 9. Leſſ. Oper. Poſt. v. *Baptiſmus* caſu 1.

140. Ducor autem I. Quia Baptiſmus ſolemnis eſt actus Religionis, & ipſius publica profeſſio; adeoque Patrinus, ſuſcipiendo Parvulum ipſum, approbat virtualiter Religionem illius, qui ſolemniter Baptiſmum adminiſtrat: at illa Religio falſa eſt, Hæreſi, ac Schiſmate maculata; ergo tacitè falſam exteriùs profitetur Religionem; ergo illicitè munus Patrini exercet.

141. Ne-

141. Neque dicatur, per Baptiſmum nequaquam fieri proteſtationem falſæ Religionis, ſed potiùs veræ, cujus Baptiſmus eſt Teſſera, cum ſit etiam Catholicis communis: hoc enim non tollit difficultatem. Nam Baptiſmus ſolemnis à Miniſtro hæretico, aut ſchiſmatico acceptus, inducit approbationem etiam Miniſtri, ut legitimi; ergo externa fit proteſtatio, veram eſſe Religionem, cujus approbatur ſolemniter, & publicè miniſterium; ergo ſicuti recipiendo ſolemniter Baptiſmum ab Hæreticis, aut Schiſmaticis, approbatur ut legitimum ipſorum miniſterium, ita approbatur quoque publicè, & ſolemniter Schiſma, aut Hæreſis, quam profitentur.

142. Secundò. Patrinus qua talis eſt, profitetur, ſe levatum Puerum in Religione inſtructurum, in qua Parentes ipſum vocantes verſantur, alioquin eum non vocarent: at Patrinus catholicus non poteſt licitè ſpondere, ſe Puerum in Schiſmate, aut Hereſi educaturum: ergo nequit munere fungi Patrini in ſolemni Schiſmaticorum, aut Hæreticorum Baptiſmo.

143. Denique non eſt in Sacris cum Hæreticis, & Schiſmaticis communicandum, niſi ſumma cogente neceſſitate, etiam admiſſo Synodi Conſtantienſis Indulto: at in caſu nulla cogit neceſſitas, cum non deſint Alii, qui poſſint idipſum præſtare; offenſio autem Parentum Parvuli declinari poteſt, oſtendendo nec ſibi licere, nec eis congruere; vel ſi offenſio aliqua incurratur, nec vitari poſſit, contemnenda eſt, ne plus homines, quam Deus ipſe, timeantur.

144. Obji. ex Laym. ſententiam hanc ſuſtinente Lib. 5. Theol. Moral. Cap. 9 num. 6. I. Quia munus Patrini nihil aliud eſt, quam externè

ternè profiteri, & ſuſcipere in curam Baptizatum, ut eum ſpiritualiter inſtruat: hoc autem videtur licitum, etſi Baptiſmus ſolemnis à Miniſtro hæretico, aut ſchiſmatico præbeatur, ad cujus adminiſtrationem ipſe nec minimum influxum habet. Tumquia Baptiſmus Eccleſiæ Orientalis nullum Ritum continet falſæ Religion s expreſſivum; ergo licitum eſt Patrini munus exercere, ſicut in Baptiſmo Catholicorum. Tumquia ſcandalum ingeritur Hæreticis, aut Schiſmaticis, quaſi Baptiſmus eorum in Forma Eccleſiæ collatum irritum ſit, & approbetur Donatiſtarum doctrina, putantium, extra veram Dei Eccleſiam non dari Baptiſmum: Infanti verò nocumentum affertur, qui cum à Patrino catholico veræ Fidei myſteriis inſtrui potuiſſet, relinquitur Schiſmatico falſis Dogmatibus profectò imbuendus. At hæc non cogunt:

145. Ad Primum enim reſpondetur. Præter curam, quæ ſuſcipitur Infantis, adeſſe in Patrino approbationem publicam Baptiſmi ſolemnis à Miniſtro hæretico collati, quæ eſt implicita Hæreſis, aut Schiſmatis approbatio. Adeſt quoque externa promiſsio, facto comprobata, educandi Puerum in Schiſmate, aut Hæreſi: hæc autem omnia mala ſunt; falſum eſt enim, in munere Patrini Hæreticis exhibito nihil dari peccaminoſum, ad quod Patrinus influxum haberet, non quidem explicitum, ſed implicitum, & approbativum.

146. Eodem pacto ſolvitur ſecundum. Nam etſi Baptiſmus Eccleſiæ Orientalis nihil in ſe pravi contineat, continet tamen miniſterium publicum Parochi hæretici, aut ſchiſmatici, qui illo Baptiſmate Sectam ſuam, ut veram Eccleſiam, publicè ſuſtinet, cum ſe veluti legitimum Eccleſiæ Miniſtrum oſtentet.

147. Ter-

147. Tertium minimè urget. Nam Orientales Sectarii numquam Pueros ſuos Catholicis præbent, publicè, aut privatim baptizandos, quin ſcandalum timeant, doctrinam Donatiſtarum ab eis approbari: non enim hoc timendum eſt, cum hujuſmodi aſsiſtentia denegetur, non quia Baptiſmus cenſeatur invalidus, ſed quia illicitè præſtaretur ob rationes adductas. Nec ullum damnum Puer ille incurreret, cum ſub directione Patrini nequaquam permitteretur manere, ſed ſub cura Parentum ſchiſmaticorum.

148. Quæres I. An ad effugienda jurgia, aut verbera, & perſecutiones Mariti ſchiſmatici, liceat Catholicis in privato Baptiſmo vocare Parochum ſchiſmaticum?

149. Reſp. Non poſſe, ſi Parochus ille ſit notorius Schiſmaticus; ſecus verò, ſi publicè, & notoriè non ſit talis.

150. Prima Pars eſt perſpicua. Quia cum præciſo non tolerato nefas eſt, niſi extrema neceſsitate compellente, in ſacris communicare, uti docet Divus Thom. in ſupplem. 3. Part. Quæſt. 25. art. 8., & Doct. Subtil. 4. Diſt. 5. Quæſt. 2. cum Suis. Parochus autem notoriè Schiſmaticus eſt præciſus non toleratus, cum publicitas, vel notorietas Hæreſis, aut Schiſmatis æquivaleant ſententiæ Judicis ferentis cenſuram, ex Lateran. V. ſeſs. 11. §. *Statuimus*, & elicitur quoque ex Cap. *Veſtra*, & Cap. *Quæſitum* de Cohabit., ubi habetur: *Clericos fornicarios non eſſe vitandos in ſacris, niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, ſeù confeſſionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua cælari non poſſit*; ergo non licet illi Mulieri vocare ad baptizandum Parvulum Parochos notoriè

Schiſ-

Schiſmaticos, cum nulla cogat extrema neceſſitas; poteſt quippe accerſire Miniſtros, vel alios Catholicos Sacerdotes, ſi adſint, vel ex ſe baptizare.

151. Secunda quoque Pars oſtenditur. Nam poteſt vocari, urgente neceſsitate, Miniſter toleratus, dum non ſuppetit legitimus, ex Hiqueo noſtro in Commen. ſuper 4. Senten. Scoti, Diſt. 5. Quæſt. 2., videturque colligi ex Bulla Conſtan. *Ad evitanda*: at in caſu noſtro urget neceſsitas, & Paſtor ſchiſmaticus non notorius eſt occultus; ergo licitum eſt illum vocare ad Parvuli Baptiſmum, cum nullum falſum Ritum, ut ſupponimus, in Baptiſmo miſceat; adeoque nec falſam virtualiter Religionem proteſtetur.

152. Quæres II. An Mulier Catholica, etſi prævideat Filium ſuum à Schiſmaticis ſolemniter baptizandum, poſsit ipſum ad Baptiſmum, clam Miſsionariis baptizandum offerre?

153. Reſp. Cum Leſſ. Oper. Poſth. V. *Baptiſmus* Caſu 2. licere, dat quippe operam rei licitæ, dum Puerum legitimis Miniſtris præbet baptizandum: quod enim denuo rebaptizetur, nullum Puero detrimentum infertur, nec Mulier erga Baptiſmi iterationem influxum habet, cum vitare illam non poſsit; Maritus tamen monendus eſſet de Baptiſmate collato, ut à novo abſtineat Baptiſmate, cujus repetitio tunc non Mulieri, ſed Marito eſſet adſcribenda.

154. Quæres III. Utrum iterari debeat Baptiſmus, in quo Aqua roſacea naturali permiſcetur, uti Magnates Orientales facere ſolent?

155. Reſp. Si Aqua roſacea in minori ſit quantitate, quam naturalis, iterari non debere, neque ſub conditione, cum pars minor contineatur in majori aquæ naturalis; *plus enim*

continet quod eſt minus, de Reg. Jur. in 6.; abſolutè igitur aqua naturali fuit baptizatus; adeoque validè. Si verò aqua in æquali portione ſit, tunc, quia revera de validitate dubium eſt, ſub conditione Baptiſma eſt repetendum, eo modo, quo tradit Alex. III. Cap. *de quibus*, de Baptiſm. & ejus effectu.

156. Quæres IV. An ſæviente Infidelium perſecutione, vel peſte graſſante, Cæremoniæ Baptiſmi omitti poſſint?

157. Reſp. breviter. Periculo gravi imminente peſtis contrahendæ, aut incidendi in manus Infidelium ad mortem Dei Miniſtros quærentium, utique Cæremonias, quæ ſubſtantiam Sacramenti non tangunt, omitti poſſe: eum præceptum naturale vitæ ſervandæ prævaleat Eccleſiaſtico de Ritibus ſervandis ad ſolemnitatem Sacramenti. Si verò diſcrimen non ſit adeo proximum, cenſerem, non poſſe citra grave peccatum omitti, cum urgeat tunc Eccleſiæ mandatum de Ritibus ſervandis, qui vel ab Apoſtolica traditione deſcendunt, vel ſaltem à graviſſimis Patribus, & vetuſtiſſimis Conciliis fuere introducti ad Sacramenti decorem, & plura myſteria ſignificanda.

QUÆSTIO XXVI.

An Miſſionarii licitè baptizent Pueros, quos Schiſmaticis Parentes offerunt denuo baptizandos?

158. Reſp. licitè poſſe. Ducor. Quia Miſſionarii Apoſtolici prima vice Infantes ſibi à Catholicis oblatos, vel alia ratione ſibi obvios baptizando, utuntur jure ſuo, & ſuo funguntur munere, ob quod exercendum

dum à Sede Apoſtolicâ mittuntur; ergo licitè agunt.

159. Quod verò Baptizati ab ipſis offerantur à Parentibus iterum ſolemniter baptizandi, nihil officit, cum id ipſi non quærant, nec velint, nec ſuadeant, ipſique Catholici, etſi moniti, ex ſemeptipſis, ut Schiſmaticis placeant, vel odium effugiant, perversè offerunt: bona verò, & quæ ex officio fieri debent, minimè ſunt omittenda, eo quia aliorum perverſitas delinquendi anſam accipiat.

160. Nec verum eſt, quod objicitur, Miſſionarios baptizando Parvulum ſibi oblatum, præbere occaſionem peccandi Parentibus, quos prævident eum Schiſmaticis denuo oblaturos: non enim ullam præbent occaſionem, aut anſam hujuſmodi præſentationis, ſed potius removent, Puerum baptizando ex Parentibus Catholicis progenitum, qui ſcire debent, non poſſe, Schiſmaticis quemquam offerri publicè baptizandum. Prævíſio autem peccati alieni nullam cum actione antecedenti connexionem habentis, non facit eſſe illicitum, quod ex ſeipſo eſt laudabile, & ex officio præſtandum. Tenentur tamen Miſſionarii monere Parentes Parvuli, quem baptizarunt, ne eum alteri præbeant baptizandum. Quo præſtito, quoniam ſecundo Baptiſmo, quantum ad ipſos pertinebat, reſtiterunt, ad nihil aliud obſtringuntur.

CAPUT II.

De Confirmationis Sacramento.

161. Pauca de Confirmatione dubia occurrunt, cum ad Miſſionarios hujus Sacramenti adminiſtratio nequaquam pertineat; neo

nec magnopere frequens ſit ejuſdem uſus, cum Antiſtites inter Infideles vivendi vix facultate fruantur.

QUÆSTIO I.

An omittens recipere Confirmationem, ne à Schiſmaticis accipiat, graviter delinquat?

162. Reſp. negativè. Ratio eſt. Quia licitum eſt, omittere illud, quod non cadit ſub præcepto, etſi cadat ſub conſilio, & ad melius eſſe, ad hoc, ut ſervetur rigidum, & ſtrictum præceptum, ſi ſint incompoſſibilia: at præceptum de vitandis Hæreticis, & Schiſmaticis in re ſacra eſt rigidum, & à Sac. Canonibus ſub pœnis impoſitum: Confirmatio autem non cadit ſub præcepto, niſi per accidens, ſed ſub conſilio, & ad melius eſſe, ex S. Thom. 3. Part. Quæſt. 65. art. 4. Doct. Subtil. 4. Diſt. 7. Quæſt. 2., & eorum reſpectivè Diſcipulis, & Recentioribus communiter; ergo poteſt omitti Confirmatio, ne à Schiſmatico, aut Hæretico Epiſcopo recipiatur.

163. Opponitur. Spretus Sacramenti grave piaculum eſt: at ſperneretur in caſu noſtro, niſi ſumeretur, cum ſuſcipiendi illud ſit mandatum, de Conſecrat. Diſt. 5. Can. *Omnes Fideles*; ergo peccaret ille Catholicus, nolendo illud recipere, etiam ab Epiſcopo Schiſmatico. Tumquia Fideles inter Hæreticos, aut Schiſmaticos verſantes ſunt in perpetua neceſſitate Fidem confitendi, & tentationibus adverſus eam reſiſtendi; ergo tenentur ſumere Confirmationem ad finem hunc inſtitutam, &

auxi-

auxilia præbentem, etiam ab Epiſcopo Hæretico, aut Schiſmatico miniſtratam; ſicut Catechumenus tenetur ſumere Baptiſmum etiam à præciſo, ſi nullus alius ſuppetat Miniſter; ergo Fideles tenentur ſuſcipere Confirmationem etiam ab Epiſcopo Hæretico, aut Schiſmatico; ergo renuentes graviter delinquunt.

164. Reſp. neg. min. Non enim ſpernit, ſed potiùs honore afficit Sacramentum, qui reſpuit, illud à Miniſtro illegitimo accipere. Mandatum porrò, quod innuitur in objectione, non eſt mandatum rei veluti neceſſariæ, ſed utilis, ut patet ex Can. *Spiritus* loc. cit. de Conſecrat., quod quidem ceſſat, occurrente alio fortiori de vitandis in re ſacra Hæreticis, & Schiſmaticis. Aliud verò, quod additur, futile videtur. Nam Confirmatio utique magnum in Fidei tentationibus remedium eſt; at non unicum, cum etiam Euchariſtia vires præbeat ad Fidem coram Tyrannis confitendam, licet non ex primaria inſtitutione: alia quoque dantur adjutoria, quibus humana imbecillitas roboratur, ut Oratio fervens ad Deum, jejunia, preces ad Virginem intemeratam, & alia plura, quibus plerique vix Baptiſmate Chriſto renati Tyrannis obſtitere, atque victoriam de ipſis obtinuere perennem; imò Cathecumeni ipſi plerumque martyrio coronati ſunt.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An in confectione Chriſmatis miſceri valeat Oleum conſecratum non conſecrato pro Unctione Confirmativa?

165. RESp. Morem hunc Orientalium poſſe ſuſtineri, urgente neceſſitate, ſi Oleum non conſecratum ſit in minori quantitate, quam conſecratum.

166. Ducor autem. Quia conſecratio non eſt quid phyſicum, ſed morale, adeoque extendi poteſt etiam ad Oleum non benedictum ſpeciali benedictione; ergo ſicuti Eccleſia, etſi novis fabricis augetur, dummodo antiqua minimè diruatur, nova conſecratione non indiget, Cap. *Si motum fuerit*, Cap. *Eccleſiis* de Conſecrat.; & aqua non benedicta ex additione ad benedictam Benedictionem aquirit, ex S. Thom. 3. Part. Quæſt. 77. art. 8. ad 3.; ita conſecratio, quæ ſufficit ad priores partes Olei, extenditur etiam ad poſteriores, eo quia, ut ait Gloſs. in Cap. *Quod in dubiis* de Conſec. Eccleſ.: *Quæ Religioni adhærent, Religioſa cenſentur*, Item; *magis dignum trahit ad ſe minus dgnum*.

167. Hac fortaſſe ratione motus Catechiſmus S. Pii V. de extrema agens Unctione, & Concilium Provinciale Mediolanenſe ſub S. Carolo Borromeo 1576. celebratum diſponunt, cogente neceſſitate, Oleum non conſecratum conſecrato, in minori tamen quantitate, miſceri, uti quoque in aliis Synodis, preſertim Hiſpanie ſancitum eſt, apud Cardenas Diſſert. 7. cap. 1. Criſ. Propoſ. ab Innoc. XI. proſcript.; ergo hujuſmodi mixtio licita eſt.

168. Di-

168. Dixi autem: *Si additum ſit in minori quantitate*, quia ita deciditur in citatis Decretis Catechiſmi Romani, Sancti Caroli Borromei, & Sanc. Inquiſit. Rom. 1682. ad preces Archiepiſcopi Hiſpalenſis editis; ſi enim eſſet in æquali portione, Sacramentum aut nullum eſſet, aut dubium, adeoque ſub conditione iterandum.

169. Obji. Oleum, quod eſt materia Conſecrationis, debere eſſe totum conſecratum, ne Sacramentum periculo fruſtrationis exponatur; ſi autem pars Olei non conſecrati apponeretur, non eſſet totum conſecratum; ergo non licet apponere partem Olei non conſecrati.

170. Ulteriùs illicitum eſt Pani triticeo, quod eſt Euchariſtiæ materia, aliud genus frumenti adjicere, eo quia tunc non eſſet triticeus ſimpliciter; ergo etiam illicitum eſt Oleo benedicto non benedictum miſcere, cum utrobique ſit par ratio.

171. Reſp. neg. min. Nam Oleum non benedictum in minori quantitate additum benedicto fit totum benedictum eo modo, quo aqua non benedicta addita benedictæ fit ſimpliciter benedicta: hinc Sacramentum non exponitur periculo fruſtrationis, cum Oleum, quod eſt ejus materia, ſimpliciter ſit benedictum.

172. Ad id, quod ſubditur, negari poteſt aſſumptum, cum pars minor frumenti alterius generis, non tollens ſubſtantiam Panis triticei, minimè Sacramentum invalidet. Cæterum falſa deducitur illatio: nam Pani perfecto, & completo nihil addi poteſt, quod moraliter ipſi poſſit uniri; Oleo autem aliud poteſt uniri moraliter in eſſe Conſecrationis, quæ, non ex phyſica, ſed morali unione attenditur.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An liceat Orientalibus uti Chriſmate veteri à pluribus annis numquam renovato?

173. RESP. Urgente neceſſitate, uſum Chriſmatis veteris licitum eſſe, dummodo ſubſtantiam Chriſmatis retineat; ſecus, minimè. Ita Pignatel. Tom.7. Conſul. 130. num.3.

174. Prima Pars patet. Nam Chriſma non variatur ſubſtantialiter ex hoc, quod ſit novum, aut vetus, dummodo naturam ſuam integram retineat; ergo, cogente neceſſitate, licitus eſt uſus Chriſmatis veteris, non habita copia recentis, cum ipſius ſingulis annis renovatio merum ſit Eccleſiaſticum præceptum, de Conſec. Diſt.4. Cap. *Omni tempore*, maximè ſi accedat Summi Pontificis diſpenſatio.

175. Ad Objectionem ex Canonibus deductam de Conſecrat. Cap. *Literis veteris* Diſt.4. ejus renovationem ſingulis annis præcipientibus, dicimus, id verum eſſe citra neceſsitatem, non verò ipſa urgente, ut ſupponimus: adeſſe autem patet, quia Confirmatio Fidelibus inter Infideles degentibus, etſi non ſit omnino neceſſaria, valdè tamen utilis eſt: nec ad ſolam Confirmationem miniſtrandam, ſed etiam ad alios uſus Chriſma requiritur apud Orientales: adhibetur quippe in Baptiſmo ſolemni, ex Laodicen.cap.48.: pro Conſecratione Epiſcopi, & Altaris: de Sac.Unct.cap.Unic.: pro unctione Regum, ex Concil. Rom. ſub Joan.IX., ob quæ motiva poteſt augeri congruitas utendi, ac diſpenſandi.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An ſimplex Sacerdos inter Orientales valeat Chriſma conſecrare pro Confirmatione adminiſtranda?

176. RESp. Simplicem Presbyterum non poſſe validè, nec licitè Chriſma conficere.

177. Ratio eſt. Quia Concilium Florentinum in Inſtruc. Armen. confectionem Chriſmatis ſoli Epiſcopo reſervat, uti quoque cætera Concilia faciunt, & Summi Pontifices, ſignanter Innoc I. Epiſt. 2. ad Decen., & Scholaſtici communiter cum D. Thom. 3. Part. Quæſt. 62. art. 3., & Doct. Subtil. 4. Diſt. 7. Quæſt. 1.; ergo non poſſunt Presbyteri ſimplices validè id præſtare. Neque dicatur, id poſſe per Apoſtolicam diſpenſationem: hoc enim præcluditur ex eo, quia Florentinum volens ſignificare, miniſterium confirmandi poſſe etiam ſimplici Presbytero competere ex Apoſtolica diſpenſatione, id expreſsit; non autem de confectione Chriſmatis; ergo cum expreſſerit unum, & non alterum, evidens ſignum eſt, non adeſſe hujuſmodi diſpenſationem; exceptio enim firmat regulam in contrarium.

178. Et ratio eſſe poteſt dignitas Epiſcopalis, cui aliqua reſervari debent, ut præ omnibus eluceat; ergo quoniam, compellente neceſsitate, ipſamet Confirmatio ex privilegio Pontificis poteſt à Presbyteris Orientalibus conferri, ſequitur, confectionem Chriſmatis minùs neceſſariam à ſolis Epiſcopis confici poſſe, cum excluſione Presbyterorum. Et praxis ipſa Eccleſiæ idipſum docet, numquam ſimplici

Presbytero confectionem Chriſmatis permittens, etſi interdum ipſammet Confirmationem conferri paſſa ſit ex Romani Pontificis privilegio.

179. Opponitur. Presbyteris Orientalibus eſſe conceſſam facultatem conferendi Confirmationem diſpenſativè à Romano Pontifice, ex Floren. in Inſtruc. Armen.; ergo etiam poteſtatem conficiendi Chriſma ad Confirmationem ordinatum.

180. At permiſſo Ant., quod non eſt adeo certum, cum Clem. VIII. hoc pacto Confirmatos juſſerit ſub conditione iterum confirmari, neg. Conſ. Nam ex collatione unius privilegii non infertur collatio alterius cum priori minimè connexi: nec debet ſupponi diſpenſatio legem communem vulnerans, niſi probetur, ex gravi cauſa prodiiſſe; ex Barboſ. Repert. Juris Can., & Civil. V. *Diſpenſatio*, ubi plures Doctores congerit: hæc autem non habetur in caſu.

QUÆSTIO V.

An valida ſit Confirmatio nonnullorum Orientalium, in qua, ob defectum Chriſmatis, adhibetur Oleum ab Epiſcopo benedictum.

181. Reſp. Negativè, cum D. Thom. 3. Part. Quæſt. 62. art. 2. Doct. Subtil. 4. Diſt. 7. Quæſt. 1., & Aliis pluribus tam antiquis, quam recentioribus, apud Bellar. Lib. 2. de Sacram. Confir. cap. 10. & Maſt. noſt. Diſp. 2. de Baptiſ. & Confir. Quæſt. 8. art. 1.

182. Evincitur autem expreſſe ex Verbo tradito, quo docemur, non Oleum ſimplex, ſed ſimul cum Balſamo materiam eſſe Sacramenti

Con-

Confirmationis, ex Dyon. Areop. de Eccleſiaſ. Hierarc. cap.4. Part.4. Cypr. de Unct. Chriſm. Fabian. Papa, & Mart. Epiſt.2. ad Orient. & Aliis pluribus, apud Bellarm. loc. cit.

183. Nec deſunt vetuſtiſſima, & recentia Eccleſię Decreta idipſum ſtatuentia, ut Melch. ad Ep. Dec., Euſeb. Epiſt.3. Inn.I. Epiſt.1. cap.3. Gregor. Mag. Lib. 3. Epiſt.9. Innoc. IV. Conſtit. 14.: in terminis verò Floren. in Iſtruc. Armen. §. *Secundum Sacramentum*, ubi ſic habetur: *Cujus materia eſt Chriſma confectum ex Oleo, quod nitorem ſignificat Conſcientiæ, & Balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedictum*; ergo Balſami admixtio eſt neceſſaria ad validitatem Confirmationis.

184. Obji. ex Innoc.III. Cap. *Paſtoralis* extra de Sacramen. non iteran., qui interrogatus, an Confirmatio collata ſolo Oleo eſſet valida nec ne? Reſpondit nihil iterari oportere, ſed cautè debere ſuppleri, quod incautè omiſſum eſt: debuiſſet autem iterari, ſi Balſamum fuiſſet omninò neceſſarium; ergo ſi iteratum non eſt, Balſamo opus non erat. Tumquia Florent. aſſerit in dec. Union. Armen., Vino Aquam miſceri debere in Miſſæ Sacrificio, quod tamen abſque illa mixtione validum eſt; ergo idipſum in caſu dicendum eſt. Tumquia materia Sacramentorum facilis eſſe debet, nec pretioſa, uti in cęteris videmus Sacramentis; Balſamum autem eſt pretioſum; ergo non requiritur ad validitatem Sacramenti Confirmationis.

185. Reſp. Primum non urgere; cum enim Innocentius ſententiam noſtram aſſeruerit de Sac. Unct. cap. unic., hic loquitur de ſubſtantia Sacramenti, quæ ſuppleri debet, incautè omiſſa, relicta integra Ritus ſolemnitate, eo modo, quo fieret in Baptiſmo ſolemni, in quo

 Ritus

Ritus repeti non deberent, ſed ſolummodo ipſamet ſubſtantia cautè ſupplenda eſt, ne puſillis ſcandalum ingeratur, quod fieri opus eſſet, etſi ſolum dubium urgeret de validitate Sacramenti, de quo caſu fortaſſe Innocentius locutus eſt; quare non infertur, Balſamum non eſſe neceſſarium.

186. Quod objicitur II. Ex Florentino, ſolvitur, neg. Conſeq. Nam Concilium diverſimòdò loquitur de mixtione Aquæ cum Vino, ac de Balſami cum Oleo: nam de mixtione Balſami cum Oleo loquitur abſolutè, citra additum quodcumque: de materia verò Euchariſtiæ dicit in recto, quod *ſit Panis triticeus, & Vinum de vite*: de mixtione autem Aquæ dicit in obliquo, & per modum præcepti ſolummodò: *Cui ante Conſecrationem Aquâ modiciſſima admiſceri debet*, cujus mixtionis motivum, non Sacramenti neceſſitatem, ſed vetuſtiſſimam conſuetudinem adducit Univerſalis Eccleſiæ.

187. Ultimum tandem leviſſimum eſt. Nam Sacramentorum Materia facilis quidem eſſe debet, ſed ejuſdem juxta naturam. Hinc Aqua pro Baptiſmo, & quicumque pro Miniſtro, quoad validitatem aſſignatur. Pro Euchariſtia neceſſaria tantum neceſſitate Præcepti Panis triticeus aſſignatur pro materia, invenibili quidem, non tamen ſicut aqua; & pro extrema Unctione Oleum olivæ. Pro Confirmatione autem utili quidem, non tamen omnino neceſſaria, Chriſma ex Oleo, & Balſamo conflatum pro materia ſtatutum eſt; difficilius quidem præ cæteris inventu, invenibile tamen, licet non ea facilitate, qua Vinum, Panis, Aqua, & Oleum. Idem Ordo ſervatur in Miniſtris; Baptiſmi enim quilibet etiam Laicus Miniſter eſſe poteſt, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Extre-

tremæ Unctionis ſolus Sacerdos, Confirmationis, & Ordinis ſolus Epiſcopus.

QUÆSTIO VI.

An valida ſit Confirmatio per ſolam manuum impoſitionem collata?

188. Reſp. negativè. Ratio eſt. Quia, tametſi Verbum ſcriptum de Unctione nullam expreſſam mentionem faciat, Verbum tamen traditum eam ut omninò neceſſariam affirmat, ut patet ex Patribus, tam Orientalibus, quam Occidentalibus, quorum longam ſeriem texit Bellarm. Jodoc. Cocc. & Hiquæus noſt. in Comment. ſuper 4. Sentent. Scoti, Diſt. 7. Quæſt. 1.: ex quibus habetur, Unctionem Chriſmatis in fronte neceſſariam eſſe cum verbis Epiſcopi, juxta morem uniuſcujuſque Eccleſiæ; ergo non eſt validum Sacramentum hoc cum ſola manuum Epiſcopalium impoſitione collatum.

189. Idipſum habemus ex Conciliis Provincialibus, ut Laoidic. cap. 48., Rom. ſub Silveſtro Can. 5., Brachar. II. cap. 4. Arelat. II. Can. 17. Ex General. verò ſuppetit Conſtantinop. I. Can. 9., ubi Hæreticos præſcribit admitti, hæreſi abjurata, & ſignari, *Unctos primum Sancto Chriſmate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures*, per Formam prolatam: *Signaculum doni Spiritus Sancti*.

190. Neque dicendum, hanc Unctionem in fronte eſſe mere reconciliativam. Tumquia plerique Hæretici Confirmationem non recipiebant; ergo veriſimile eſt, eos illam recepiſſe, dum Eccleſiæ reconciliabantur per hujuſmodi Unctionem. Tumquia non videtur veriſimile

in reconciliatione, quæ merus erat Ritus, Unctionem fuiſſe in frontem adhibitam, non autem in Confirmatione, quæ etiam ſecundum Orientales verum erat Sacramentum: ergo Græci Unctionem in fronte in Confirmatione veluti neceſſariam cenſebant. Florentinum denique, cui Orientales adſtiterunt, & calculo approbationis firmarunt: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma ex Oleo, quod nitorem ſignificat Conſcientiæ, & Balſamo, qui odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedictum. Forma autem eſt; Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ergo non ſufficit ad validitatem pura manuum impoſitio, ſed requiritur quoque Unctio in fronte per Epiſcopum adhibita, cum verbis ab eodem prolatis; ex quibus omnibus Materia, & Forma reſultat hujus Sacramenti.

191. Obji. Unctio in fronte non legitur in Scriptura, benè verò impoſitio manus, ut habetur Act. 8. 17., in quo Baptizati à Philippo Diacono ab Apoſtolis per ſolam manuum impoſitionem confirmantur. Tumquia vetuſtiſſima Eccleſia, & Pontifices relati de Conſecrat. Diſt. 5. Cap. *Ut Epiſcopi* Innoc. III. Cap. *Cum veniſſet*, extra de Sac. Unct., & Floren. in Inſtruc. Armen. teſtantur, Confirmationem dari nunc loco impoſitionis manuum; ergo Apoſtoli ſola manuum impoſitione confirmabant; ergo etiam nunc licitè, & validè fieri poteſt, cum Eccleſia Materiam, & Formam Sacramentorum mutare non poſſit.

192. Reſp. Unctionem haberi per Traditionem, quæ pariter Verbum Dei eſt, non minus quam Scriptum: Act. verò 8. 17., etſi manuum impoſitionis mentio ſolùm fiat, non tamen

exclu-

excluditur Unctio, quæ nomine impoſitionis manus ſignificabatur, ut optimè Hiquęus noſter loc. cit., Bellarm. Waldenſis, & Alii animadvertunt, & hoc colligimus ex antiquiſſimis Patribus, Dyoniſ. Areop. Clem. Rom. Tertul. Cyprian., & Aliis, non in ſola impoſitione manuum, verum etiam in Unctione materiam proximam Confirmationis collocantibus; & ex Cap.8. Act.17. Unctionem Epiſcopalem confirmativam evincentibus: quare inferri nequit, Apoſtolos Unctionem in fronte minimè adhibuiſſe, ſed ſolummodò nomine impoſitionis manuum fuiſſe ſignificatam.

193. Cęterum, etſi dicatur cum Scoto 4.Sentent. Diſt.7. Quæſt.1. in ſolut. primi argumen. ac Divo Thom. Quæſt. 72. art. 2., Apoſtolos tunc ſola manuum impoſitione fuiſſe uſos, nihil officit, cum hoc verificaretur ſolummodò, quod Spiritus Sanctus viſibilibus ſignis ſuper Confirmatos apparebat, non verò quando iſta ſigna ceſſarunt; idcircò malè infertur, nunc etiam ſolam manuum impoſitionem ſufficere. Innoc. autem Tertius, & Floren. loc. cit. explicari debent, vel juxta expoſitionem S. Thom. & Scoti vel Bellarm. & Aliorum dicentium, non unum Confirmationem tribuendi modum, ſed unum ſignificandi alteri ſucceſsiſſe, ita ut Confirmatio, quæ antiquitus manuum impoſitio appellabatur, nunc Confirmatio nuncupatur, in qua ſimul cum impoſitione manuum, etiam Unctio Chriſmativa includitur, & propterea minimè Sacramentorum ab Eccleſia materiam mutari.

QUÆSTIO VII.

An Epiſcopus apud Infideles ob incommoda, & pericula non miniſtrando Sacramentum Confirmationis; & Catholici non curantes illud ſuſcipere graviter delinquant?

194. Reſp. Affirmative quoad utramque partem. Ita cum Abellio, Iſamberto, & Aliis cenſet Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 17. Quæſt. 5. art. 2.

195. Prima Pars paret. Nam extra loca Miſſionis Epiſcopus hoc Sacramentum conferre negligens graviter delinquit, ex Suarez 3. Part. Quæſt.72. Diſp.38. ſec.3.; ob munus enim Paſtorale, quo fungitur, nedum paſcua neceſſaria, verum etiam utilia Ovibus ſuis præbere debet, ex Concil. Mediol. IV. de Sacram. Confir.; ergo multò fortiùs in locis Miſſionum, ubi frequentes occurrunt neceſſitates.

196. Secunda Pars oſtenditur. Nam exponere ſe periculo ſuccumbendi tentationi in aliquo genere peccati, grave peccatum eſt, cum idem ſit, ac ſe exponere periculo peccandi: negligendo autem ſuſcipere Sacramentum Confirmationis, Chriſtifideles inter Infideles, aut Hæreticos degentes, periculo ſuccumbendi tentationibus in materia Fidei ſe exponunt, quæ ibidem paſſim occurrunt; ergo graviter delinquunt; negligunt quippe ſuſcipere remedium ad finem hunc ſpecialiter inſtitutum, ex Melchiade Papa ad Epiſcop. Hiſpalen. de Conſecr. Diſt.5. Cap. *Spiritus Sanctus*; ſicuti graviter peccarent, qui numquam Euchariſtiam ſumerent viventes, nec in articulo mortis Extremam Unctionem; remedia quippe reſpuerent

ad

ad bene vivendum, & ad ſanctè moriendum; ex Joan. 6. 11. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Et Jacob. 5. 14. *Oratio Fidei allevıabit infirmum; &, ſi in peccatis ſit, remittuntur eis*.

197. Obji. contra utramque Partem. Sacramentum Confirmationis non eſt neceſſarium neceſſitate medii, aut præcepti, niſi Ordines ſumantur, ex Triden. ſeſs. 23. Cap. 4.; ergo in locis Miſsionum non eſt Fidelibus neceſſaria ſumptio hujus Sacramenti.

198. Conf. Quia ut reſiſtatur Tyrannis ad Fidei abnegationem incitantibus, non deſunt alia media tentationibus occurrendi: hinc videmus, plures Confirmatos turpiter tentationibus ceſsiſſe, non Confirmatos verò in agone ſtetiſſe invictos; ergo non eſt damnandus peccati lethalis Epiſcopus in tot periculis Sacramentum hoc nequaquam miniſtrans, aut Catholicus minimè recipiens.

199. Reſp. neg. Conſeq. Quamvis enim, ratione ſui hoc Sacramentum non ſit neceſſarium, niſi ad melius eſſe: attamen ipſum negligendo diſtribuere, Epiſcopus peccat; tumquia ratione ſui muneris nedum neceſſaria, verum etiam utilia Ovibus ſuis præbere debet; maximè autem in Miſsionum locis, ubi adſunt tot pericula, & incentiva Fidei abnegandæ. Fideles verò, quia negligunt recipere remedium proprium à Deo inſtitutum, quo reſiſti poteſt Fidei tentationibus.

200. Ad Confir. autem neg. Conſeq. quia alia remedia dantur quidem, ſed ad hunc finem præcisè nequaquam inſtituta, & quidem ex opere operantis, non operatio: hoc verò ad finem hunc fuit præcisè inſtitutum, uberioremque

conſert Gratiam, & quidem ex opere operato, non autem ſolummodò operantis. Quod verò Alii tentationibus reſtiterint, Confirmatione nequaquam muniti, contigit, quia eorum culpâ non ſtetit, quin reciperent: illi verò, qui receperunt, ideo ceciderunt, quia Gratia collata malè uſi ſunt, non quia uberrima ex parte Sacramenti carerent. Eſt igitur Confirmatio ſub præcepto, non ſecundum ſe, ſed reſpectu eorum, qui inter Infideles degunt; quam, niſi reciperent, contemnere cenſerentur; quaſi ipſa minimè indigerent, nulliuſque momenti eſſet remedium; cum tamen contra rationem ſit, ſine armis ad pugnam accedere, ut ſcitè ait Cyprianus Epiſt. 54.

QUÆSTIO VIII.

An à Catholicis inter Infideles, aut Hæreticos Sacramentum Confirmationis repeti interdum poſſit?

201. RESP. Non poſſe neque validè, neque licitè, ſi ritè, & in forma Eccleſiæ ſit collatum. Eſt contra Nicolaum Cabaſilam Orat. 2. de Vit. in Chriſt. Armenop. in Compen. Canon. Job. Monach. & Gabriel. Philadel. in Trac. de Sacramen.

202. Prima Pars patet. Nam, etſi in ſacra expreſsè non contineatur Scriptura, Confirmationem invalidè repeti; habetur tamen ex deciſione Eccleſiæ, rem de Fide diffinientis, eo quia imprimit Characterem numquam delebilem, ex Triden. ſeſ.7. Cap.9., Floren. in Decreto Eugenii §. *Quintò* Trac. Cap. 6. Cabilonen. III. cap. 27., & docent Patres omnes, & Theologi, præcipuè Chryſoſt. Hom.3. in 2.

ad

ad Cor. unanimi ſenſu apud Bellarm. Tom. 3. Conttover. Lib. 2. Cap. 21.; ergo numquam validè Confirmattio poteſt iterari.

203. Evincitur quoque ratione. Quia nimirum Confirmatio datur per modum Conſecrationis, Chriſmate mediante, eo modo, quo Reges, & Sacerdotes unguntur, & Templa, Vaſa, Altaria ſacrantur: at Iſta unica vice ſacrata, mediante Chriſmate, numquam ſecundam admittunt Conſecrationem, de Sac. Unct. Cap. unic., & firmat Tolet. VIII. cap. 7. ergo &c.

204. Tandem invalidè Baptiſmus, & Ordo ſemel ritè collati repetuntur; imprimunt quippe Characterem, juxta Floren. in Inſtruc. Armen., & Triden. ſeſs. 13. Can. 4.; eoquia Fidelem initiatum in gradu Eccleſiæ determinato conſtituunt; Baptizatum quidem in ſtatu Filii, Ordinatum in gradu Miniſtri, aut Patris: at etiam Confirmatio Characterem imprimit, ex Concil. cit., & Fideles ponit in gradu bellatoris adverſus Fidei hoſtes ſtrenuè dimicaturos; ergo numquam validè repeti poteſt, ſicuti non poteſt, juxta Græcos, & Paulum ad Hæbr. 6. 4., repeti Baptiſmus.

205. Secunda quoque Pars patet. Tumquia repetendo fit injuria Sacramento priùs collato, quaſi illud, quod Spiritus Sanctus ſacravit, evacuari queat, ut optimè Cyprianus, vel quiſquis eſt Author Sermonis de Ablutione pedum. Tumquia renovando Confirmationem, contumeliæ fruſtrationis exponitur, quod grave piaculum eſt, cum detruſione in Monaſterium puniatur, Cap. *Dictum eſt* de Conſec. Diſt. 5.; ergo repetens Confirmationem ritè collatam graviter delinquit. Non tamen incurri irregularitatem, cenſet Subtilis noſter

loco cit. quem ſequuntur Paludanus, & Alii apud Hiquęum noſt. in Commen. 4. Senten. Scoti ad locum hunc.

206. Opponitur. Tumquia Baptiſmus eſt initerabilis, abſque Unctione, atque impoſitione manuum de neceſſitate facienda: Extrema verò Unctio ſæpius repetitur; ergo non colligitur ex ullo capite, Confirmationem non poſſe iterari. Tumquia Laodicen. Can. 7. Arelat. I. Can. 8. Nicæn. I. Can. 8. Arauſican. I. Can. 2. jubent, Hæreticos ad Fidem revertentes denuò confirmari: Hæretici autem in infantia ſua Confirmationem validè receperunt; ergo valida eſt ſecunda Confirmatio. Tumquia in Rituali Græcorum, qui continet modum Hæreticos recipiendi, ponitur Unctio Chriſmativa, & Forma Sacramenti Confirmationis, quæ clariùs conſtat ex Cap. 7. aut 9. Synodi Conſtantinopolitanæ I., in qua pro Hæreticis reconciliandis præſcribitur, ultra alias partes, etiam frontem Chriſmate perungi, appoſita forma, nempe: *Signaculum Spiritus Sancti*; ergo repeti poteſt ex ſenſu communi Eccleſiæ, ſaltem Orientalis, Sacramentum Confirmationis.

207. Reſp. Ad primum neg. Conſeq. Nam Unctio confirmativa eſt per modum Conſecrationis, quo quis in gradu aliquo conſtituitur in Dei Eccleſia, ipſique ſacratur; & ideo repeti non poteſt: quæ verò fit in Extrema Unctione eſt per modum remedii curativi, & ſanativi, Infirmis quippe confertur, idcircò pluries repeti poteſt.

208. Secundum ruit, eoquia Concilia allata loquuntur de illis Hæreticis, vel qui numquam Confirmationem receperunt, ſicut Novatiani, nullius utilitatis eam arbitrantes, ex Theodor. de Hæret. Fabul. Lib. 5., vel malè reci-

recipiebant, Formam Eccleſiæ immutantes in ſubſtantialibus, aut ſaltem de his dubium grave urgebat, eoquia de Trinitatis myſterio, ac de Filii Divinitate ambigebant, quales erant Ariani, de quibus Epiphan. Hæreſ. 69., Aliique cum ipſis eadem ſentientibus; non verò de omnibus univerſaliter, cum ſciamus, Ordinatos ab Hæræticis in Forma conſueta non reordinari ab Eccleſia, ſed ſolummodo reconciliari.

209. Tertium parum urget. Falſum enim eſt, in Euchologio Græcorum legitimo, & antiquiori in Monaſterio Cryptæ Ferratæ conſervato inveniri Formam Confirmationis in reconciliatione redeuntium Hæreticorum recitari conſuetam; quæ igitur nunc invenitur, à recentioribus Hæreticis invecta eſt, & Photius ipſe poſtremi Schiſmatis Author, hujus Confirmationis iterationem ut errorem cenſebat, quam propterea perperam Latinis impingebat Epiſt. Encyclica ad Patriarc.

210. Obji. contra ſecundam Partem. Quia robur in retundendis Fidei tentationibus, & Tyrannorum terroribus, atque illecebris ſuperandis renovandum pluries videtur, quoties neceſſitas urget; ergo Confirmatio pluries poteſt licitè recipi, eo pacto, quo pluries, urgente mortis periculo, repetitur Extrema Unctio.

211. Reſp. neg. Conſeq. Ad robur enim tribuendum, non opus eſt toties quoties Sacramentum renovari, ſed ſufficit, quod ejuſdem virtute ſemel recepti auxilia donentur, quoties tentatio adverſus Fidei confeſſionem inſurrexerit. Idcirco autem Extrema Unctio repetitur, quia non confertur per modum conſecrationis, ſed purgationis: alioquin etiam

Ordi-

Ordines Sacri repeti deberent, quoties eorum exercitio opus eſſet, quod ſanè ab Eccleſiæ ſenſu alienum eſt.

QUÆSTIO IX.

Utrum Latini Catholici, urgente Infidelium perſecutione, validè, & licitè ab Epiſcopo orientalis Ritus Confirmationis Sacramentum recipiant?

212. RESp. Affirmativè.

213. Prima Pars patet. Nam omnia habentur ſubſtantialia ad validitatem, nempe materia remota, ſcilicet Chriſma ab Epiſcopo benedictum, proxima, nempe Unctio per Chriſma in fronte Baptizati manu Epiſcopi confirmantis; Forma, quam adhibet Eccleſia Orientalis, nempe: *Signaculum Doni Spiritus Sancti in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, in qua habetur invocatio SS. Trinitatis. Innuitur quoque actio Miniſtri, & paſſio Recipientis. Quamvis enim deſit Verbum *eſt*, ſubintelligitur tamen, eo pacto, quo dicitur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; Gloria in excelſis Deo*: actio verò Miniſtri in ly *Signaculum Spiritus Sancti*, quo effectus quoque Sacramenti ſignificatur.

214. Hanc autem confirmandi formulam validam eſſe, conſtat, quia neque in Lugdunenſi II. neque in Florentino Concilio, ubi res Græcorum exactè tractatæ ſunt, numquam fuit reprehenſa, & invenitur in Ritualibus antiquis Græcorum, eo præſertim, quem Urbanus VIII. pro Græcis Catholicis excudi fecit, & approbavit, nec vetuit Clemens VIII. in Bul-

Bulla *Sanctiſſimus*, quàm refert Cherub.tom.3.; ergo Latini validè ab Epiſcopo Græco Confirmationis Sacramentum recipiunt.

215. Secunda quoque Pars liquet. Nam, compellente neceſſitate, non eſt illicitum recipere Sacramentum à Miniſtro alterius Ritus, niſi ſit alterius Religionis, ſeù Sectæ publicæ, ab Eccleſia Romana divulſæ & notoriè, uti declaravit Clem. VIII. in cit. Bulla *Sanctiſſimus*, & Martinus V. in Bulla ad *Evitanda*, & docet communior ſententia ex Layman. L.1. Trac.5. Part.2. Cap.4.; & ſæviente perſecutione, ſi deſit alius Miniſter Latinus, aut manifeſtè Catholicus, urget neceſſitas Confirmationem ſumendi; ergo licebit eam ſuſcipere à Præſule Ritus Orientalis Catholico, aut ſaltem non palam Schiſmatico, aut Hæretico.

216. Objicitur adverſus primam Partem, Forma Orientalis citata eſt diverſa ab illa, qua utitur Eccleſia Romana, nec exprimit actionem Miniſtri, nec paſſionem Suſcipientis. Deinde, etſi Sequentibus Ritum Orientalium ſufficiat Materia, & Forma, quam Orientales adhibent, non tamen pro Sequentibus Ritum Occidentalis Eccleſiæ, ut patet in Ordinum collatione; ergo Latinus validè non ſuſcipit Confirmationem Ritu Orientali collatam.

217. Adverſus ſecundam Partem facere videtur. Quia non licet Latinis, abſque neceſſitate, recurrere pro Sacramentis recipiendis ad Miniſtros Orientalis Ritus, ut habemus ex Clem. VIII. Bul. *Sanctiſſimus*: at nulla eſt neceſſitas recipiendi Confirmationem, neque in ſe, neque propter Infidelium perſecutiones, cum non deſint alia media permanendi firmiter in Religione Orthodoxa; ergo peccat Latinus

Con-

huc valere, minimè verò, ſi ſubſtantialiter differt.

QUÆSTIO X.

An Chriſma Græcorum ex pluribus aromatibus confectum ſit valida Confirmationis materia?

223. RESp. Niſi tollatur ſubſtantia Chriſmatis, poſſe mixtionem hanc aromatum tolerari. Ita deciſum habemus à Sac. Congreg. Rituum, apud Arcud. de Conſen. Orient., & Occiden. Eccleſ. Lib.2. cap. 10.

224. Ratio eſt. Nam validè, & licitè Sacramentum conficitur, quoties retinetur ſubſtantia ejuſdem; illa verò, quæ miſcentur, nec illam deſtruunt, nec labefactant, uſuſque ipſorum in Eccleſia comprobat, ut pluries dictum eſt, & ratio ipſa perſuadet: at mixtiò aromatum à Græcis uſitata non tollit ſubſtantiam Chriſmatis, uſuque antiquiſsimo Eccleſiæ Orientalis comprobatur, ut oſtendit Arcudius ipſe loc. cit., ex Dyoniſ. Areopag. Cap.4. de Eccleſiaſ. Hierarch., & Baſil. Magn. ſuper Pſal. 132., aliiſque Patribus; ergo ſuſtineri poteſt, eo modo, quo, juxta communem Theologorum ſententiam, ſuſtineri Baptiſma, cujus materia, nempe aqua naturalis aliis liquoribus miſceatur, dummodo quoad ſubſtantiam non immutetur, & eodem pacto Euchariſtia ſubſiſtit, etſi Vinum in Calicis conſecratione pauliſper aquæ contineat. Quo fundamento quæcumque objici poſſunt, ſolvuntur.

QUÆSTIO XI.

An Epiſcopus licitè ſine Patrino Confirmationem miniſtret, ne Sectarium, aut Catholicum Fidei ſuſpecta pro miniſterio admittat?

225. Reſp. Licere. Ducor autem. Quia Patrini aſsiſtentia in Confirmatione mera eſt Solemnitas, & Cœremonia ab Eccleſiâ inducta, Sacramenti ſubſtantiam minimè pertingens; gravi autem neceſsitate urgente, poſſunt Ritus accidentales in Sacramentis omitti, ſicuti interdum in Baptiſmate conferendo omittuntur; ergo poterunt quoque omitti licitè in caſu præſenti.

226. Quod verò adſit neceſsitas, patet. Nam magnum eſſet inconveniens pro Patrino Sectarium adhiberi, cum quo non eſt in Sacris communicandum, nec veriſimiliter in Fide Orthodoxa Filium ſuum ſpiritualem eſt inſtructurus, uti deberet, ex Colon. II. Part.7. cap.4. cum pro ipſo ſit fideijuſſor, de Conſecrat. Diſt.4. Cap. *Vos omnes*.

227. Magnum quoque incommodum eſt, Catholicum dubiæ Fidei, aut depravatis moribus adhibere, cum fortaſsis lucri gratiâ, vel ob alios fines nefarios Epiſcopum adeo neceſſarium Infidelibus, aut Hæreticis prodet. Neque expedit, Confirmationem omitti, quæ validum adeo præſidium Militibus Chriſti in medio Nationis pravæ degentibus, ne periculis ſuccumbant, afferre ſolet; etſi omitti deberet Sacrum indecorè celebrandum, eoquia Miſſæ Sacrificium repeti poteſt, non verò Confirmatio.

228. Quod

228. Quod opponi poteſt ex Sacris Canonibus Patrinum ſemper exigentibus, ſicut exigitur in Baptiſmo, ex Later.III.in Appen.cap.44., verum eſt regulariter, non verò in caſu neceſſitatis, quo Canones non videntur urgere, utpote Leges meræ humanæ.

QUÆSTIO XII.

An Epiſcopus in Miſſionibus Parvulos recenter baptizatos confirmando, rectè agat?

229. Reſp. Affirmativè. Ducor. Quia Divina Scriptura id minimè vetat, cum habeamus Act. 8. 17., Apoſtolos manus impoſuiſſe, ideſt confirmaſſe quotquot Baptizatos invenerunt: non eſt autem veriſimile, ſolos Adultos fuiſſe baptizatos, ſed etiam plures Parvulos; ergo etiam plures Parvuli fuere confirmati.

230. Adeſt quoque antiquiſſimus Eccleſiæ Orientalis uſus, Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam conferendi, ex Dyoniſ. Areopag. de Eccleſiaſ. Hierarc. Part.2. cap.2. Theodor. Commen. in cap.1. Cantic., Cyril. Jeroſol. Catech.1. 2. 3.4. & 5., innuitque Innoc.I. Epiſt. ad Decen. cap.1.; ergo &c.

231. Nec ratio deeſt. Nam Parvuli recenter baptizatis Characteris, & augumenti Gratiæ habitualis in Baptiſmo receptæ ſunt capaces, ſicut etiam auxiliorum actualium, quæ non tunc danda ſunt, ſed pro tempore, quo neceſſitas poſtulaverit, eo modo, quo de Baptiſmo loquimur, à quo vires miniſtrantur peccata vitandi, ex Milevit. II. cap.27.

232. Accedit quoque neceſſitas cogens inter-

interdum ad hoc Sacramentum etiam inter Fideles miniſtrandum, ex Mediol. V. Part. 2. tit. de Baptiſ.: Episcopi enim inter Hæreticos, aut Ethnicos degentes pauci ſunt, & magnis preſſi difficultatibus, qui niſi Parvulos, cum opportunitas acceſſerit, confirment, alio tempore numquam præſtare poterunt, cum inſigni ſpirituali Parvulorum jactura; ergo ſicuti poſſunt Epiſcopi apud Nos ob graves cauſas confirmare Parvulos, cur non poterunt degentes inter Infideles, aut Hæreticos?

233. Nec obſtant, quæ opponi poſſunt, nempe fruſtrationis periculo Sacramentum exponi, cum conſtet, Parvulos eſſe incapaces effectuum Confirmationis, nempe auxiliorum ad Fidem confitendam, cum eam eo in ſtatu Parvuli confiteri non poſſint: & iterationis, cum Infantes inter Hæreticos, aut Ethnicos degentes facilè poſſint Sacramenti recepti oblivisci, & iterum illud, cum adoleverint, recipere, quod poſſunt, ætate congrua, ſuſcipere, quin eodem Infantes initientur; ergo &c.

234. Reſp. Quantum enim ad primum, Infantes eſſe capaces auxiliorum ad reſiſtendum Fidei hoſtibus, non quia dentur tunc, ſed quia jus aquirunt ea, tempore congruo, conſequendi; adeoque non fruſtratur Sacramentum, ſicut non fruſtratur in Baptiſmo, etſi auxilia actualia tunc non dentur rectè vivendi, ſed cum neceſſitas, ætate congrua, poſtulaverit. Non ſequitur quoque periculum iterationis: ſi enim, cum adoleverint, ſciant ſe fuiſſe confirmatos, utique accipere illud non poſſunt; ſi autem ignoraverint, aut grave dubium inſurrexerit, an reipſa receperint, debita diligentia adhibita, tunc illud recipere denuo poſſunt, ſaltem ſub conditione; non enim dicitur *Iteratum*, *quod nulla ratio-*

ratione oſtenditur geſtum, de Conſec. Diſt. 4. Cap. *Nulla*. Idipſum ſtatui etiam poteſt de Pueris Latinorum, qui apud Ethnicos, aut Hæreticos degunt, iiſdem rationibus utrobique militantibus.

235. Quæres I. An Epiſcopus inter Infideles, aut Hæreticos degens poſſit Confirmationem conferre nec jejunus, nec jejunis?

236. Reſp. Poſſe, cogente neceſsitate, ex Colon. II. Part.7. cap. 9. cum hujuſmodi jejunium ſit merum Eccleſiaſticum præceptum, de Conſecrat. Diſt.5. Cap. *Ut jejunio*; quod inter Infideles facilè contingere poteſt, Miniſtris Apoſtolicis jugi vitæ diſcrimini expoſitis.

237. Quæres II. Quonam tempore Sacramentum Confirmationis conferri debeat, & qua ætate?

238. Reſp. Tempus à Sacris Canonibus præſcriptum eſſe, dum Sancta Unctio inſtituitur, ex Gregor. Magn. Lib.8. Epiſt.46.; quæ quidem, ſi fieri poteſt, ſingulis annis eſt habenda, ex Arel.IV. cap.17., & Triden. ſeſs.24. de Refor. c.8., & quidem per ſeipſos, ſi ægroti non ſint, ex Melden. cap.19. & eodem Trid. ſeſs.7. de Refor. cap.3.; & hujuſmodi ſolicitudo in locis Miſſionum eo magis eſt adhibenda, quo major neceſsitas compellit, attentis tamen rerum circumſtantiis. Quantum verò ad ætatem, ſtylus quidem Eccleſiæ Orientalis non eſt ſpernendus, Confirmationem cum Baptiſmo copulantis; ſi tamen citra incommodum fieri queat, ſupra ſeptennium eſt conferenda, ex Colon.II. Part.7. cap.8., & Mediol. I. Part.2. de Confir., ut fructuoſius, habito rationis uſu, ſuſcipiatur.

239. Quæres III. An tempore Interdicti liceat Sacramentum hoc conferre?

240. Reſp.

240. Reſp. licere, de Senten. Excomm. Cap. *Reſponſo*, & Cap. *Quoniam*, ſub eodem tit. in 6. Quia ſicut Baptiſma efficit Chriſtianos, ita Confirmatio perficit; ergo ſicuti, urgente Interdicto, fas eſt Baptiſmum conferre, ita poterit tribui Confirmatio.

CAPUT III.

De Sacroſancto Altaris Sacramento.

241. QUoniam Sacramentum hoc, juxta monitum Chriſti Joan. 6. 56. cibus eſt, & potus ſpiritualis Animarum, & propterea ſive ratione Sacrificii, quo perficitur, ſive Sacramenti, quod diſtribuitur, in uſu apud Fideles frequenti eſſe debet; hinc circa illius confectionem, diſtributionem, atque ſumptionem non paucæ difficultates apud Miſsionarios Apoſtolicos oriuntur, quarum nonnullas hoc capite proponemus, atque enodare, quantum Deus dederit, contendemus.

QUÆSTIO I.

An liceat Catholicis audire Sacrum, aliaque Eccleſiaſtica officia in Templis Schiſmaticorum?

242. REſp. Non licere, niſi Eccleſia ipſa permittat. Habemus hoc deciſum à Sac. Congreg. de Propag. Fide ſub die 22. Junii 1705. ad 3. ex Dub. à P. Alexandro à Monte Brandone Ord. Min. Obſervan. in Partibus Miſſionario Apſtolico, per Decretum his verbis expreſſum: *Epiſcopus N. & N. mandet Catholicis ſibi ſubditis, ne accedant ad Miſſas, & alia Officia*

Officia Divina in Eccleſiis Schiſmaticorum, & in caſu carentiæ Miſſæ Catholicorum, non teneri Præcepto Miſſam audiendi.

243. Ratio autem eſt. Tumquia audire Miſſam, & Officia Divina in Templis Schiſmaticorum eſt publica cum ipſis in Sacrificio, & Oratione communicatio: hæc autem à Sacris Canonibus omnino eſt vetita cum publicis, & notoriis Schiſmaticis, tamquam infenſiſſimis Eccleſiæ hoſtibus; neque hoc indiget probatione; ergo illicitum eſt, Sacra Officia, & Miſſam in Templis Schiſmaticorum audire. Tumquia hoc eſſet implicita proteſtatio Schiſmatis, dum veluti legitimi approbarentur Schiſmatici Sacerdotes, quorum Miſſæ, & Officia audirentur, ſicut audiuntur, quæ à Catholicis Sacerdotibus fiunt. Hinc in Primitiva Eccleſia Schiſmatici veluti publica peſtis, hoſteſque declarati in omnibus vitabantur, ne cum ipſis, vel in minimo Fideles viderentur convenire. Et de facto hac maxima imbuti Schiſmatici Orientales, quia Catholicos putant à vera Eccleſia alienos, eos in Sacris omnino vetant, veluti pollutos, & abominabiles.

244. Ex hac doctrina ſequitur, non licere Sacram Synaxim tempore Paſchali in Eccleſiis Schiſmaticorum à Schiſmaticis Sacerdotibus ſumere, uti recuſavit Sanctus Ermenegildus, Martyrio propterea à Patre impio coronatus.

245. Solum ergo eſſe poſſet difficultas in articulo mortis, in quo urgere Præceptum Euchariſtiæ ſumendæ, docet cum S. Thoma, quem citat, Ilſnug. Theol. Prat. Trac. 6. Diſp. 4. art. 6. §. 3.: at dicerem, neque in tali caſu teneri, aut licere, cum fortius ſit Præceptum de vitandis Schiſmaticis in jure naturali fundatum, quam ſumendi Euchariſtiam: Deo quippe magis

gis placet Obedientia, quàm Victimæ; effectum autem Euchariſtiæ ſuppleret Deus uberiori Divinæ Gratiæ auxilio. Nec novum eſſet, ex Obedientia nolle Euchariſtiam recipere, cum olim in Primitiva Eccleſia in pœnam graviſsimorum criminum, etiam in mortis articulo vetabatur, ex Elibert. Synod. Can. 1. 2. 5., & Aliis ſequentibus, & nunc Reis ad mortem damnatis imponitur ad ſupplicium, ex Clar. Zerol. Corſet., & Aliis apud Dian. Part. 3. Trac. 6. Reſſol. 59.

246. Secunda Pars patet. Nam, Eccleſia permittente, Præceptum ejuſdem de non communicando cum Schiſmaticis, aut Hæreticis in Sacris, videtur aut tolli, aut diſpenſari, quantum ad ipſam præcisè pertinet; ergo in tali caſu non delinquunt crimine inobedientiæ Fideles, audiendo Miſſam, & Divina Officia in Templis Schiſmaticorum. Id autem contingit in aliquibus Regionibus Sereniſsimæ Reipublicæ Venetæ ſubjectis, in quibus Græci victitant, & permittuntur cum Catholicis permixti etiam in Sacris communicare: videntur quippe Schiſmatici occulti, non autem notorii, & publici, quandoquidem Catholicis, quibus convivunt, miſcentur.

247. Obji. adverſus primam Partem. Nam ſubſtantia præcepti ſervatur, dicendo Miſſam in Eccleſiis Schiſmaticorum, nec quidquam Fideles in audiendo à Schiſmaticis recipiunt, ſed purè incruento adſunt Sacrificio, mandati Eccleſiæ ſatisfacturi, quod quidem, niſi facerent, magnum Schiſmaticis ſcandalum ingererent, quaſi Catholici Præcepta Eccleſiæ contemnerent: ergo licitum eſt audire Miſſam, & Divina Officia in Templis Schiſmaticorum.

248. Reſp. Subſtantiam quidem Præcepti

de

de Miſſa audienda adimpleri in Templis Schiſmaticorum; at mala circumſtantia veſtiri, & propterea peccatum committi: nec verum eſt, nihil accipi à Schiſmaticis; quandoquidem fructus Sacrificii recipi intenditur: nec præſentia eſt merè materialis, dum exerceri intenditur actus Religionis, aſſiſtendo Miſſæ Sacrificio juxta Eccleſiæ mandatum: ſcandalum verò, quod prætenditur induci, mere pharisaicum eſt, dum ſcitur, à Catholicis Miſſæ auditionem negligi, ut præcisè Eccleſiæ obtemperent, omne cum Sectariis in Sacris commercium interdicenti, quod quidem ipſimet Schiſmatici cum Catholicis, quos veluti Hæreticos traducunt, abſque pavore ſcandali præſtant.

QUÆSTIO II.

An liceat Sacerdoti Catholico Miſſam celebrare, aut Sacram Synaxim diſtribuere in Templis Schiſmaticorum, aut Hæreticorum, aut Ethnicorum?

149. Reſp. Urgente ſummà neceſſitate, licitum eſſe, dummodo adſit Altare integrum, & conſecratum.

150. Ratio eſt. Tumquia Eccleſiæ Decreta id permittunt de licentia Epiſcopi, vel Summi Pontificis ſaltem præſumpta, ex Mogunt. III. cap.9. Meten. I. cap.5. Turon.IV. cap.6. & habetur quoque de conſecrat. Diſt.1. Cap. *Miſſarum*, Cap. *Sicut*. Tradunt quoque communiter Doctores apud Laym. Lib.5. Trac.1. cap.5. Tumquia exercitia hæreticæ pravitatis, aut Ethnicæ ſuperſtitionis nequaquam polluunt Eccleſiam aliunde conſecratam, cum pollutio tantummodò contingat ex injuſta humani ſanguinis

effuſione , Cap. *Propoſuiſti* de Conſecrat. Eccleſiæ ; per injurioſum , & notorium homicidium , Cap. *ſi Mutum* de Conſecrat. Diſt. 1.; per illicitam , & notoriam humani ſeminis intra Templum effuſionem , Cap. ult. de Conſec. Eccleſ. ; aut per ſepulturam hominis excommunicati , Cap. *Conſuluiſti* eod. tit. de Conſec. aut Infidelis , Cap. *Eccleſiam* Diſt. 1. Nullum autem ex his capitibus habetur in caſu noſtro. Solum eſſe difficultas poteſt de Schiſmaticis , aut Hæreticis , qui in eorum Eccleſiis ſepeliuntur : at hoc verum eſt de non tolleratis , & notoriis , non autem de aliis , ex Suarez , Navar. & Aliis apud Laym. cit. Quod ſi notorii ſint , polluitur quidem Eccleſia , at pollutio tollitur per Epiſcopalem benedictionem , vel abſente Epiſcopo, ab ipſiſmet Regularibus aquâ per Epiſcopum benedictâ , Indulto Leonis X. ex Sorbo Compend. Privileg. Regular. V. *Benedicere* , quod potiori juri fieri poteſt , quoties Eccleſia fuiſſet ab Epiſcopo ſolummodò benedicta : tunc enim ſufficere Sacerdotalem benedictionem , aſſerit cum Navar. , Henriq. , Armil. , & Aliis ab eo citatis præfat. Laym. ibidem.

251. Idipſum de Altari dicendum eſt , dummodo cætera alia neceſſaria non deſint , ut optimè Gobat. in ſua Theol. experimen. Trac. 3. caſu 6. num. 265. , nempe quod ſit lapideum , ſacris ornatum Reliquiis , non fractum , atque ab Epiſcopo conſecratum , ſine quibus illicitum eſt Sacrum conficere , de Conſec. Diſt. 1.

252. Dixi autem , *cogente neceſſitate*. Nam ipſa ceſſante , illicitum eſt in Templis , & Altaribus Hæreticorum Sacra facere , cum Eccleſiæ Decretorum contemptum indicet , & modicæ erga tantum Sacramentum reverentiæ præbeat argumentum.

253. Quod

253. Quod verò dicitur in oppoſitum, Templa Hæreticorum, & Schiſmaticorum eſſe prophana, adeoque in illis celebrari non poſſe: negari poteſt Conſeq. Nam ſumma compellente neceſſitate, in omni loco, etiam prophano, Sacrificium Miſſæ fieri poteſt, apud Buſemb. lib.6. Trac.3. cap.3. dub.4., dummodo in Altari portatili conficiatur: cæterum Templa etſi Hæreticorum, & Schiſmaticorum, ſi verè fuerint ab Epiſcopo conſecrata, non ſunt prophana, nec Ritibus Hæreticorum polluta; vel ſi polluta ſint, per reconciliationem reſtituuntur. Omnis autem difficultas tollitur in Altari portatili celebrando, quodquidem in pleriſque locis Miſſionum, ubi fixum haberi non poteſt, conceditur.

QUÆSTIO III.

An liceat inter Infideles, & Hæreticos Calicem æneum, aut cupreum adhibere, ſi deſit aureus, aut argenteus?

254. RESP. Non licere, ſed requiri, quod ſit aureus, aut argenteus, vel ſaltem ſtamneus, quod quidem etiam de Patena intelligendum eſt.

255. Ratio ex Sac. Canonibus. Nam Syn. Tribur. Can. 9. relat. de conſec. Diſt.1. prohibet omnino uſum Calicis lignei, Remen. c.6. ibidem relatus vult omnino ex auro, aut argento eſſe conflatum. Idipſum habetur ex Oxonion.I. cap.3. Londin. I. cap.5. Cojacen. cap.3. Dixi autem, *ſaltem ſtamneum* Calicem eſſe oportere: quia hoc in Canone conceditur, Cap. *Ut Calix* loc. cit. de Conſec. ubi habetur: *Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtamneum*

Calicem habeat : at hujuſmodi conceſſio excludit cupreum, aut æneum Calicem, etiam urgente neceſſitate, particula enim *ſaltem* eſt quidem implicativa additi ſuperioris, non tamen inferioris, quod excludit, ex Barboſ. Dict.355.

256. Idipſum ſentiunt Doctor. S. Thom. 3. Part. Quæſt.85. art.3. ad 6. Richard. 4. Senten. Diſt.13 Quæſt.3. Abbas in cap.ult. de celeb. Miſſar. & ſuadet ratio. Nam magnâ irreverentiâ Sacramentum afficitur, illud in vaſe cupreo, aut æneo conficiendo; cuprum enim, aurychalchum, & alia ſimilia metalla ob vini virtutem eruginem pariunt, & vomitum provocant; ergo, nulla neceſſitate cogente, poteſt Calix æneus, aut cupreus adhiberi: intelligendo tamen de cuppa, non autem de pede Calicem ſuſtinente: multò antem minus licebit uti ligneo Calice, quia Vinum abſorbet, ut monet Gloſs. ibidem, aut vitreo, quia facile frangi poteſt, & Sanguis indecenter effundi; ergo numquam licitum eſt uti Calice cupreo, aut æneo, cum particulæ: *Nullo modo, omnino,* quibus Canones utuntur, omnimodam excluſionem ſignificent, ut optimè Barboſ. eas expendens in dict. uſufrequen., cumulatis juribus, & Doctoribus, animadvertit.

257. Opponitur magna neceſſitas Sacrificii offerendi, & ſumma quoque inopia, quæ in Miſſionibus urget habendi Calicem aureum, aut argenteum: at hoc non cogit, cum hæc neceſſitas à Sac. Canonibus fuerit prævifa, & nihilominus nullus Calix, niſi aureus, aut argenteus fuit admiſſus. Innocentius ſolummodò IV. Conſtit. 14. *Sub Catholicæ* Græcis ob inopiam, quâ premebantur, conceſſit uti Calice ſtamneo, uti etiam conceditur, Cap. *Ut Calix* de Conſec.; at exceptio firmat Regulam in contra-

trarium, L. *Quæſitum* §. *Denique* ff. *De fundo*. In Primitiva quidem Eccleſia, urgente perſecutione, hujuſmodi Calices adhibebantur: at motiva, quæ tunc urgebant, non militant in præſenti, quæ, tametſi ab Eccleſia ſciantur, eam minimè inducunt ad hujuſmodi Privilegia concedenda.

QUÆSTIO IV.

An Miſſionarii uti poſſint Calice ab Epiſcopo non conſecrato, ſed ſolummodò à ſe benedicto?

258. Reſp. Citrà Romani Pontificis Privilegium non poſſe.

259. Prima Pars oſtenditur. Quia Sacri Canones eodem modo loquumtur de Calicis, ac de Altaris Conſecratione, uti habetur de Sac. Unctione Cap. Final., & Diſt. 1. cap. 2. de Conſec. Altare autem ab Epiſcopo Chriſmate non conſecratum, ſaltem quoad tabulam lapideam, in quo Calix cum Patena conſiſtat, non eſt aptum, ut in eo Sacrificium offeratur, de Conſec. Diſt. 1. Cap. *Nullus Presbyter*, Diſt. 25. Cap. *Perlectis*, Cap. *Miniſtrare* 26. Quæſt. 9. quod quidem deciſum quoque fuit in Synod. Senon. cap. 38., & à Sac. Congreg. apud Lezan. Sum. Quæſt. Regul. Tom. 3. V. *Calix*.

260. Et ratio eſſe poteſt. Quia Calix, & Patena magis Chriſti Corpori approximantur, quam Altare: at minimè licitum eſt conficere Euchariſtiam abſque Altari aut fixo, aut portatili, ab Epiſcopo Chriſmate conſecrato; ergo neque abſque Calice, aut Patena; ergo neque Calix, ac Patena adhiberi poſſunt, niſi Conſecratione præmiſſa, & hoc quacumque

 neceſ-

neceſſitate non obſtante, ſicuti eà non obſtante, niſi ſuper Altare, Sacrificium fieri poteſt.

261. Secunda quoque Pars patet. Nam Summus Pontifex facultatem hanc tribuere poteſt ſimplici Sacerdoti, ſicuti ipſi dare poteſt facultatem, Sacramentum Confirmationis conferendi, & revera olim pluries fecit, ex Floren. in Inſtruc. Armen.; ergo etiam Miſſionariis hanc facultatem tribuere poteſt. An verò reipſa hujuſmodi facultas data fuerit? Privilegia ſingulorum Ordinum ſunt inſpicienda à Triden. non revocata. Quantum ad conſuetudinem Calicis, & Patenæ conſecrandæ, Epiſcopo abſente, Roderic. noſt. Tom. 1. Quæſt. Regul. & Canonic. Quæſt. 28. art. 2. aſſerit, Minoritis apud Indos degentibus, nedum pro uſu proprio, ſed etiam alieno, à Leone X. anno 1521.; Patribus verò Societatis Jeſu à Paulo III. anno 1549. fuiſſe Indultum hoc conceſſum: Imo Adrianum VI. iiſdem Minoritis anno 1522. conceſsiſse facultatem Confirmationis Sacramentum conferendi, authoritate hujuſmodi à Provincialibus erga ſubditos ſuos communicanda: quod quidem Privilegium non videtur à Tridentino revocatum, cum nullum Epiſcopis præjudicium inferre conſpiciatur.

262. Cæterum ne res tam gravis in incerto maneat, unuſquiſque ex Miſsionariis Indulta ſibi à Sede Apoſtolica conceſſa perpendat: ac dubius manens ſecuritati, atque dignitati tanti Sacramenti conſulat: ſatius enim eſt Sacrificium omittere, quam modo incongruo conficere, de Conſec. Diſt. 1. Cap. *Sicut non alii*.

263. Neceſsitas, quæ opponitur, non videtur evincere, ſi deſit Apoſtolicum Indultum. Lex enim univerſalis eſt; adeoque omnes caſus comprehendit, quos utique Legiſlator prę-

vidit,

vidit, &, ſi voluiſſet, expreſsiſſet: quod autem mens Eccleſiæ talis ſit, patet ex praxi ipſius, numquam conficere Sacrificium, abſque Calicis, & Patenæ præmiſſa conſecratione permittentis; vel ſi permittit, hoc facit Privilegio expreſsè conceſſo, ſicuti non videmus Miſſam, niſi ſupra tabulam conſecratam celebrari.

264. Nec refert, urgente neceſsitate, poſſe à non Epiſcopis loca Sacra conſecrari, de Conſec. Diſt. 1. cap. 1. Nam loca Sacra magis diſtant à Corpore Chriſti, quam Calix, & Patena ipſum immediatè reſpicientes: hinc videmus interdum etiam in locis prophanis Sacrum fieri, numquam autem per Vaſa prophana: tumquia facultas, de qua loquitur Textus, non refertur ad Vaſa Sacra, ſed ad Loca, ut optimè ibi Gloſs., & hoc cogente neceſsitate.

265. Quæres I. An Miſsionarii Apoſtolici Veſtes, Pallas, & Corporalia abſque Epiſcopo benedicere valeant?

266. Reſp. Poſſe, non quidem jure communi, ſed ex Indulto Apoſtolico.

267. Prima Pars patet. Quia hujuſmodi benedictio, utpote ſolemnis, ad ordinem pertinet Epiſcopalem, etiamſi abſque Sacra Unctione fiat, ita ut ſola Romani Pontificis authoritate à ſimplici Presbytero impendi queat, ex Sac. Rit. Cong. apud Piaſec. Part. 1. Prax. Cap. 2. art. 4. n. 16., & Gavant. ad Rubr. Miſſal. Part. 4. tit. 9. num. 16., & eruitur ex Cap. *Aqua* de Conſecratione: Miſsionarii autem nec Epiſcopi ſunt, nec authoritate gaudent Epiſcopali; ergo, ſpectato jure, non poſſunt ſe hujuſmodi benedictionibus, citra piaculum, & invaliditatem benedictionis, immiſcere, adeout, juxta aliquos, etiam irregularitatem incurrant actum Ordinis exercentes, quo carent, per Textum in

Capite *Si quis*, de Clericis non ordinatis.

268. Secunda Pars patet ex praxi Sedis Apoſtolicæ Regularibus hanc poteſtatem concedente, ex Sorb. in Privileg. Mendic. Compen., & ſignanter Minoritis ex Bul. Leonis X. *Religionis*, apud Confet. de Privileg. Mendic. Part.1. & Roderic. Tom. 1. Quæſt. Regul., & Canonic. Quæſt. 19. art. 2., eoquia Chriſma in eis minimè intervenit. Quæ quidem facultas videtur competere Miſsionariis à Sede Apoſtolica, vel Sac. Cong. immediatè miſsis: cæteris verò preſertim Minoritis ex conceſsione Gregorii IX. ex Sorb. loc. cit.

269. Quæres II. An liceat Catholicis uti Calice, Veſtibus, & Inſtrumentis, quibus Hæretici, aut Schiſmatici utuntur?

270. Reſp. Poſſe, ſi à verò Epiſcopo ſint Vaſa hujuſmodi, & Inſtrumenta conſecrata, vel benedicta. Ratio eſt: Quia ex hoc, quod Epiſcopi conſecrantes, aut benedicentes ſint Schiſmatici, aut Hæretici non amittunt Ordinem Sacrum, quem ſuſceperunt; ergo nec poteſtatem conſecrandi, aut benedicendi ſolemniter Vaſa Sacra, Veſtes, & Utenſilia; adeoque, cum verè ſint conſecrata, aut benedicta, iis Miſsionarii uti poſſunt. Requiritur tamen neceſsitas, ne Catholici, vel in minimo Hæreticis, vel Schiſmaticis adhærere videantur.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An à Catholicis ad Miſſæ intereſſendum Schiſmatici, aut Hæretici admitti queant?

271. Reſp. Hæreticos, aut Schiſmaticos, quorum Schiſma, aut Hæreſis publicè non apparet, poſſe, imò debere admitti.

272. Ducor autem. Quia nemo privatione Eccleſiaſticæ communionis publicè infamari debet, niſi crimen ſit publicum, & notorium: infamarentur autem impedientes ad Miſſam audiendam, vel ad preces fundendas, niſi admitterentur, aut ſi Sacrificium ceſſaret; ſupponerentur enim publicè, & notoriè excommunicati; ergo, niſi publicè, & notoriè de ipſorum Schiſmate, aut Hæreſi conſtet, repellendi non ſunt, ſed admittendi, ſicut alii Fideles. Secus dicendum eſt, ſi evidens eſſet, ingredientes eſſe Schiſmaticos, aut Hæreticos: tunc enim ſicuti de eorum ab Eccleſia ſeparatione publicè conſtat, ita conſtat quoque, non debere cum ipſis in ſacris communicari.

273. Si tamen Conſecratio ſit peracta, nec poſſent ſine perturbatione de Templo expelli, Sacerdos debet proſequi Sacrificium. Nam præceptum de perficiendo quoad ſubſtantiam Sacrificio, utpote Divinum, majus eſt, quam illud de vitandis Schiſmaticis, & Hæreticis, quod Eccleſiaſticum eſt.

274. Imò nonnulli apud Avilam Part. 2. Cap. 6. §. 9. Dub. 6. exiſtimant, etſi dumtaxat Canon ſit inceptus, adhuc poſſe Sacrificium proſequi, eoquia Canon magnam cum cæteris partibus dicit integritatem, etſi priores ejus

F 5 par-

partes ante conſecrationem non ſint eſſentiales.

275. Ex his deducitur, Schiſmaticos, aut Hæreticos ad Eccleſiam Catholicorum accedentes, dum Miſſæ Sacrificium perficitur, ſi id fiat ex mera curioſitate, vel aliis politicis motivis, non impedire, quin poſſit Sacrificium proſequi, eoquia apparet, in eo Sacrificio minimè cum Catholicis communicare; ſicut nec Catholici cum Hæreticis, aut Schiſmaticis communicant, quoties ob eadem motiva Templum eorum ingrediuntur, & ſacris eorum aſſiſtunt: quæ præſumptio de Catholico excommunicato Eccleſiam ingrediente, ac Miſſam audire tentante, non habetur.

276. Nec officit, Miſſam, niſi per excommunicati denunciati adventum, interrumpi non oportere, ex Bonac. de Cenſur. Diſp. 2. Quæſt. 2. Punc. 2. Propoſ. 4., quales profectò Hæretici, aut Schiſmatici Orientales non ſunt: ſi enim notoriè Hereſim, aut Schiſma profitentur, notorium etiam eſt in excommunicationem incidiſſe; imò ut vitentur ſufficit, eſſe publicos Schiſmaticos, qui à ſeipſis Eccleſiam reliquerunt. Si autem Ethnici ſupervenianr, minimè opus eſt, Miſſam interrumpere, cum nullo jure id præſcribatur, niſi Sacrorum prophanatio timeatur; idcirco à Paulo V. Conſtit. XL. *Ex omnibus* expreſsè permittitur.

277. Ex his ſequitur, Schiſmaticum occultum, aut Hæreticum in Eccleſia Catholicorum Sacram Synaxim publicè poſtulantem nullo pacto poſſe repelli, etſi Sacerdoti ipſius Schiſma, vel Hæreſis privatim conſtet. Peccator enim occultus publicè petens à communione non repellitur, Cap. *Sacerdos* de offic. Ord., & elicitur quoque ex Cap. *Placuit* 2. Quæſt. 6.; aſſeritur autem à S. Thom. 3. Part. Quæſt. 80. art. 6.

art.6. D. Bona. 4. Diſt.9. Quæſt.3., & Recentioribus communiter: quidquid in oppoſitum Cardinalis de Laurea ſcripſerit Tom. 1. de Sac. in Gen. Diſp. 10. art. 5. Nam in tali caſu peccator ille non apparet publicè indiſpoſitus; ergo nequit illi abſque injuria, famæque denigratione Communio denegari; ergo neque Schiſmatico, aut Hæretico occulto, ob eamdem rationem denegari poteſt.

QUÆSTIO VI.

An Miſſionariis carentibus Vino liceat, urgente neceſſitate, in ſolo Pane Sacramentum Euchariſtiæ conficere?

278. RESp. Negativè, eruitur ex Doct. Subtil. 4. Diſt. 8. Quæſt. 3.

279. Patet. Nam illicitum eſt, ſtante quacumque neceſſitate, agere in re Sacramentali adverſus Divinum Præceptum: at in Miſſæ inſtitutione Chriſtus Dominus utramque ſpeciem adhiberi mandavit, ex Triden. ſeſs.22. Cap. 1. Hinc ſeſs. 21. Cap. 1. declarat: *Nullo Divino Præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum*; ergo Clerici conficientes Divino Præcepto obligantur, ut contradiſtinguuntur à non conficientibus; ergo illicitum eſt, ſub unica tantum ſpecie conficere, ex Divino Præcepto.

280. Ulteriùs. Præceptum in nullo caſu violari poteſt, quoties Eccleſia in eo diſpenſare nequit, utpote Divino: inferior quippe in ſuperiorem non habet poteſtatem, 2.Quæſt.1. Cap. *ſunt quidam*, & notat eruditè Subtilis loc. cit.: at Eccleſia non poteſt diſpenſare, ut in

una tantum ſpecie Sacrificium Miſſæ conficiatur, ex Triden. ſeſs. 21. Cap. 2. ubi declarat, poſſe quidem ab ea ſtatui, ac mutari, quæ Sacramentorum venerationi, ac Suſcipientium utilitati magis conducunt, at *ſalvâ illorum ſubſtantiâ*: non eſſet autem ſalva Sacramenti Euchariſtiæ, ac Sacrificii Miſſæ ſubſtantia, ſi ſub una tantum ſpecie confici poſſet, cum Chriſtus ſub utraque Sacramentum, & Sacrificium inſtituerit; ergo numquam licet ſub una tantum ſpecie conficere: hinc Cap. *Comperimus* Diſt. 2. Sacerdos iſta audens facere, cum ſacrum dividat Myſterium, magni ſacrilegii reus aſſeritur.

281. Tandem oſtenditur ex hoc, quod Euchariſtiæ Sacramenti confectio à Sacrificio ex Chriſti inſtitutione ſeparari non poteſt: at Sacrificium ex Chriſti inſtitutione fieri non poteſt ſine Conſecratione Panis, & Vini, cum ſit expreſſa Imago Sacrificii cruenti in Cruce peracti; deeſſet enim vera, & propria expreſſio oblationis, & effuſionis Sanguinis per Vinum effuſum ſignificatæ; ergo in nullo caſu licitum eſt, Euchariſtiæ Sacramentum ſub una tantum ſpecie conficere, etſi liceat diſtribuere.

282. Obji. Tumquia, etſi ſub unica tantum ſpecie fiat Euchariſtia, Sanguis tamen inducitur per concomitantiam, & vera ſit oblatio, & Victimę immutatio. Tumquia in unica tantum ſpecie repręſentatur Sacrificium cruentum in Cruce peractum, cum exprimatur Corpus abſque Sanguine, quod eſt verè mactatum, atque immolatum: Tumquia Euchariſtiæ confectio Sacrificium eſt, & convivium: at poteſt ut convivium ſtare in una tantum ſpecie, ſub qua Fidelibus diſtribuitur; ergo etiam ut Sacrificium. Tumquia idem in reipſa eſt Sacra-

men-

mentum Euchariſtiæ, & Miſſæ Sacrificium, ſed licitè, urgente neceſſitate, fit Sacramentum Euchariſtiæ ſub unica tantum ſpecie; ergo etiam Sacrificium Miſſæ.

283. Ad Primum neg. Conſeq. etſi enim Sanguis per concomitantiam inducatur, non tamen primò, & per ſe: ad hoc autem ut Sanguis effuſus à Chriſto exprimatur, oportet, diſtincto Symbolo exprimi, uti Sanguis ipſe effuſus eſt. Victima autem per ſolum Corpus exangue exprimitur quidem oblata, ſed imperfectè, cum non intelligatur mactata, niſi Sanguine effuſo.

284. Ad ſecundum dico, ſicuti per Corpus ſolummodo Animalis exangue non fit integrum Sacrificium, ſed requiritur Sanguinis effuſio; ita per ſolam ſpeciem Panis, cum exprimatur ſolum Corpus Chriſti exangue, non repræſentatur integrè Sacrificium Crucis cruentum.

285. Ad Tertium neg. Conſeq. Nam convivium perfectum ſtare poteſt, quoties poculum præbeatur ſivè ſub ſpecie Vini, ſivè non: cum præbeatur etiam ſub ſola ſpecie Panis idem Chriſtus, qui præbetur ſub ſpecie Vini: at ſicuti Sacrificium ſtare non poteſt, niſi Victima nedum immoletur, verum etiam ejus Sanguis effundatur, ita non eſt repræſentatio Sacrificii, niſi utrumque repræſentetur, quod fit in Miſſæ Sacrificio per diſtinctam Vini oblationem.

286. Ad Ultimum ℞. Euchariſtiam eſſe quidem Sacrificium, & Sacramentum; at ſub diverſa ratione: attamen ſicut non fit Sacrificium ſine utraque ſpecie, ita nec fit Sacramentum, eoquia Sacrificium tranſit, Sacramentum autem permanet, idcirco ſub unica tantum ſpecie

diſtri-

diſtribui poteſt, quia ſub eâ ſalvatur optimè Sacramentum, non Sacrificium.

287. Petes, cur liceat, cogente neceſſitate, omittere aliqua peccata in Confeſſione, tametſi integritas ipſius ſit de jure Divino, non licebit autem omittere Calicis conſecrationem, quia de jure eſt Divino?

288. Reſp. Rationem eſſe: Quia omittendo illa peccata, ſervatur adhuc Sacramenti integritas formalis: non autem ſervatur integritas formalis Sacrificii, ſi fiat ſub una tantum ſpecie, ob rationem in Capite Quæſtionis adductam.

QUÆSTIO VII.

An, urgente neceſſitate, poſſit Sacerdos Latinus uti Fermentato, Orientalis Azymo?

289. RESp. Affirmativè. Ducor. Quia Preceptum merè Eccleſiaſticum non obſtringit, magna, & vera neceſſitate urgente, utpote Lex merè humana: Præceptum autem de Azymo, aut Fermentato adhibendo eſt merè Eccleſiaſticum; Chriſtus enim Dominus, etſi in Azymo confecerit, inſtituendo Euchariſtiæ Sacramentum, non tamen præcepit confici in Azymo, alioquin Eccleſia Græcos in Fermentato conficere non permitteret, nec permittere poſſet; ergo, compellente magna neceſſitate, non peccaret Miſſionarius Latinus conficiendo in Fermentato.

290. Minimè autem officit, quod objici poteſt, de Celeb. Miſſ. Cap. Final., officio privari Sacerdotem Latinum in Fermentato conficientem, nec Præceptum negativum de non conficiendo in Fermentato violari non poſſe, ut obſerve-

ſervetur affirmativum de Sacro audiendo, aut Euchariſtia ſumenda. Nam quantum ad primum, quod objicitur ex Cap. Final. de Celeb. Miſſ. ideo contigit, quia Sacerdos ille citra neceſſitatem ullam inſipienter Fermentato uſus, Calicem ligneum abſque aqua, & igne adhibuit. Quantum verò ad ſecundum, utraque Lex merè Eccleſiaſtica non cogit, neceſſitate compellente: cæterum quoties una ad alteram eſt ordinata, ſi utraque nequeat obſervari, potiùs illa, ad quam altera ordinatur ſervanda eſt, quam prior.

291. Eodem motivo poteſt Orientalis uti Azymo, cum uſus Fermentati Sacramenti validitati minimè noceat, & ab Eccleſia Orientali præſcribitur, non Domini Præcepto, dummodò ſcandalum abſit, quod quidem utiliùs naſci permittitur, quam Veritas relinquatur, de Reg. Jur. Cap. *Qui ſcandalizaverit*, quoties Veritas, Juſtitia, aut Diſciplina periclitantur, ut optimè Gloſſ. in Reg. hujuſmodi: non tamen quando incommoda hæc non contingunt, neque Lex eſt indiſpenſabilis, utpote merè humana, alioquin nulla Lex poſitiva humana poſſet in ullo caſu aut frangi, aut diſpenſari, quod apertè falſum eſt.

QUÆSTIO VIII.

An liceat Miſſionariis Fœminam ad Miſſæ famulatum adhibere, vel abſque Miniſtro Celebrare.

292. Reſp. In nullo caſu licitum eſſe Fœminam adhibere ad famulatum Miſſæ, poſſe tamen celebrari abſque famulo, ſi nullus Maſculus ſuppetat.

293. Prima Pars, quæ communis eſt, oſtenditur. Nam Sacri Canones à Sac. Altaribus omnino Fœminam arcent, ex Laodic. Cap.44. Part.6. Lib.1. Cap.45. Zacchar. Papa Epiſt. 7. Cap. 15. ex Gelaſ. Epiſt. 9. Item à Sacrario repellitur, ex Lucen.II. Cap.42.: nec in Eccleſia docere permittitur licet docta, ex Chartag. IV. Cap. 99: nec ſedere in Choro, aut Lectiones legere, de cohabit. Cleric. Cap. 1., nec Sacramenta miniſtrare, præter Baptiſmum, compellente neceſſitate, ex Pariſ. VI. Lib. . Cap. 43., nec Sacra Vaſa tangere, Diſt. 25. Cap. *Sacrata*; ergo neque famulari in Miſſæ Sacrificio.

294. Accedit indecentia acceſſus Mulieris ad Altare, tum ob Sexus imperfectionem, tum ob periculum corruptionis in Sacerdote; tumquia non datur in Actis Eccleſiæ ullum exemplum hujuſmodi famulatus; ergo numquam licitus eſt.

295. Secunda Pars, quam tenent Bonac. Dian. apud Buſemb. Lib. 6. Trac. 3. Cap. 3. n.9. oſtenditur: quia nulla apparet notabilis indecentia, cum videamus etiam inter Catholicos permitti, ſi Sacerdos inchoata Miſſa, Miniſtro deſtituatur; ergò multò fortiùs licebit Miſſionario, quem neceſſitates longè urgentiores Sacrum faciendi poſſunt impellere.

296. Obji. Contra primam Partem, Moniales ex Choro reſpondere: legem humanam, urgente neceſſitate, non cogere: urceolos porrigere, ac reſpondere Sacerdoti, non videri indecentiam talem, ob quam Mulieres arceantur. At hæc levia ſunt. Nam reſpondere, ut faciunt Moniales, immediatum miniſterium nequaquam ſignificat, cum longè ab Altari abſint. Lex Eccleſiæ utique humana eſt: atquia rigidè adeo inculcatur, omnem caſum excludit,

dit, cum neceſſitatem omnem prævidcrit, quæ poſſit contingere. Porrigere urceolos, & immediatè reſpondere, quia dicit approximationem proximam ad Altare, Mulieribus indecentem, idcircò vetitum eſt.

297. Adverſus ſecundam Partem facit indecentia, ut ſibi ipſi Sacerdos famuletur, qui Populum repræſentat, & pro quo orat, & cum quo communicat; ergo numquam licet Sacerdoti abſque famulo celebrare, juxta Bonac. Diſp.4. Quęſt.ult. Punc.10. n.34., & alios, quos adducit. At iſta non cogunt. Nulla quippe notabilis indecentia committitur, cum indecens Miniſter non adhibeatur, ſed nullus. Nec inconvenit ſibi, compellente neceſſitate, Sacerdotem miniſtrare; quatenus enim merè ſacrificat, gerit vicem Sacerdotis; quatenus autem famulatur, Populum repręſentat; nec majus incommodum eſt ſibi famulari ſacrificanti, quam Communionem ſacram ex ſemetipſo ſibi miniſtranti præbere.

QUÆSTIO IX.

An liceat Miſſionariis Apoſtolicis juxta Orientalium conſuetudinem tribus horis poſt meridiem Miſſam celebrare?

298. RESp. Licere. Ita Pignatel. Tom.7. Conſult. 50. & Tom.8. Conſult.85. multos ibidem adducens, Vivald., Sotum, Navar. Rodrig., & Alios.

299. Prob. autem. Quia conſuetudines Eccleſiarum particularium Fidei Orthodoxæ Dogmata neque in minimo violantes obſervandæ ſunt, etſi ab illis Eccleſiæ Romanæ diverſæ, Diſt. 12. Cap. *Conſuetudinem*, Cap. illud *Breviter*,

viter, & firmat Gregorius Magn. L. 5. Epiſt. 75. Leo IX. ad Michael. Cærul. Epiſt. 5.; quod quidem in variis Hiſpaniæ, Galliæ, aliorumque Regnorum Eccleſiis conſpicimus, ex Petro Cluniac. Epiſt. 2. Fulbert. Carnot. Epiſt. 1. ad Finard.: at conſuetudo hæc Maronitarum in memoriam Chriſti hora illa in Cruce expirati jejunandi, Fidei Orthodoxæ neque in minimo adverſatur, & antiquiſſima eſt; ergo poteſt à Miſſionariis ſervari, ne optimi illi Catholici ſacrum omittere compellantur.

300. Opponitur I. Miſſalis Romani Rubrica, auroram, & meridiem pro termino Miſſæ celebrandæ aſſignans: at hoc non cogit, cum Rubricæ illæ pro Occidentali Eccleſia deſerviant, non pro Orientali, cujus Ritum Maronitæ ſequuntur: cæterum, etſi conſuetudo iſta Latinorum eſſet univerſalis, adhuc ipſi derogari poteſt per conſuetudinem particularem legitimè præſcriptam, uti Legi univerſali derogatur per Privilegium legitimè obtentum: *Generi*, enim, *per ſpeciem derogatur*, de Regul. Juris in 6.: eo magis quia hæc conſuetudo non eſt obligativa, ſed in commodum Sacerdotum, qui nolunt celebrare impranſi, & Sæcularium, cupientium Miſſam ante prandium audire, nec tamen frangere conſuetudinem Orientalium Die jejunii tribus horis poſt meridiem comedendi.

301. Opponunt II. Conſtit. IV. S. Pii V. *Sanctiſſimus*, qua vetantur celebrari Miſſæ tempore veſpertino, & revocantur omnia Privilegia; & Innoc. IV. Conſtit. XIV. *Sub Catholicæ* nolentis celebrari Miſſam poſt horam Nonam: tribus autem horis poſt meridiem celebrare, eſt celebrare horâ veſpertinâ, & poſt Nonam. Hæc tamen ad rem non faciunt. Tumquia ci-

tatæ

tatæ Conſtitutiones Eccleſiam Orientalem minimè reſpiciunt, ad quam Maronitæ pertinent. Tumquia celebrare tribus horis poſt meridiem, non eſt celebrare tempore veſpertino, & poſt horam Nonam, ſed horâ Nonâ.

302. Quæres I. An apud Orientales liceat tribus horis ante Auroram celebrare, ſicut licet apud Maronitas tribus horis poſt meridiem?

303. Reſp. Mores, & Conſuetudines antiquas illius Eccleſiæ eſſe inſpiciendas: ſi enim non vigeat ulla ſpecialis conſuetudo, Eccleſiæ univerſalis conſuetudo ſervanda eſt, ante Auroram, citra neceſſitatem, non celebrandi, etſi in multis locis in Gallia, Germania, & Belgio oppoſita conſuetudo habeatur, ne operarii, ac famuli Miſsâ deſtituantur, juxta Laym. Lib.5. Trac. 5. Cap. 3. Regulares verò Privilegiis gaudent etiam ante Auroram celebrandi, apud Roder. Quæſt.43. art. 1. & Sorb. in Compen. Privil. Mendic. V. *Miſſa*.

304. Quæres II. An Sacerdos Catholicus callens linguam Orientalium, & carens proprio Miſſali, poſſit uti Miſſali Schiſmaticorum?

305. Reſp. Sacerdotem Latinum Catholicum non poſſe illo uti, cum proprium Ritum ſervare debeat, ex S. Pio V. Conſtit. XII. *Providentia*. Orientalem verò poſſe uti, ſi careat proprio, eoquia ſequitur Ritum ſuum, neque communicat cum Schiſmaticis, aut Hæreticis, quoties Miſſale, aut Breviarium eorum Hæreſim, aut Schiſma nullo pacto contineat.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

An liceat Miſſionariis ſtipem à Schiſmaticis, aut Hæreticis accipere pro Miſſa juxta eorum intentionem celebranda?

306. RESp. Non licere. Ducor. Quia non licet offerre Sacrificium pro Schiſmaticis, aut Hæreticis cognitis, & publicis, quales ſunt plerique Orientales; ergo neque ab eis recipere ſtipem, ut offeratur. Conſeq. patet. Nam illicito fine exiſtente, ſunt etiam illicita media; ergo ſi illicitum eſt offerre Sacrificium pro Schiſmaticis, & Hæreticis, erit quoque illicitum recipere ſtipem, ut pro ipſis offeratur. An. autem eſt evidens. Nam eſt illicitum communicare cum Hæreticis, aut Schiſmaticis notoriis, quales ſunt plerique Orientales; ergo illicitum eſt offerre Sacrificium juxta eorum intentionem: hinc enim verè cum ipſis in Sacris communicaretur, applicato ipſis Sacrificii fructu.

307. Urgetur. Sacerdos juxta intentionem cujuſquam celebrans publici Eccleſiæ Miniſtri Perſonam gerit, cujus nomine Sacrificium offert: at Eccleſia vetat hanc cum præciſis ab ea membris publicam Orationem, & Sacrificii oblationem, Cap. *A nobis* de ſentent. Excommunic. Hoc autem eſt verum, etiamſi admittatur ſententia, Bullam Synodi Conſtantienſis *Ad evitanda* Schiſmaticos quoque, & Hæreticos comprehendere arbitrantium: nam ipſa in favorem tantummodò Fidelium, non autem excommunicatorum edita eſt, ut optimè Maſt. noſt. Diſp. 19. Quæſt. 5. art. 1. n. 62. & Bonac. quoque de Cen. Diſp. 2. Quæſt. 2. Punc. 1. §. 3.

nota.

notarunt; ergo ſicuti non licet Sacerdoti pro Schiſmaticis, aut Hæreticis Sacrificium offerre, ita nec ſtipem accipere.

308. Opponitur, Schiſmaticos, aut Hæreticos eſſe capaces alicujus fructus Sacrificii, V. G. bonorum temporalium, & converſionis ad Fidem Orthodoxam; ergo ſicuti quantum ad finem hunc ſunt capaces fructus Sacrificii Miſſæ, ſicuti ſunt capaces Infideles, uti tenet Ponc. noſt. Diſp. 44. Quæſt. 10. Concl.4. Cur. Theol. & Laym. Lib.5. Theol. Moral. Trac.5. Cap.2. n.9. cum aliis; ita licebit quoque Sacrificium offerre, & pro illo ſtipem accipere.

309. Reſp. neg. Conſeq. Eccleſia enim, etſi ſint capaces, non vult, Sacrificium applicari directè pro eis, utpote membris reciſis, ſed ſolummodò pro Eccleſiæ unitis, Cap. *Sacra*, extra de ſentent. excom., & eodem modo de Infidelibus dicendum eſt, pro quibus offerri quidem Sacrificium poteſt, ſed nec nomine ipſorum, nec Eccleſiæ immediatè: Schiſmatici autem ſtipem porrigentes intendunt, Sacrificium pro ipſis directè, & immediatè offerri, quod nequaquam licitum eſt. Idipſum de Catechumenis eſt dicendum, pro quibus nec vivis, nec defunctis Miſſæ Sacrificium celebrari non poteſt; cum enim non ſint actu membra Eccleſiæ, ut optimè Bellar. Lib. 1. de Eccleſ. Cap. 4., ita nec fructum Sacrificii poſſunt percipere, aut Eccleſiæ Suffragia.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

An conſuetudo nonnullorum Orientalium ſuſtineri queat, qua uno Sacrificio pluribus Miſſarum oneribus putant ſatisfacere?

310. RESp. Quoties Populi illi noverint, à Sacerdotibus præſentibus, & communicantibus, nec Sacra Veſte indutis, uno dumtaxat celebrante, omnia onera Miſſarum cenſeri exſolvi, nec ipſi diſſentiant, conſuetudinem illam ſuſtineri poſſe: ſecùs minimè.

311. Prima Pars, quam cum Paludano, Silveſtro, Divo Antonino, & Thoma à Jeſu de Converſ. omn. Gent. tenet Pignatel.Tom.6. Conſult. 41. n.47., oſtenditur. Nam ideo duobus oneribus unico Sacrificio nequaquam ſatisfit, quia ratione promiſſionis, ac ſtipendii accepti tenetur Sacerdos ſingulis ſatisfacere, & omittens facit ipſis injuriam, auferendo fructum ſpecialem, quem, ſtipe erogata, exigebant: at hæc ratio in caſu ceſſat, ipſis conſentientibus: *Volenti*, enim, *& conſentienti non fit injuria, neque dolus*, de Regul. Jur. in 6. cenſentur enim cedere juri ſuo; ergo non peccant Sacerdotes illi: petentium quippe voluntati ſatisfaciunt.

312. Secunda quoque Pars liquet ex Sac. Cong. Decreto ſub Urbano VIII. §. 3. mandantis, tot Miſſas celebrari oportere, quot ſunt Eleemoſynæ attributæ, etiamſi Eleemoſynæ ſint tenues, & fructus *ſpecialiſſimus* non Sacerdoti, ſed Miſſas præſcribenti, applicari oporteat, ex Alex. VII. hanc Propoſitionem proſcribente: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos accipere, applicando petenti partem etiam*

ſpe-

ſpecialiſſimi fructus, ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Vrbani VIII.

313. Ratio autem eſt. Quia ſivè valor Miſſæ ſit infinitus, ut Corduba, Silveſter, Cajetanus, & Alii opinati ſunt; ſivè finitus, uti tenent Doct. Subtilis, D.Bonav., S.Thom., & Recentiores multi apud Maſt. noſt. Theol. Mor. Diſp. 19. Quæſt. 4. art. 2. Sacerdos non poteſt duobus petentibus unico Sacrificio ſatisfacere, cum ratione ſtipendii, & titulo ſuſtentationis eo die, quo celebratur, dari debeat: ſtipendium autem, & obligatio duplex eſt; ergo &c.

314. Et profectò, ut optimè Sub. Qu. 20. Quodlibet. Ubi rem acutè verſat, ſi liceret uno Sacro pluribus oneribus ſatisfacere, fruſtra Capellaniæ, Præbendæ, Anniverſaria ſtatuerentur, quod falſum eſt. Quamvis enim Sacrificium ratione reì oblatæ valorem habeat infinitum: attamen ratione oblationis finitum eſt; qui ergo petit Sacrificium, & ſtipem porrigit, integrum fructum vult ſibi applicari: quoties enim pluribus vult prodeſſe, vel ob plures cauſas offerri, plura quoque Sacrificia præſcribit: & propterea non ſufficit plurium Sacerdotum Communio, quæ Sacrificium non eſt, ſed requiritur à ſingulis Sacerdotibus Sacrificium offerri, juxta onera præſcripta.

315. Quæ objici poſſunt contra primam Partem ſunt ea, quę pro ſecunda Parte faciunt, & eam reipſa evincunt: quatenus verò primæ Parti opponuntur, eis uno verbo ſatisfit dicendo, omnia illa vera eſse ſecundum ſe; attamen, accedente conſenſu eorum, qui onera præſcripſerunt, ceſsare omnem injuſtitiam, atque injuriam, quæ ipſi fieri poſset; Cæterum ſi conſuetudo iſta commodè à Miſſionariis Apoſtolicis tolli poteſt, ſatagere debent, ut eam

extir-

extirpent, & oneribus Miſsarum juxtà conſuetum Eccleſiæ ſtylum plenè ſatisfiat.

QUÆSTIO XII.

An ſuſtineri queat Orientalium nonnullorum conſuetudo, per plures particulas in eodem oblatas, & conſecratas unico Sacrificio pluribus Miſſarum oneribus ſatisfacere arbitrantium?

316. Reſp. Negativè. Ducor. Quia, ut oneribus Miſsarum ſatisfiat, oportet Sacrificia eſse plura, non plura per modum unius: Fideles enim nedum à pluribus Sacerdotibus, ſed ab uno plura Sacrificia poſtulant offeri: at in caſu noſtro, licet oblata ſint plura, oblatio tamen, & Sacrificium unum eſt; unitas enim Sacrificii non à re oblata tantummodò, ſed ab unitate oblationis deſumitur: Miſſa quippe eſt Sacrificii cruenti in Cruce peracti renovatio incruenta, & commemoratio 1. Cor. 11. 24. in caſu autem noſtro unica eſt oblatio, licet oblata ſint plura; ergo unum Sacrificium; adeoque pro pluribus non ſatisfit. Et profectò ſtultè inculcaret Chriſtus, hoc Sacrificium pluries repeti, juxta Triden. ſeſs. 22. cap. 1. Si ejuſdem unitas ex re oblata deſumeretur, quæ ſemper eſt eadem.

317. Deinde Eleemoſyna datur titulo mercedis ob laborem impenſum, & diurnæ ſuſtentationis: hoc autem fieri nequit, niſi quia petuntur plura Sacrificia ut plura, alioquin ſemper eadem Eleemoſyna tribueretur, cum idem eſſet labor; ergo nequit ſatisfieri pluribus oneribus per plùrium particularum conſecrationem

318. Nec

318. Nec ſufficit intentio pluribus ſatisfaciendi unica oblatione: ſicut enim Miſſa non fit intentione ſolummodò, ſed requiritur actio conſecrativa, ita unitas, & pluralitas ipſius non ex intentione tantum, ſed ex actione conſecrativa deſumenda eſt; ergo plura non fiunt Sacrificia, ſi unica eſt tantum actio conſecrativa, etſi Oblata ſint plura; ergo &c.

319. Opponi poteſt. Oblata eſſe plura in caſu; ergo æquivalenter tot ſunt Sacrificia oneribus Miſſarum correſpondentia. Quod enim Offerens tam principalis, quam inſtrumentalis ſit idem, non infert plura non eſſe virtualiter Sacrificia, cum ab uno principio plures effectus prodeant: ſic unus Sacerdos poteſt plures baptizare, atque abſolvere.

320. Reſp. Neg. Conſeq. Ut enim diximus, ex oblatione unitas, aut pluralitas Sacrificii deſumitur, non præcisè ex re oblata. Unum autem principium poteſt quidem plures effectus producere, at non unica actione, ſed pluribus; ut ergo plura ſint Sacrificia plures debent eſſe actiones ſacrificativæ, ſicuti plures ſunt Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quoties plures ſunt actiones baptizandi, & abſolvendi. In caſu verò, quo quis unicam Miſſam pro pluribus celebraret, omnes quidem juvaret, ſed diminutè, ut optimè Subtil. Quæſt. 10. Quodlibet., nec oneri ſatisfaceret, cum totum Sacrificium petatur à Celebrante, non diminutum.

321. Quæres I. Utrum conſuetudo nonnullarum Eccleſiarum Orientalium tribuendi quotidie, etiam Laicis Corpus Chriſti, poſsit ſuſtineri?

322. Reſp. Affirmativè, dummodò error quicumque in Dogmate abſit. Apud Primitivam enim Eccleſiam in uſu erat, ut ſupponit S. Thom. 3. Part. Quæſt. 80. art. 10. ad 5., & eli-

ei videtur ex Cap. *Quotidie* de Conſec. Diſt.2. etſi P. P. non eodem modo ſentiant, præcipuè Auguſt. vel quicumque ſit Auctor de Eccleſiaſ. Dogmat. Lib.5. Tom.2. Oppoſita quidem nunc viget conſuetudo, nec univerſaliter cenſeo conſuli oportere: ſed ſervandum eſt Decretum Innoc.XI. 1679. 22. Februar. emanatum, in quo, relicta Paſtoribus arbitrandi poteſtate, locum, tempus, Perſonarum qualitates, aliaſque circumſtantias mandat inſpiciendas, ut tantum Sacramentum cum fructu ſumatur, neque in vacuum Gratia Dei recipiatur.

323. Quæres II. Utrum ſuſtineri poſsit mos nonnullarum Eccleſiarum Orientalium, quarum Sacerdotes ex particulis Hoſtiæ majoris, qua Sacrificium conficitur Fideles omnes, quotquot fuerint, communicant, verbis Evangelicis freti Matth.26. 26. *Benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum?*

324. Reſp. tolerari poſſe, dummodo conſuetudo novitia non ſit. Nullam enim apertam, & Fidei Orthodoxę adverſam abſurditatem continere videtur.

325. Quæres III. Utrum, ſæviente Infidelium perſecutione, liceat Chriſtianis Orientalibus Corpus Chriſti in Eccleſia acceptum, Domum ferre, ſumptionem differre, aliò aſportare, Sacrumque in itinere retinere?

326. Reſp. Affirmativè. Omnia enim hæc in Eccleſia Primitiva in uſu fuere, cum hoc tantum diſcrimine, ut Laici Euchariſtiam in manu ſuſciperent, nitida tamen, Fœminæ verò in linteo mundo, quod Dominicale nuncupabatur, ex Concil. Antiſiodor. Cap.36. & 39., & habetur de Conſec. Diſt.1. Cap. *Non oportet*, & Cap. *Pervenit*.

327. Quæ-

327. Quæres IV. Utrum Catholicis Orientalibus ex antiqua conſuetudine ſub utraque ſpecie communicantibus, ut ſunt Abyſsini, Græci, & Alii, poſsit permitti in tali actu permanere, ſi citra incommodum ab illis retrahi nequeant?

328. Reſp. Poſſe, dummodò firmiter credant illi Fideles, integrum Chriſtum non minus ſub unica ſpecie ſumi, quam ſub utraque, nec ſumentes in una dumtaxat, veluti malè ſumentes reprehendant. Sicuti enim ex Sacris Literis explicitè nequaquam eruitur, ſub una vel utraque ſpecie ſumi Euchariſtiam oportere, ita diverſimode circa ejuſdem diſpenſationem Eccleſia variis temporibus ſe geſsit, ut optimè probat Becan. in Manual. Controverſ. Lib. 5. cap. 9.; interdum enim permiſit, interdum denegavit. In Synod. Conſtan. ſeſs. 13. prohibuit quidem: at ſimul aſſeruit, ejuſdem in Eccleſiæ exordiis uſum viguiſſe, etſi tunc, mutatis circumſtantiis, oppoſitum ſtatui opus eſſet. Triden. verò, etſi uſum unius ſpeciei voluerit eſſe immotum ſeſs. 23. Decret. ſuper conceſs. petit. Calic., arbitrio tamen Summi Pontificis reliquit cum illis diſpenſare, cum quibus expedire ipſi viſum fuerit. Quapropter ſi difficulter nimis ab hujuſmodi conſuetudine retrahi Fideles illi valeant, in ea ſunt relinquendi, dummodò minimè cenſeant, id eſſe de jure Divino, cujus oppoſitum Synod. Conſtan. ſeſs. 13. & Triden. ſeſs. 21. Can. 1. diffinivit.

329. Univerſaliter igitur, quoties Ritus, aut conſuetudo à Romanis moribus diverſa, nec Fidei Orthodoxę, nec Juri naturali, ac Divino adverſentur, nec falſam proteſtentur Religionem, tolerari debent, donec opportunitas acceſſerit ad meliora reducendi, ne intempeſtiva

ſeveritate ſummum jus exigentes amittantur omnia, & juri ipſi ſumma injuria inferatur.

QUÆSTIO XIII.

An Miſſionariis liceat eadem die pluries, cogente neceſſitate, celebrare?

330. RESp. Licere. Ratio eſt. Quia nullum datur præceptum ſive Divinum, ſive Eccleſiaſticum, quo interdicatur, graviſſima urgente neceſſitate, Miſſam iterari. Non quidem Divinum: Chriſtus enim Dominus nullibi eadem die repetitionem Sacrificii incruenti vetuit, cum indiſcriminatim 1. Cor. 11. 24. dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Non Eccleſiaſticum: cum olim ab Eccleſia plures quotidie ab eodem Sacerdote Miſſas celebrari permitteretur, ex Salaguſtād. IV. Lond. I. cap. 2. can. 1., nunc autem citra controverſiam tres Miſſæ die Natalis Domini celebrantur; Cap. *Conſuluiſti* de Celeb. Miſs. ergo, cogente graviſſima neceſſitate, quæ paſſim in locis Miſſionum ob inopiam Sacerdotum occurrere poteſt, licitum eſt Miſſionariis eadem die pluries celebrare.

331. Opponuntur Canones de Conſecr. Diſt. 1. Cap. *Sufficit*, & de Celeb. Miſs. Cap. *Conſuluiſti*: at ipſi loquuntur, quoties nulla, vel levis urget neceſſitas.

332. Opponitur quoque, Miſsam eadem die repetendo, inſinuari, cruentum Crucis Sacrificium multiplex fuiſse: at hoc non ſequitur, nam ex pluralitate exemplarium Archetypi multiplicitas minimè arguitur.

333. Objiciunt quoque, nullum Eccleſiæ Præceptum violatione alterius debere ſervari; ergo, etſi urgeat præceptum Miſſæ audiendæ die Fe-

Feſto, aut in Paſchâte Sacræ Synàxis ſumendæ, Præceptum de Miſsa eodem die non repetenda violari non debet. At major Argumenti vera eſt, quando Præcepta æqualis ſunt ponderis, non autem quando ſunt inæqualia; graviùs autem urget in Miſſionum Locis Præceptum de Miſsa audienda, & Communione ſumenda, quam de Miſsa eadem die non repetenda; cum neceſsitates ſumendi Euchariſtiam, & Sacrum audiendi magis urgenat; tumquia Fideles magnis tentationibus anguntur: tumquia pauciſsimi ſunt Sacerdotes Euchariſtiam miniſtrantes, & gravia urgerent pericula iis, qui frequenter eam non ſumerent; adeoque &c.

QUÆSTIO XIV.

An Forma nonnullorum Orientalium in Euchariſtia conficienda, dicendo : Hic Panis caro mea eſt &c. *poſſit ſuſtineri ?*

334. RESp. Non poſse. Ita Laym., Suarez, Henriquez, Coninch., & Alii apud Bonac. de Eucharif. Sacram. Diſp.4. Quæſt.3. Punc.1. n.12.

335. Ducor autem. Quia Forma hujuſmodi non eſt illa, quam Chriſtus Dominus præſcripſit Matth.26. 26. & Marc.14. 22., nempe: *Hoc eſt Corpus meum*, & quam Concilia approbant, & ſignanter Floren. in Inſtruc. Armen. ac Triden. ſeſs.13. cap.1. Eccleſiæ verò omnes Orthodoxæ tam Orientales, quam Occidentales adhibent, ac Patres omnes, quos cumulat Fraſsen noſter Tom.4. Scot. Accadem. Trac.2. Diſp.1. art.1. ſec.1. Quæſt. 1., veluti a Chriſto unicè traditam commendant; ergo hujuſmodi Forma tamquam invalida eſt rejicienda.

336. Rurſus: legitima Forma Euchariſtiæ nulla alia eſse poteſt, niſi illa, quæ ex vi verborum ſignificat, Panem converti in Corpus Chriſti, ex Cyril. Jeroſol. Catech. IV. Myſtag; at verba præfata ex vi verborum hujuſmodi converſionem minimè ſignificant, dicendo enim: *Hic Panis eſt caro mea*, denotatur, hunc Panem remanere Panem non prædicabilem de Corpore Chriſti, dicendo: *Hæc caro mea eſt hic Panis*; ergo non ſignificatur converſio Panis in Corpus Chriſti, uti bene ſignificatur, dicendo: *Hoc eſt Corpus meum, vel caro mea*: bene enim poteſt dici, *Corpus meum*, vel *caro mea eſt hoc*: nam per ly *hoc* ſignificatur implicitè, quod explicitè per ly *Corpus meum*.

337. Obji. Hæc Forma: *Hic Panis eſt caro mea*, æquivalet huic: *Hoc eſt Corpus meum*, quæ eſt Forma in Eccleſia communis; ergo poteſt ſuſtineri. Conſeq. patet. Ad ſubſtantiam enim, & validitatem Sacramenti ſenſus requiritur, non materia verborum. Ant. autem liquet; nam ly *Hic Panis* æquivalet nomini demonſtrativo *Hoc*; vel enim *Hoc* ſignificat Corpus Chriſti implicitè, & confusè, uti volunt Recentiores Lugo, Averſa, Suarez, & Alii apud Maſt. noſt. in 4. Senten. Scoti Diſp. 3. Quæſt. 8.; vel individuum entis, & quidem ſuſtantivè, juxta placitum Doct. Subtil. 4. Diſt. 8. Quæſt. 2., utrumque ex his ſignificat ly *Hic Panis*: nam ſi ly *Hoc* ſumatur pro Corpore Chriſti implicitè, & confusè, ſignificatur optimè per ly *Hic Panis*. In Scripturis enim Corpus Chriſti *Panis* appellatur, ut Joan. 6. 52. 1. Cor. 11. 26. Si verò ly *Hoc* ſumatur pro individuo entis, vel ſubſtantia ſub ſpeciebus contenta, totum hoc æquivalenter ſignificat ly *Hic Panis*; non enim ſumitur abſolutè, ſed quatenus refertur ad ly *Caro mea*:

hoc

hoc autem nihil aliud eſt, quàm aut Corpus Chriſti confusè ſumptum, aut individuum entis, quæ æquivalent ly *Hoc*; ergo ſicuti ly *Hic Panis* æquivalet ly *Hoc*; ita hæc Forma ſuſtineri poteſt: *Hic Panis eſt Caro mea*, ſicut hæc: *Hoc eſt Corpus meum*.

338. Reſp.neg. ant. ad probat. dico, iſta duo ſubſtantialiter differre: *Hic Panis eſt caro mea*: *Hoc eſt caro mea*. Nam in priori denotatur ex vi ſermonis, Panem remanentem in eſſe Panis eſſe Corpus Chriſti, quod abſurdiſſimum eſt; in ſecunda verò ſignificatur, contentum ſub ſpeciebus Panis eſſe Corpus Chriſti, quod nullam continet abſurditatem, & figuratis interpretationibus omnem viam præcludit, quod non fit in priori. Quando autem ſubditur, ly *Hic Panis* poſſe ſupponere pro Corpore Chriſti implicitè, & confusè ſumpto, vel pro individuo entis, hoc falſum eſt: nam ly *Hic Panis* ex vi verbi non denotat implicitè Corpus Chriſti, vel individuum entis, ſed individuum Panis oſtenſi; dat quippe intelligere, Panem oſtenſum eſſe Corpus Chriſti, eo tempore, quo Forma profertur, quod non facit Forma Eccleſię, qua dicitur: *Hoc eſt Corpus meum*, quibus verbis ſignificatur, hoc quod continetur ſub ſpeciebus Panis eſſe Corpus Chriſti, quod veriſſimum eſt, habita conſecratione. Poſſet quidem ly *Hic Panis* detorqueri ad ſignificandum individuum entis, aut Corpus Chriſti confusè: at nimis violenter, & contra nativam verborum ſignificationem; quod ſanè non contingit in ly *Hoc*, quod, utpote ſubjectum propoſitionis, ſupponit in confuſo, & implicitè pro eo, quod explicitè dicitur in prædicato. Quando verò Corpus Chriſti in Scripturis dicitur *Panis*, debet intelligi metaphoricè, cum ſatis det intelligere, ſubjectum propoſi-

tionis eſſe Corpus Chriſti, de quo profectò, niſi metaphoricè, dici poteſt eſſe verum, & proprium Panem, de quo loquimur in præſenti; cum ergo Forma hujuſmodi conficiendi Corpus Chriſti aut falſa ſit, aut ſaltem dubia, nequaquam eſt admittenda.

QUÆSTIO XV.

An Orthodoxus adorans Sacramentum Altaris à Sacerdote Græco ante recitationem precum, quas Orientales neceſſarias putant, elevatum, rectè agat?

339. Reſp. Bene agere. Ducor autem. Quia adorat illud, quod prudenter judicat eſse verum Altaris Sacramentum, quod Latriæ adoratione colendum à Triden. ſeſs. 13. cap. 5. ſancitum eſt. Prudenter autem ab eo judicari, quod exponitur, & in altum erigitur, eſſe verum Euchariſtiæ Sacramentum, patet; nam ſcit fieri eo pacto, quo Chriſtus inſtituit, ac in Eccleſia univerſali fieri conſuevit; ergo prudenter judicat eſse verum Euchariſtiæ Sacramentum; ergo prudenter adorat.

340. Nec de intentione Miniſtri dubitandum eſt, cum de omnibus Eccleſiæ Miniſtris ſit præſumenda. Tum etiam quia nonnulli Catholici putant, aliqua verba eſſe neceſſaria, præter illa, quibus Conſecratio conficitur, & tamen intentione non carent prioribus verbis faciendi, quod facit Eccleſia. Neque error defectum intentionis infert: Hæretici enim, etſi errore detenti, in Sacramentis tamen conficiendis veram habent intentionem faciendi, quod vera facit Eccleſia.

341. Dari quidem caſus poſſet, ab aliquo per-

pertinaci Sectario intentionem ad ultima verba, præter Formam conſuetam, coarctandi, quo caſu Sacramentum irritum eſset, ut notat Aruid. de Conſenſ. Lib.3. cap.37. At quis audebit hoc aſserere cum fundamento? Concludendum eſt ergo, Euchariſtię Sacramentum ab Orientalibus etiam Hæreticis confectum poſse abſolutè adorari, vel ſaltem ſub conditione ab iis, qui ſuſpicandi de legitima intentione grave motivum haberent.

342. Ex his patet ad Argumentum, quod in oppoſitum fieri poſset: non enim ita facile de intentionis defectu judicandum eſt: at ſi ſubeſt grave fundamentum, non omittenda adoratio, ſed ſub conditione facienda eſt.

QUÆSTIO XVI.

An Miſſionarii, Mari tranquillo, poſſint Altare erigere, Miſſamque celebrare?

343. RESp. Poſse. Ita ſentiunt Laym., Suar., Lugo, Paſqual., Coton., & Alii apud Dandin. de Suſpec. de Hær. cap.1. ſec.1. ſubſec. 4.

344. Ratio eſt. Tumquia Sac. Rituum Congr. apud Dandin. loc. cit. 16. Febr. 1633. ab Archiepiſcopo Limenſi interrogata de hoc reſpondit affirmativè, & Clem. VIII. ac Paulus V. Luſitanis ad Indias navigantibus idipſum conceſserunt apud Sporer noſt. de Sacrament. Par.2. cap.6. ſec.4. Tumquia nulla ſit Sacramento irreverentia. Navis quippe fixa manet, vel ſi aliquantulum titubet, non ita tamen, ut periculum effuſionis Sanguinis immineat. Tumquia durum nimis videtur, in diuturna duorum

vel trium annorum navigatione Chriſtifideles Euchariſtia, Miſsæque Sacrificio deſtitui, quo ad vitam æternam nutrimur; ergo ſicuti ob hujuſmodi finem, ex conceſſione Pauli V. Conſt. 4. *Ex omnibus*, permittitur ſub dio etiam coram Infidelibus, & Hæreticis celebrari, cur non licebit in Navi, Mari pacatiſſimo, cum in Primitiva Eccleſia deferre ſecum permitteretur, apud Baron. ad an. Chriſti 584. ne diu cœleſti illo cibo Fideles deſtituerentur? Ergo in tali caſu licitum, eſt Apoſtolicis Miſſionariis Altare erigere, Miſsamque celebrare.

345. Obji. Periculum effuſionis Sanguinis, & Decretum S. Inquiſit. Rom. 1607. die 13. Julii, & 2. Auguſti, vetantis in navigatione Indiarum Miſsam celebrari; & 1621. die 2. Septemb. negatam hujuſmodi facultatem etiam diebus Feſtivis Principi Philiberto, eo quia Mare tranquillum ſtatim poteſt ventis commoveri, apud Pignatel. Tom. 8. Conſul. 124. ergo &c.

346. Reſp. Periculum quidem eſse in parvis Navibus, quo caſu profectò non liceret Miſſam celebrare, non tamen in magnis, & proceris, ubi periculum non viget, & in hoc ſenſu Decreta S. Inquiſitionis ſunt intelligenda.

347. Inquires, quinam ſint caſus, quibus extra Eccleſiam conſecratam celebrari permittitur?

348. Reſp. ſex eſse. I. Si Eccleſia ſit diruta, Cap. *Concedimus* de Conſec. Diſt. 1. II. Si eadem integra quidem ſit, ſed in prophanos uſus converſa. III. Si talis Populi multitudo adſit, ut intra fines Eccleſiæ contineri non poſſit. IV. In Caſtris Militum, pro quibus erigitur Altare; pro Ducibus autem Miſsa in Tentoriis celebratur. V. Si adeſset una tantummodò Eccleſia Hæreticis, aut Infidelibus communis.

VI. Si adſit Epiſcopi diſpenſatio, eidem de jure competens, Cap. *Miſſarum* de Conſecrat. Diſt.1., quæ licet à Triden. reſtricta ſeſs.22. Decret. de obſervan. & evit. in celeb. Miſs., non tamen eſt ſublata, juſto interveniente motivo, apud Spor. loc. cit. Extra hos caſus, non permittunt Canones extra Eccleſiam Miſsam celebrare, de Conſec. Diſt. 1. Cap. *Sicut*, & Triden. loc. cit. abſque piaculo lethali, cum res ſit gravis, reverentiam quippe tangit tanti Sacramenti.

QUÆSTIO XVII.

An inter Ethnicos liceat Miſſionario Miſſam cooperto capite celebrare?

349. RESp. Licere, quoties ad Sedem Apoſtolicam acceſsus non pateat.

350. Prima Pars patet. Quia ſecundum ſe, ceſsante fine Legis in univerſali, ceſsat ipſa Lex, Cap. *Ceſſante*, de Appell., & tradunt Doct. ex S. Thom. 2. Part. Quæſt. 103. art.4. at in caſu noſtro deſinit finis Legis, nempe erga tantum Sacramentum reverentia, cum in illis Regnis, ubi Miſſionarius degit, operire caput, illudque opertum tenere, ſit ſummæ argumentum reverentiæ, quod etiam Regibus, & Principibus à ſubditis exhibetur, teſte Petro de Valle Tom.2. ſuarum peregrinationum referente.

351. Neque etiam Miſſionarius peccat ex contemptu Legis, cujus declarationem, aut diſpenſationem poſtulare debuerat. Nam, acceſſu ad Legislatorem moraliter impoſſibili, ſi cauſa ſubſit diſpenſandi, cenſetur diſpenſatum, ex Cajet. Laym., & Aliis apud Maſt. noſt.

Theol. Moral. Diſt.2. Quæſt.6. art.2.; ergo, aditu ad Summum Pontificem præcluſo, celebrandi verò neceſſitate urgente, poteſt abſque noxa Sacerdos celebrare capite cooperto. Nec ſanè video, cur ob alia motiva id liceat pleriſque, apud Layman Lib. 5. Trac.5. cap.7., & Sporer noſt. Theol. Sacramen. Part. 2. cap.6. Sec.3. num.16. inter Nos, qui cenſemus irreverentiam magnam, caput coram Principe nequaquam aperire; ſit autem illicitum inter Infideles, qui caput numquam, etiam coram Rege, nudare ſolent.

352. Secunda quoque Pars liquet. Quia Canones rigidè jubent, Sacrificium Miſsæ aperto capite celebrare, de Conſ. Diſt.1. Cap. *Nullus*: Concil. Rom. ſub Zachar. Papa cap.13. & Sac. Congreg. Rituum 13. Julii 1636. & ex Decret. Urban.VIII. in Miſsal. Rom. Refor. ergo, ſi poteſt, recurrere debet Miſſionarius ad Sedem Apoſtolicam, alioquin eam contemnere cenſeretur.

353. Obji. Præfata Decreta contra primam Partem, & ulterius additur, Sacerdotem eſse jejunum, & Sacris indutum Veſtibus oportere, ut celebrare poſsit; ergo caput quoque nudatum habere debet, ut dignè celebret.

354. Reſp. Canones loqui juxta morem Eccleſiæ, quæ cenſet, nuditatem capitis eſse reverentiæ argumentum: at in illis Regionibus, ubi Miſsionarius degit, nudatio capitis eſt ſignum irreverentiæ, atque contemptûs, adeoque diſpar ratio. Cæterum, quia Sacris Canonibus obſequiosè parendum eſt, idcirco, ſi poſsit, petenda eſt diſpenſatio. Eodem pacto reſpondendum eſt, ex natura rei apparere irreverentiam in non jejuno, aut Sacris Veſtibus minimè induto ad Altare accedente, vel conſcien-

ciente: non autèm ex natura rei, ſed juxta opiniones, & mores Populorum apparere deforme, capite operto Euchariſtiam ſumere: quæ tamen deformitas etiam apud Nos per diſpenſationem tollitur; tolli ergo etiam poteſt in Miſſionario, vel quia nulla adeſt, vel quia ob nimiam Locorum diſtantiam poſtulari diſpenſatio non poteſt.

QUÆSTIO XVIII.

An Miſſionarius celebraturus, & confeſſione indigens, nec habens ad manum, niſi Schiſmaticum, aut Concubinarium, vel Clerici percuſſorem Sacerdotem, debeat ipſi confiteri?

355. RESp. Negativè, ſed indignitatem ſupplere poſſe actu Contritionis.

356. Ducor autem. Quia Miniſter, ad quem accedere Sacerdos tenetur celebraturus, ſive Synaxim Sacram merè recepturus, & indigens reconciliatione, debet eſſe legitimus, & approbatus, ex Trid. ſeſs.13. Cap.7. Eccleſia enim Miniſtris illegitimis, niſi in extrema neceſſitate, minimè tribuit facultatem abſolvendi, ne majeſtas Clavium vileſcat, & nimia veniæ facilitas incentivum delinquendi præbeat. Schiſmaticus autem Sacerdos non eſt ab ea approbatus, ſed divulſus, ex Bulla Cœnæ, & ex Synod. Conſtan. Bul. *Ad evitanda*: Clerici percuſſor eſt excommunicatus vitandus, omni idcircò carens juriſdictione; Concubinarius verò aliis pœnis plectitur eum a Miniſterio Sacramentali arcentibus, privatione nimirum Beneficiorum, excommunicatione, ac ſuſpenſione, ex Triden. ſeſs.25. de refor. cap.14.; ergo Miſſionarius nequit ad iſtos accedere pro reconcilia-

liatione, ſed actu Contritionis ſibi providere, eoque præmiſſo, Sacrum conficere.

357. Imò, tametſi adeſſet Sacerdos nullo canonico impedimento irretitus, non tamen approbatus, adhuc tamen abſque Confeſſione, actu Contritionis præmiſſo, celebrare deberet, ex Ledeſma, Reginal. Azor. apud Barboſ. in cap.7. ſeſs.13. Triden.; ergo multò fortius Miſſionarius poteſt celebrare, præmiſſa Contritione, quin ad Schiſmaticum, aut excommunicatum Sacerdotem reconciliandus accedat.

358. Quod verò opponitur. Sacerdotem ſe probare debere Sacramentali Confeſſione, ut Sacrificium peragat, quoties Miniſter ſuppetit; ſuppetit autem in caſu: nam Schiſmaticus, aut Concubinarius, etſi juriſdictione careant, non tamen Ordinis poteſtate; imò nec juriſdictione, ſi occulti ſint, & non publici. Hoc nihil evincit; cum probatio illa eſſe debeat modo, quo ab Eccleſia præſcribitur, Divini Verbi legitima interprete: ipſa autem non confert juriſdictionem, niſi legitimis, & approbatis Sacerdotibus extra mortis articulum; cum ergo Schiſmatici, Clerici percuſſores, & Concubinarii juriſdictione careant, juxta Eccleſiæ Decreta, non tenetur ad hoc, ut ſe probet, ipſis confiteri, ſed ſuffi cit actum Contritionis elicere, tempore tamen opportuno legitimis Miniſtris confeſſurus.

QUÆ-

QUÆSTIO XIX.

An Miſſionarii Regulares diverſorum Ordinum debeant etiam in Locis Miſſionum diverſitatem reſpectivè ſuorum Rituum in Sacro conficiendo ſervare?

359. RESp. Negativè. Ita Paſtoral. Patris Verguys Ord. Prædic. de Euchariſ. art. 13.

360. Oſtenditur breviter. Nam Hæretici, & Infideles Sacerdotum Catholicorum Acta ſcrutantes, & calumniari conſueti, ex hac diverſitate Rituum in Sacro faciendo poſſent ſcandalum accipere, anſamque ſumere Orthodoxam Religionem carpendi, quaſi ſicut in Ritu, ita in Dogmate una non ſit; ergo ad ſervandam Eccleſiæ majeſtatem in omnibus uniformem, & ut os obſtruatur loquentium iniqua, ſatius eſt Ritum Romanum ſequi, & Primitivæ Eccleſiæ imaginem Alienis præbere, ita ut ſicut in Dogmatibus, ita in Ritibus ſit cor unum, & anima una.

361. Quod verò objici poteſt, hujuſmodi varietate pulchritudinem Eccleſiæ oſtendi, qua diverſis Ritibus una ſervatur Religio, unuſque colitur Deus, & faciliùs Orientales converti poſſe, dum in Fidei unitate animadvertunt, ſtare poſſe Rituum varietatem; utique verum eſt in ſe; at quia Orientales Acatholici hoſtes infenſiſſimi Romanæ Eccleſiæ hoc ipſum, quod in ſe laudabile eſt, vertere poſſunt in contemptum, atque hujuſmodi varietatem, quaſi diſſormitatem cavillari, anſamque ſumere, diviſionem ſuam ab Eccleſia Orthodoxa tueri; idcircò ipſis hoc pacto occurrendum eſt: nam quam-

quamvis in hoc ipſi errent, adhuc tamen iis fomes omnis erroris eſt auferendus, omnimodam uniformitatem in Ritu Sacrificii adamuſſim retinendo, eum ſervando, quem Eccleſia Romana cuſtodit.

QUÆSTIO XX.

An Miſſionarius non habens, niſi particulas parvas, vel unicam tantum Hoſtiam magnam, poſſit licitè, ut Infirmis Viaticum præbeat, vel cum una parva celebrare, vel ægrotis portionem Hoſtiæ ſuæ tribuere?

362. RESp. Utrumque licere. Ita Sporer noſter Theol. Sacram. Part. 2. Cap. 2. Sec. 4. n. 1. cum Diana, Tambur. Marchan. & Aliis ab eodem cit. Quantum ad ſecundam partem cum Sà V. *Euchariſtia* Diſp. 4. Quæſt. 5. Part. 1.

363. Prima Pars oſtenditur. Nam Euchariſtiam conficere in parva Hoſtia, deficiente majori, & quidem neceſſitate cogente, nullum Sacramento, aut Sacrificio præjudicium, aut irreverentiam infert, cum omnia ſubſtantialia ſerventur; ergo in caſu deſcripto licitum eſt, Euchariſtiam conficere in parva Hoſtia, quæ verè ſenſibilis eſt, & in tres partes dividi poteſt, quarum una in Calicem ſacrum mittatur, cæteræ verò juxta ſtylum modernum comedantur.

364. Secunda quoque Pars patet ob idem motivum. Nam in hujuſmodi detractione portionis Hoſtiæ majoris nulla apparet abſurditas. Cum enim Euchariſtia diſtribui debeat, & quidem illa, quæ per modum unius Victimæ oblata eſt, non videtur ratio cur, neceſſitate co-

cogente, portio majoris præberi Laico non poſſit; cum Euchariſtiam ſumentes, verè tunc de ipſa participent, quam ſumit Sacerdos, juxta effatum Apoſtoli 1. Cor. 10. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis eſt?* Imitatur quippe Sacerdos ipſum Chriſtum, qui de Pane conſecrato, quem ipſe ſumpſit in ultima Cœna, dedit diſcumbentibus fractum, ac in partes diviſum; ergo, neceſſitate gravi compellente, idipſum facere Miſſionarius poteſt, auferendo partem Hoſtiæ, illamque ægroto tribuendo.

365. Obji. contra primam Partem. Nam portio Hoſtiæ, quam ſumit Sacerdos, ſignificat, & complet integrum Sacrificium: hinc ex Hoſtia fiunt tres partes ob varia ſignificata, quæ in dicantur, de Conſec. Diſt. 2. Cap. *Triforme*; hoc autem difficile fit in particula parva, quæ vix eſt moraliter ſenſibilis: tumquia hæc praxis eſt in Eccleſia inuſitata: tumquia non diſtingueretur Sacerdos ſacrificans ab ipſis Fidelibus, cum etiam ipſis particulæ parvæ diſtribuantur, & ipſe debeat Panem tangere; ergo &c.

366. Reſp. neg. min.; optimè enim fieri poteſt in parva Hoſtia Sacrificium, etſi in magna ſit quoque magis ſenſibile. Ad ſecundum dico, neceſſitatem urgentem excuſare diſceſſum ab uſu communi Eccleſiæ univerſalis, uti fit etiam in aliis caſibus: hujuſmodi autem praxis non eſt quidem conformis uſui Eccleſiæ, non tamen repugnat. Tertium non urget, cum Sacerdos optimè à Laicis diſtinguatur ex hoc, quod ipſe Sacrificium efficiat, & diſtribuat cæteris Euchariſtiam, quod Fidelibus minimè competit.

367. Adverſus ſecundam Partem facit, Hoſtiam

ſtiam principalem ſoli Sacerdoti integram ſervari oportere, & propterea particulæ parvæ pro tot Fidelibus conſecrantur, quot ſunt Euchariſtiam recepturi, Diſt. 2. Cap. *Tribus Gradibus*; ergo non licet dare Fidelibus partem Hoſtiæ majoris. Tumquia integrum Sacrificium à Sacerdote conficitur; ergo integra Hoſtia debet ab ipſo ſumi, quæ integritatem complet Sacrificii; ergo pars ejuſdem dari non debet aliis Fidelibus.

368. Reſpond. Partem principalem Hoſtiæ etiam in hoc caſu Sacerdoti reſervari, cum Fidelibus partes ipſius minimè tribuantur. Cæterum, etiamſi partem æqualem cum Laicis ſumeret Sacerdos, adhuc ſumeret integram Hoſtiam, nempe Corpus Chriſti integrum incruentè tunc ſacrificatum.

QUÆSTIO XXI.

An Miſſionariis liceat deferre ad ægrotos Sacrum Viaticum abſque ullo penitùs apparatu?

369. Reſp. Licere. Patet hoc ex Privilegio Clemen. VIII. Conſtit. IV. *Ex omnibus*, qua Miſſionariis Apoſtolicis facultatem concedit, ut abſque luminibus, & Veſtibus Sacris Euchariſtiam benè cuſtoditam in Vaſe apto ad ægrotos deferant. Idipſum continetur in facultatibus, quæ à Sac. Cong. Miniſtris Apoſtolicis conferuntur.

370. Et patet Ratio. Nam ſi apparatu illo, quem Eccleſia præſcribit, Euchariſtia ad ægrotos inter Hæreticos, aut Infideles deferretur, aut prophanàtioni, & ludibrio eorum, aut ſaltem graviſſimo periculo exponeretur; ergo pompa illa Eccleſiaſtica omittenda eſt.

371. Ne-

371. Neque dicatur, delationem illam omitti debere, utpote inhoneſtam, ſicut omittitur prædicatio Verbi Dei, quoties prævidetur ab Auditoribus cum ſcandalo, aut ludibrio excipienda. Falſum enim eſt, eam delationem eſſe inhoneſtam, etſi non ſit honeſta: deferendo quippe privatim, & abſque apparatu, eares quidem honore debito, non tamen dedecore afficitur, ſicut afficeretur publicè delata; eo pacto, quo Verbum Dei ſi publicè non prædicetur, publicum quidem non habet honorem, non contrahit tamen publicam ignominiam à prophanis Auditoribus inferendam, & ſicuti Verbum Dei in tali caſu vetatur publicè promulgari, non tamen privatim, ita de Sacroſancta Euchariſtia dicendum eſt.

372. Obji. Oleum Infirmorum, Reliquiæ Sanctorum, & Aqua benedicta deferri poſſunt ad Infirmos abſque apparatu; ergo abſque ipſo Euchariſtia deferri nequit, continens Gratiæ Authorem, alioquin inſtrumenta ſanctitatis in cultu non diſtinguerentur ab ipſo Authore. Tumquia non licet conficere Euchariſtiam abſque Sacris Veſtibus, & lumine in ullo caſu, de Celeb. Miſſ. Cap. Final.; ergo neque defferre abſque ipſis ad Infirmos.

373. Reſp. neg. Conſeq. optimè enim inſtrumenta Gratiæ ab ipſomet Authore diſtinguuntur, cum ipſe in Euchariſtia latitans Latria colitur à Fidelibus, ex Triden. ſeſs. 22. Decret. de obſer. & evit. in Celeb. Miſſar., & in loco auguſtiori collocetur in Eccleſia cum lampade ſemper accenſo, ex Mediol. I. Part. 1. Tr. 6. *Quæ pertinent ad Euchariſtiam*, quod non competit Oleo Sancto, aut Reliquiis Sanctorum à latere Altaris collocatis, ex Lateran. IV. Cap. 20. & Ritual. Rom. Ad id verò

quod

quod ſubditur, neg. Conſeq. Nam in confectione Euchariſtiæ fit Sacramentum, & Author Gratiæ introducitur, quę differri poteſt, nec tantis, & tot eſt periculis expoſita: in delatione verò non fit Sacramentum, atque in ipſa periculum graviſſimum occurrit poſitivæ dehonorationis, & contemptûs, nec dilationem patitur.

QUÆSTIO XXII.

Utrum Miſſionarius ægrotum ſine Viatico mori permittens graviter peccet, periculo mortis non obſtante?

374. Reſp. Si Miſſionarius unicus ſit, vel ſaltem pauciſſimi adſint in ampliſſima Miſſione, minimè peccare; benè verò, ſi alii non deſint.

375. Prima Pars oſtenditur. Nam Lex Charitatis, imò Juris ipſius naturalis dictat, periculum ſubiri non debere damni majoris, & communis, ut occurratur damno minori privatæ Perſonæ: in caſu autem noſtro periculum incurritur damni majoris communis, ut occurratur minori privatæ Perſonæ: nam ægrotus eſt privata Perſona, quæ amittit Sacramentum neceſſarium ſolummodò neceſſitate Præcepti, cui jam ipſum flagitando, quantum in ſe erat, ſatisfecit. Animam verò propriam ad Deum, qui non deficit in neceſſariis, tranſituram, aliis præſidiis roborare poteſt, quod minus, & quidem privatum damnum eſt. At Fideles Miſſionis interdum ampliſſimæ, pereunte Miſsionario, nedum Euchariſtiâ, ſed etiam Baptiſmate, & Pœnitentiâ, quæ magis præcęteris neceſſaria ſunt, omnique inſtructione,

ac

ac ſolatio ſpirituali nudarentur extrinſecus adveniente, quod quidem ſummum, & commune damnum eſt; ergo in caſu hujuſmodi, vel alio ſimili non peccat Miſsionarius, ægrotum abſque communione relinquendo, ut ſibi caveat, ſivè à lue peſtifera, ſivè ab inſidiis Infidelium calcaneo ejus perpetuo inſidiantium; ſi enim pereat, non ſtatim, ſed valdè difficulter, & interdum poſt annos, alii ſufficiuntur.

376. Secunda quoque Pars patet. Nam Paſtores ex officio, vel ex delegatione, quales ut plurimum ſunt Miſsionarii Apoſtolici, tenentur ſub mortali, nedum extremæ, ſed etiam gravi Ovium ſuarum neceſsitati cum vitæ periculo providere, ex communi apud Laym. Lib. 1. Trac. 3. Cap. 3., ægrotus autem brevi migraturus è vita, gravi premitur neceſsitate ſpirituali ſumendi Euchariſtiam. Tumquia Fideles Divino adiguntur præcepto, eam in articulo mortis ſumendi, ex Ponc. noſt. Diſp. 44. Quæſt. 10. Concl. 4. Curſ. Theol. Tumquia ipſa nedum per modum Cibi, ſed etiam Viatici in itinere ad æternitatem inſtituta eſt, 26. Quæſt. 6. Cap. de *His verò*. Tumquia Eccleſia valdèſe ſolicitam morituris Cibum hunc cœleſtem præbendi oſtendit: hinc in publica Pœnitentia morientibus jubet porrigendum, ex Agath. Cap. 15. Carthag. IV. Cap. 77. Teneri autem pro ægrotis Euchariſtiam ſemper paratam, habetur de Conſec. Diſt. 2. Cap. *Presbyter*: hinc præcipit ſeveriſsimè Parochis, nullum Infirmum abſque hoc Cœleſti alimento pati è vivis excedere, ex Lucen. V. Cap. 81.; ſicuti ergo morientes gravi laborant hujus Sacramenti ſumendi neceſsitate, ita Paſtores, vel eorum Viceſfungentes, quales ſunt Apoſtolici Miſsionarii, tenentur ſub mortali Euchariſtiam ægrotis mini-

miniſtrare; adeoque non miniſtrantes graviter peccant, quocumque periculo vitæ non obſtante.

377. Opponitur contra ſecundam Partem. Ægrotum illum in extrema non verſari neceſsitate: hinc Gregor. XIII. à S. Carolo Borromęo conſultus, an Parochi, peſte graſſante, tenerentur Sacramenta miniſtrare? Reſpondit, teneri Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ per alios miniſtrare; ergo non per ſe; ergo neque Miſsionarii tenentur.

378. Reſp. berviter neg. Conſeq.; ſufficit enim in gravi ægrotos verſari neceſsitate ſpirituali, ut Euchariſtia ipſis miniſtretur à Parochis, vel eorum Vicemgerentibus. Quod verò additur ex Gregor. XIII. ad rem non facit, nam ipſe ponit Sacramenta magis neceſſaria, ſine quibus, abſque ulla controverſia, ſalus æterna non obtinetur. Parochos ad reſidentiam obſtrinxit, ut Sacramenta miniſtrarent; ergo etiam Euchariſtiam morituris, qui jus habent illam à Parochis petendi, morte inſtante.

379. Sciſcitabitur aliquis, Utrum, peſte graſſante, ne Miniſter damnum ex nimia propinquitate contrahat, liceat medio aliquo inſtrumento Euchariſtiam ægroto porrigere?

380. Reſp. Authorem Paſtoralis Miſſionariorum Apoſtolicorum Trac. de Cur. Peſtil. omnia penitus reprobare inſtrumenta, quibus Euchariſtia porrigatur, S. Caroli Borromęi authoritati innixum: Ego autem, citra præjudicium Paſtoralis citati, cenſeo, licere Miſſionariis Apoſtolicis Hoſtiam in parva Pixide, vel linteo mundo ponere, ac porrigere Infirmis, ut ipſi de illa ſumant, quem modum Euchariſtiam miniſtrandi Major inſinuat 4. Diſt. 22. Quæſt. 1. Moveor autem, quia Primitiva

Eccle-

Eccleſia, non minùs quam præſens Auguſtiſſimi Sacramenti veneratrix, conſuevit, ſæviente Infidelium perſecutione, permittere, nedum Monachis in Eremo degentibus, verum etiam Fidelibus laicis, ſecum ipſam deferre, Domique, & in Cellis reverenter cuſtoditam ex ſemetipſis ſumere, teſte Tertul. Lib. 2. ad Uxor. Cap. 5., & Lib. de Orat. Cap. 14. Cyprian. Serm. de Lapſis, Hieronym. Epiſt. ad Ruſtic. Baſil. Epiſt. 28. ad Cæſar. Patric., & S. Lucianus Martyr in carcere detentus ſuper Homachum, quem pro Altari adhibuit, nedum ſacrum ce ebravit, ſed etiam Hoſtiam Sacratam miſit ad abſentes, Baron. ad An. Chriſti 311. n. 6. Tom. 3. Annal. referente; quem quidem, etiam Romanorum Pontificum morem fuiſſe, ſcribit Iræneus ad Victorem I. Papam, apud Euſeb. Lib. 5. Hiſtor. Cap. 24. ergo etiam nunc, ſæviente Infidelium, aut Hæreticorum perſecutione in Locis Miſsionum, ubi paucisſimi ſunt Sacerdotes, poterit licitè Miniſter Evangelicus Catholico peſtilentia laboranti in Vaſe mundo, aut linteo ipſi porrecto Euchariſtiam præbere, cum Miſsionarii cavere ſibi debeant, ne intempeſtiva Charitate, ut uni proſint, pleriſque noceant, e vivis peſtilentiâ ſublati.

QUÆ-

QUÆSTIO XXIII.

An Miſſionarius non jejunus poſſit Sacrum Viaticum in itinere conſumere, aut in loco non decenti abſcondere, dum illud ad Infirmum defert, prævidens ab Hæreticis, aut Infidelibus conculcatum iri?

381. RESp. Utrumque ipſi licere.

382. Prima Pars liquet. Nam ob alias cauſas urgentes, ut nimirum Sacrum incæptum perficiatur, aut ſcandalum vitetur, aut alias hujuſmodi, licitum eſt Sacerdoti non jejuno ſumere Sacramentum, ex communi apud Buſemb. Lib. 6. Trac. 3. Cap. 2. Dub. 2. de Sump. Euchar.; ergo etiam licet Sacerdoti non jejuno ſumere Euchariſtiam, ne ab Hæreticis, aut Infidelibus conculcetur; Lex enim Eccleſiaſticæ quemadmodum cedit Divinæ de Sacrificio perficiendo, aut ſcandalo vitando; ita cedere debet Divinæ, ac Naturali Legi de Sacramento non conculcando.

383. Secunda quoque Pars patet. Nam de duobus malis minus eſt eligendum, 22. Quæſt. 4. Cap. *Duo ſunt*; ſed minus malum eſt, Divinum Sacramentum in loco indecenti collocari, quam ab Hæreticis, aut Infidelibus indigniſſimè conculcari: primum enim negativum eſt, & abſque peccato; ſecundum verò poſitivum, & cum graviſſimo crimine Authorum connexum; ergo, niſi alio pacto præcaveri queat, licitum eſt, Euchariſtiam etiam in loco indecenti collocare.

384. Opponitur adverſus primam Partem: Præceptum de jejunio naturali à Sacerdote ſer-

vando

vàndo ſtrictum adeo eſt, ut neque ob ægroti preces in extremis verſantis à non jejuno fieri Sacrum poſsit, juxta Sotum, Paludan. & Alios; ergo neque violari poteſt; ne Sacramentum ludibrio Infidelium exponatur.

385. Reſp. neg. Conſeq. Quia ægroto inter Catholicos alio pacto provideri poteſt: propterea juxta præfatorum Doctorum ſententiam, quam tamen alii non admittunt, licitum eſt; at inter Hæreticos, aut Ethnicos alii Sacerdotes non ſuppetunt, nec alia media Infirmos juvandi præſto ſunt: niſi verò à non jejuno Sacramentum ſumatur, imminens eſt ejuſdem conculcatio, & idcircò licitè ſumitur à non jejuno.

386. Adverſus ſecundam partem objicitur. Nam collocando Sacramentum in loco indecenti, exponitur ſummæ irreverentiæ; ab Animalibus quippe immundis lacerari poteſt, & ab aliis, uti res contemptibilis calcari; ergo illicitum eſt Euchariſtiam collocare in loco immundo.

387. Reſp. neg. Conſeq. Illa quippe irreverentia, cui exponitur in tali caſu, eſt purè materialis, non formalis: Bruta enim Euchariſtiam comedentia non peccant: at illa, qua exponitur ludibrio, irriſioni, atque conculcationi Infidelium eſt formalis; habet quippe graviſsimum peccatum annexum.

388. Inquiritur, quid præſtare Miſsionarii debeant, ſi contingat, eos, dum Sacra faciunt, ab Infidelibus impetiri?

389. Si nullam prævideant commotionem, aut irreverentiam inferendam, proſequi debent; ſi verò prævideant, Conſecratione minimè peracta, debent deſiſtere, atque diſcedere, quoties poſsint: Conſecratione autem peracta, de-

bent ſumere Sacram Hoſtiam, ac cæteris omiſſis, ſtatim abire?

QUÆSTIO XXIV.

Nonnullæ difficultates ſtrictim reſolvuntur ad Sacram Eucharistiam pertinentes.

390. DUbitatur I. An Græcus Catholicus habens Matrem Latinam, & Patrem Græcum, etſi latinè vivat, ut obſequatur Matri, poſſit juxta Ritum Græcum Euchariſtiam ſumere?

391. Reſp. Poſſe. Cum abſolutè loquendo Proles Ritum Patris ſequi debeat, niſi prævaluerit Mulier Latina, juxta præſcriptum Clem. VIII. Bull. 34. *Sanctiſſimus* pro Græcorum edita inſtructione; ergo quamvis, ut ſequatur Matrem, Filius Græcus Latinè vivat, ne Patri ullo modo deferre videatur, poteſt permitti ſumere Sacram Synaxim more Græco.

392. Quæres II. An Græci ſervantes Ritum Latinum poſſint audire Miſſam, & Euchariſtiam ſumere more Græco?

393. Reſp. Non poſſe; ſed debere id facere more Latino, cujus Ritum ſequuntur; ſi tamen Latini deſint Sacerdotes, ſumere Euchariſtiam, & Miſſam audire more Græco, non videntur prohiberi, uti non vetantur Græci Catholici in tali caſu Sacramenta ſumere à Latinis, & eorum Miſſam audire.

394. Quæres III. An Græci Catholici poſſint conficere in Azymo?

395. Reſp. regulariter loquendo non licere Græcis conficere in Azymo, nec Latinis in Fermentato, cum Eccleſia velit ab unoquoque Ritum proprium ſervari. Cæterum non exiſti-

marem

mărem adeo abſurdum, neceſſitate compellente, nec Suprema Sede conſuli potente, id fieri poſſe, maximè quia Lex Eccleſiæ Romanæ ſervatur, dummodo Dogma intactum teneatur, cum idipſum in aliis rebus ſæpè contingat.

396. Dubitatur ultimò, An Græci Catholici poſſint in Eccleſiis Latinorum Sacrum facere, & è contra; & Veſtibus ſacris uti, quæ ibi reperiuntur?

397. Reſp. Nullum incommodum in hoc apparere, dummodo Ritus proprius ab unoquoque reſpectivè ſervetur. Imò interdum cenſeo fieri oportere, ut Fideles agnoſcant, ſanctum ab Eccleſia exiſtimari non minus Ritum Græcum, quam Latinum, & Græci percipiant, Ritum eorum minimè à Latinis contemni, ſed potiùs ſummo loco haberi; quo pacto Pax foveretur, & omne inter utramque Nationem tolleretur amarulentiæ incentivum.

CAPUT IV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

398. INnumeræ penes ſunt difficultates Pœnitentiæ Sacramentum tangentes: at hic nonnullas ſolummodò, quæ Miſſionarios reſpiciunt, brevitati conſulentes, tractabimus, quæ ipſorum magis uſum, atque utilitatem concernunt.

QUÆSTIO I.

An Schiſmatici, vel Hæretici ad Fidem converſi citra publicam Hæreſis, aut Schiſmatis abjurationem poſſint abſolvi?

399. RESpon. affirmativè, ſi adſit ſpecialis aliqua circumſtantia, quæ ad eam compellat.

400. Prima Pars oſtenditur. Nam ad Sacramentalem Abſolutionem tribuendam ſecundum ſe, ſufficit vera Pœnitentia peccatorum, ex Dei amore, vel ſaltem metu gehænnæ, aut alio motivo ſupernaturali profecta, ex Triden. ſeſs. 6. Cap. 4. eorumque coram Dei Miniſtro Confeſſio cum propoſito firmo non peccandi de cætero, ex eodem Triden. ſeſs. 14. Can. 5., & 6.: at hæc omnia haberi poſſunt citra publicam abjurationem per ſolummodò privatam; ergo ſi omnia hæc à Pœnitente coram Confeſſario præſtentur, uti verus Pœnitens poteſt abſolvi, citra publicam abjurationem.

401. Secunda quoque Pars liquet. Nam qui Diſcipulos prava doctrina ſeduxerunt, & publicè errores ſparſerunt, aut Schiſma perſuaſerunt, Eccleſiæ publicam injuriam, ac pleriſque in particulari damnum maximum intulerunt; ergo illud reparare tenentur eomodo, quo quis, aut rem familiarem, aut famam abſtulit, reſarcire damnum debet, ut poſſit abſolvi: hoc autem fit per publicam abjurationem, qua revocatur doctrina falſa, aut hæretica publicè promulgata; ergo abſolvi non debent, niſi publica præmiſſa abjuratione, qua ſatisfit Eccleſiæ publicâ injuriâ affectæ, & damnum reſarcitur Fidelibus illatum.

402. Hinc

402. Hinc Berengarius, qui Sacramentariis Hæreticis facem prætulit, pro Abſolutione obtinenda coactus fuit publicè palinodiam canere, ex Concil. Rom. ſub Nicol. II. & refertur de Conſec. Cap. *Ego Berengarius*, quam publicam retractationem ſub Greg. VII. in altera Rom. Synod., cum ad vomitum rediiſſet, iterare debuit, ex Lanfranc. Cantuar. Archiepiſc. in Lib. adverſum eumdem doctè elaborato; ergo idipſum cum his, de quibus loquimur, faciendum eſt, niſi obſtet aliqua graviſſima cauſa, ob quam omitti deberet: at tunc, ut Abſolutio impendatur, ſufficit in Pœnitente firmum propoſitum, & prompti animi præparatio.

403. Idipſum eſſet faciendum, ſi adeſſet Lex, aut conſuetudo hujuſmodi publicæ, etiam in privato Hæretico abjurationis, quæ ſanè homines, ne ita facile in Hæreſim, aut Schiſma inciderent, coerceret.

404. Diverſimodè tamen in Hæreſi, aut Schiſmate nati tractandi ſunt, ac illi, qui ſponte, & ex electione ab Eccleſia diſceſſerunt. Priores enim revertentes humaniſſimè, ſecundi verò charitativè quidem, ſed majori ſeveritate tractandi ſunt: ſi tamen minimè dogmatizaverint, vel alios ad Hæreſim, vel Schiſma induxerint, nequaquam ad publicam abjurationem ſunt compellendi, ne eorum Converſio ad Hæreticorum aures perveniens, ſævam excitet perſecutionem.

405. Obji. adverſus primam Partem. Nam Hæreſis, & Schiſma publicè fuerunt profeſſa; ergo publicè debent revocari, ut vera fiat Pœnitentia; ergo per publicam abjurationem, qua ſcandalo Fidelium de ipſis concepto ſatisfit.

406. Reſp. Factis Hæreſim, & Schiſma revoca-

 voca-

vocari, dum Hæretici, aut Schiſmatici converſi publicè Fidem Orthodoxam profitentur, quoties ipſis externa profeſſio permittitur, & hoc pacto etiam ſcandalo de ipſis concepto ſatisfit, abſque publica abjuratione, minimè tunc neceſſaria, imò interdum nociva.

QUÆSTIO II.

An à Græcis accedentibus ad Pœnitentiæ Sacramentum Miſſionarii Profeſſionem Fidei exigere debeant?

407. RESp. Negativè cum Pignatel. Tom. 7. Conſult. 50. ad 2.

408. Ducor. Quia tametſi Fidei Profeſſio non exigatur, adhuc Græcus accedens non apparet in Fide ſuſpectus, ad quam ſuſpicionem purgandam Profeſſio Fidei peteretur: tumquia in dubio præſumptio ſtat pro recta fide accedentis: crimen enim non ſupponitur, ſed probatur L. *Quoties* §. *Qui dolo* ff. *De non delicto*. Tumquia Græcus ad Catholicum Miſſionarium accedens, cum poſſet ad Schiſmaticum, facto ipſo Religionem Orthodoxam profitetur, ſicut ſuſpicionem Schiſmatis, aut Hæreſis ingereret, ſi Schiſmaticum, aut Hæreticum conveniret. Tumquia ſi hujuſmodi Profeſsio Fidei Orthodoxæ ab omnibus Græcis exigeretur, ab unione cum Eccleſia Romana retraherentur, à qua ſe infamatos viderent tamquam Schiſmaticos, qui tamen fortaſſe de facto tales non eſſent, vel ſaltem eſſe amplius nollent, dum adeo rigide de ipſorum Fide ambigi animadverterent; ergo ut hęc incommoda evitentur, admitti debent ad Sacramentum, nulla petita Fidei Orthodoxæ Profeſsione.

409. Op-

409. Opponitur. Non poſſe admitti ad Sacramentum Pœnitentiæ, quorum recta diſpoſitio ad ipſum ignoratur, qualis eſt recta Fides; ignoratur autem, an Græcus accedens ſit Fidelis, cum plerique Schiſmate, aut Hæreſi ſint infecti; ergo non poſſunt admitti, niſi prævia Fidei Orthodoxæ Profeſſione: nec ſufficit acceſſus ad Sacramentum Pœnitentię, cum etiam plerique Orientales Hæretici Sacramentum admittant, præſertim Græci Schiſmatici.

410. Reſp. neg. min. accedendo enim ad Catholicum Sacerdotem, cum facile poſſet Schiſmaticus conveniri, facto ipſo ſe Catholicum Pœnitens prodit. Quamvis enim præciſus acceſſus ad Pœnitentiæ Sacramentum Fidem Orthodoxam in Pœnitente præciſè non arguat; attamen accedere ad Catholicum, omiſſo Schiſmatico, aut Hæretico, Fidem Orthodoxam in ipſo arguit, niſi aliud obſtet. Secus de Schiſmatico notorio dicendum eſt, adverſus quem militat aperta præſumptio. Hinc Hæretici reſipiſcentes, quia conſtat eos peccaſſe, recipiuntur quidem, & abſolvuntur, ſed previa abjuratione, aut ſecreta, aut publica, juxta criminis qualitatem. 3. Quęſt. 7. Cap. *Convenientibus*.

QUÆSTIO III.

An Forma Græcorum, aut aliorum Orientalium miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ ſuſtineri valeat?

411. Reſp. Affirmativè. Ratio eſt: quia Forma Sacramenti Pœnitentiæ valida eſt, & ſuſtinenda, quoties in ea exprimitur actus judicialis, quo Sacerdos poteſtatem ſuam exercet, peccata dimittendo nomine Chri-

ſti, cujus eſt Miniſter: at in omnibus Formis Eccleſiarum Orientalium id exprimitur, etſi multæ aliæ preces, & verba non omnino neceſſaria addantur, & eadem Forma aliis phraſibus exprimatur, dicitur enim: *Abſolvo te ab omnibus peccatis tuis quacumque coram Deo, & mea indignitate confeſſus es, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*. Aliæ verò Eccleſiæ aliis loquendi formulis utuntur, Romanæ tamen æquivalentibus; ergo hujuſmodi Formæ ſuſtineri debent, neque de ipſis, uti dubiis ambigi.

412. Confir. Per Concilium Florentinum in quo exactè difficultates omnes, præcipuè Orientalem Eccleſiam tangentes, circa Materiam, & Formam Sacramentorum diſcuſſæ ſunt: hinc Inſtructio illa celebris, pro Armenis quidem primò, ſed conſecutivè pro Eccleſia Orientali, imò Univerſali emanavit, nihil in Græcis quantum ad hoc reprehendit; ſed ſicuti immotam reliquit Formam Baptiſmi, tametſi à Romana quoad aliqua diverſam, ita intactam reliquit Formam Sacramenti Pœnitentiæ, etſi à Romana in aliquibus diverſam; ergo nulla penitus remanet ratio dubitandi de validitate Confeſſionum hac Forma confectarum; adeoque nec ipſę ullo pacto iterandæ.

413. Opponitur. Formæ, quibus utuntur Græci, & alii Orientales ſunt potiùs deprecativæ, quam judiciales; ergo aut invalidæ ſunt, aut dubiæ. Tumquia Formæ, quibus utuntur Eccleſiæ Orientales ſunt valdè diſſonæ ab ea, qua Eccleſia Romana utitur; ergo aut invalidæ ſunt, aut dubiæ; & propterea iterandæ; circa enim valorem Sacramentorum tutior pars eſt eligenda, Cap. *Ad audientiam*, de Homicid. voluntar.

414. Reſp.

414. Reſp. Formàs illas, etſi multa verba deprecativa contineant, habent tamen etiam enuntiativa, vel formaliter, vel æquivalenter, ut optimè Arcuid. Lib. 4. Conſen. Orient. & Occident. Eccleſ. Hinc Sac. Cong. Inquiſit. Rom. an. 1613. apud Pignatel. Tom. 4. Conſul. 65. hanc Formam admiſit abſolvendi Orientalis Eccleſiæ: *Gratia Sancti Spiritus per meam humilitatem habeat te abſolutum, & liberatum*, vel ita: *Bone Rex, per me humilem, & indignum Servum tuum remitte Servo tuo*, ad quas cæteræ aliæ reducuntur in ſpeciem deprecativæ, reipſa tamen verè abſolutivæ, quæ continentur in Euchol., quod miniſtrat Leo Allatius eruditus pariter, atque Catholicus Græcus.

QUÆSTIO IV.

An liceat Catholicis Pœnitentiæ Sacramentum à Miniſtro Schiſmatico, aut Hæretico extra caſum mortis ſuſcipere?

415. Reſp. Non licere. Habemus hoc deciſum à Sac. Congr. de Propag. Fid. 22. Junii 1705. ad Quartum Patris Alexand. de Monte Brandone Minoritæ Obſervantis Apoſtolici Miſſionarii, & à Clem. VIII. Bul. *Sanctiſſimus* edita 1595. die 31. Auguſ. apud Cherub. Tom. 3. ubi aſſerit, à Græcis Catholicis poſſe Latinos abſolvi in caſu neceſſitatis; ergo Græci Schiſmatici neque in caſu neceſſitatis abſolvere poſſunt: exceptio enim firmat Regulam in contrarium.

416. Ratio autem eſt. Quia cum Schiſmaticis, & Hæreticis notoriis, quales ut plurimum ſunt Orientales, quibus reducendis Apoſtoli-

ſtolici Miſſionarii ſolicitè vacant, omnis communicatio in Sacris interdicitur, ſicut vetatur cum excommunicatis non toleratis; ergo numquam ab iis licitum eſt, petere Sacramenta: Neque excuſat neceſſitas, quæ ſicuti non permittit Sacramenta petere, aut recipere à non habente poteſtatem Ordinis, ita non permittit petere ab eo, qui eſt notoriè præciſus, quales ſunt Schiſmatici, & Hæretici publici; idem, enim eſſe videtur, non eſſe Miniſtrum, ac publicè præciſum.

417. Ulteriùs. Leges Eccleſiaſticæ obligant ſub mortali, quando alio modo neceſſitati ſatisfieri poteſt, quam per traſgreſſionem, Præcepti: at neceſsitati ſe juſtificandi poteſt ſatisfieri, quin ad Schiſmaticos recurratur, aut adeundo Catholicos, ſi adſint, aut eliciendo actum Contritionis, qua hominem extra, Sacramentum juſtificari, docet Triden. ſeſs. 14. cap. 6.; ergo nulla datur neceſsitas extra caſum mortis recurrendi pro juſtificatione ad Schiſmaticos, aut Hæreticos Sacerdotes.

418. Denique Schiſmatici, & Hæretici notorii æquivalent excommunicatis nominatim denuntiatis, qui carent juriſdictione, 24. Queſt. 1. Cap. *Didicimus*: at illicitum eſt adire pro Sacramentali Abſolutione obtinenda ad Miniſtros juriſdictione carentes; exponitur quippe Sacramentum fruſtrationi, vel ſaltem ejus imminenti periculo, cum opiniones de ejuſdem validitate ſint variæ; ergo illicitum eſt Schiſmaticos, aut Sectarios convenire pro Sacramentali Abſolutione obtinenda.

419. Neque neceſsitas excuſat. Nam etiam inter Catholicos neceſsitas magna urgere poteſt, nec tamen licitum eſt ad excommunicatum denuntiatum pro Abſolutione reccurrere,

ſed

ſed actu Contritionis eſt ſupplendum ; ergo neque recurri poteſt ad Sectarium, aut Schiſmaticum Sacerdotem, ſed Contritione ſupplendum eſt.

420. Obji. Tumquia licitum eſt petere Sacramenta ab excommunicato tolerato ex Conſtan. Bul. *Ad Evitanda*, quam Conſtitutionem etiam ad Schiſmaticos, aut Hæreticos extendi, docet Bonac. de Excom. Diſp.2.Quæſt.2. : at Sectarii, & Schiſmatici Orientales ſunt tolerati, cum nulla hactenus contra ipſos ſit publicata excommunicatio. Tumquia Epiſcopi, & Præſules Orientales ſua dignitate ob Schiſma non deſtituuntur, cum reduces ad Eccleſiam in ſuis Dignitatibus relinquantur, 1. Quæſt. 7. Cap. *Convenientibus*; ergo nec carent juriſdictione ob eamdem rationem. Tumquia Catechumenus, etſi Baptiſmo Flaminis ſibi poſsit providere, adhuc tamen Baptiſmum Fluminis poteſt etiam ab excommunicato ſuſcipere, ex Scoto 4. Diſt.5. Quæſt.2.; ergo etiam Miſsionarius, etſi poſsit actu Contritionis ſaluti ſuæ conſulere in peccato exiſtens, adhuc poteſt pro reconciliatione ad Schiſmaticum, aut Hæreticum Sacerdotem accedere.

421. Reſpon. Poſſe Sacramenta peti ab excommunicato tolerato, vel fortaſſe, juxta plurium Sententiam, etiam ab Hæretico, vel Schiſmatico tolerato, quales ſunt occulti, qui publicè Hæreſim, aut Schiſma minimè produnt, ſed in corde, aut etiam ſi exterius, privatim tamen retinent : at non à notorio, & publicè Hæreſim, aut Schiſma prodente, quales ſunt plures ex Orientalibus, dum in Regionibus ſuis manent. De prioribus intelligendum eſt Conſtantienſe, non de poſterioribus, qui ſe profitentur à Dei Eccleſia publicè diviſos, & hoſtes:

hi enim notoriè ſunt excommunicati, & propterea non tolerati, cum inciderint in Hæreſim, aut Schiſma, quod nullo pacto poſſunt cælari. Hinc Clem.VIII. vetat ab Epiſcopis Schiſmaticis Ordinationes ſumere, ſuſcipienteſque ſuſpenſionem, Ordinem ſuſceptum exercentes, irregularitatem incurrere ſtatuit. Itaque Conſtantienſe vel intelligitur ſolummodò de Catholicis; vel ſi de Hæreticis, aut Schiſmaticis, tantummodò de toleratis, non autem publicis.

422. Ad Secundum dico, Epiſcopos & Parochos Schiſmaticos, aut Hæreticos ex ipſomet Schiſmate, aut Hæreſi dignitate ſpoliari: attamen ab Eccleſia permitti in Gradibus ſuis permanere, ut majora incommoda vitentur: at juriſdictione carent, quam Hæreſis ipſa, aut Schiſma tollit ipſo jure, uti excommunicatis quoque non toleratis contingit, de Senten. & re judic. Idcircò autem reſipiſcentes in Dignitate relinquuntur, non quia illam non amiſerint de jure, ſed quia Eccleſia eos recipiendo, ipſam reſtituit, vel ſi ipſam ante ſententiam non amiſerunt, etſi depoſitionem meruerint, eamdem ipſis relinquit. Cæterum, etſi juriſdictionem haberent, adhuc illicitum eſſet ad eos recurrere, ſicut illicitum eſſet recurrere ad excommunicatum nominatim denuntiatum extra periculum mortis.

423. Ad Tertium dico, Scotum eſſe problematicum, an Cathecumenus poſsit à Præciſo petere Baptiſmum: idcircò partem negativam ejus nonnulli Diſcipuli ſequuntur, ut Brancat. Tom. 1. de Sacram. in Gen. Diſp. 11. art. 9. cum D. Thom. 3. Part. Quæſt. 64. art. 6. Cæterum, admiſſa parte affirmativa, ne. conſeq. Nam Baptiſmus, cum ſit Janua omnium Sacramento-

rum,

rum, ſicuti etiam à Pagano, & Muliere conferri poteſt, ita quoque ab Hæretico: at non ſic Pœnitentia, quæ utpote ſecunda poſt naufragium tabula, non habet Miniſtrum univerſalem, ſed determinatum, nempe Sacerdotem, & quidem Eccleſiæ membrum, qui nomine Chriſti, & Eccleſiæ Sponſæ ſuæ peccatores Filios ſuos reconciliet pœnitentes.

424. Petes, an ſaltem in mortis articulo, ſi Catholicus deſit, liceat a Schiſmatico petere Sacramentum Pœnitentiæ,

425. Reſp. Licere, etſi non deſint, qui negativè ſentiant, non tamen teneri. Primum oſtendo. Quia ubi Lex non diſtinguit, nec nos deſtinguere debemus. Concilium autem Triden. ſeſs. 15. cap. 7. videtur hoc in terminis concedere, inquit enim: *Verum tamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes, à quibusque ſuis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſint*. Ita cenſent Averſa, Silveſ., Suar., Vaſq., Lugo, & Alii apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 21. Quæſt. 9. art. 1. dummodò Pœnitens, ſi cenſuris innodetur, & convaleſcat, Superioribus legitimis ſiſtere ſe polliceatur.

426. Secundum verò evinco ex hoc: quia nemo tènetur uti privilegio ſibi à Principe indulto, cum alia via cavere ſibi à periculò poſſit abſque Legis tranſgreſſione: poſſe autem confiteri Sacerdotì Schiſmatico, aut Hæretico in articulo mortis, eſt merum Tridentini privilegium reſervationem omnem in articulo mortis tollentis: actu autem Contritionis perfectæ Peccator ponit ſe in tuto ſalutis æternæ, quæ contritio perfecta non videtur magis in ſe difficilis;

quam

quam imperfecta, quæ attritio appellatur, cum utraque non ex viribus naturæ proficiſcitur, ſed ex Divinæ Gratiæ beneficio, non quidem adhuc inhabitantis, ſed moventis, ex eodem Triden. ſeſs. 14. cap. 4. Hanc verò perfectam Contritionem ſperare poteſt à Deo ſibi concedendam, qui renuit privilegio frui, ut Eccleſiæ obtemperet, omnem cum Schiſmaticis communionem prohibente. Ex alia verò parte ſuſpicio oriri poteſt, an Schiſmatici Catholicorum hoſtes, quos cane pejus oderunt, neceſſaria preſtare velint ad validitatem Sacramenti; quocirca non magis ab ipſis Abſolutionem ſumens tutus eſt, quam qui conatur actum perfectæ Contritionis elicere.

QUÆSTIO V.

An Chriſtifideles Confeſſariis idioma Regionis, in qua degunt, ignorantibus, teneantur per Interpretem confiteri?

427. RESP. Non teneri, niſi in articulo, vel periculo mortis.

428. Prima Pars, quam tenet Doct. Subtil. 4. Diſt. 17. Quæſt. Unic. §. *Ad Aliud*, & ſequuntur plerique ex Diſcipulis, & ex Aliis Cajetan. Sotus, Navar. citati à Scholaſticis in locum hunc, oſtenditur. Nam hæc obligatio non apparet neque ex vi præcepti Divini, neque Eccleſiaſtici. Non quidem Divini: nam Chriſtus Dominus juſſit quidem peccata Sacerdotibus detegi, non tamen publicè, ex Trident. ſeſs. 14. cap. 5., ne jugum Confeſſionis ex ſe onerosum intolerabile redderetur: neque etiam Eccleſiaſtici: hoc enim non habemus, ſed potius oppoſitum, cum Lateran. IV.

Cap.

Cap. *Vtriuſque ſexus*, dicat: *Omnia ſua ſolus peccata confiteatur proprio Sacerdoti*. Eccleſia enim vult Sacramentale judicium eſſe ſeveriſſimum, & propterea Cap. cit. Revelatores Confeſſionis ſeveriſſimè coercet. Confeſſione autem per Interpretem facta, peccatum alteri à Sacerdote revelaretur; ergo cum Chriſtus, & Eccleſia velint peccata ſciri à ſolo Sacerdote, Confeſſionis per Interpretem neceſſitatem excludunt.

429. Accedit, non eſſe veriſimile, Chriſtum, aut Eccleſiam jubere Confeſsionem eo modo, quo redderetur magis odioſa: hinc ſublata eſt publica Confeſsio, qua in Eccleſia peccata pandebantur, ex Leone Magno Epiſt.8. ad Epiſcop. Hiſpan.: redderetur autem magis odioſa Confeſsio, ſi fieri per Interpretem deberet, cum omnia peccata pandi poſſent, & fieri publica, quod quidem in Locis Miſsionum, magis urget, cum Interpretes rarò fideles haberi poſſent, ſed Hæreticis, aut Infidelibus Chriſtianorum hoſtibus uti neceſsitas compelleret. Tumquia non tenemur aperire peccata, aut circumſtantias, ex quibus ob dicacitatem Confeſſarii, vel ob aliud motivum, grave incommodum, aut infamia in nos redundat, ex Communi apud Maſt. noſt. 4. Senten. Diſp.5. Quæſt. 18. art.2., ſed ex Confeſsione per Interpretem hæc omnia ſequerentur, maximè apud Infideles, qui utique omnia Confitentis peccata revelarent; ergo non tenentur Fideles inter Hæreticos, aut Ethnicos verſantes confiteri per Interpretem,

430. Secunda quoque Pars patet: nam in articulo, aut periculo mortis ex Charitate, qua nos ipſos diligere debemus, eligendum eſt medium tutiſsimum nos juſtificandi: at tutiſsimum medium eſt Confeſsio Sacramentalis, etſi

fieri

fieri oporteret per Interpretem; ergo in tali caſu urget hujuſmodi obligatio, uti tenent cum pluribus Bonac. de Pœnit. Sacram. Diſp.5. Queſt.5. Sec.2. Punc. 2., & Layman. Lib.5. Trac.5. Cap.6.

431. Obji. in oppoſitum. Tumquia, ut impleatur Præceptum Confeſsionis annuæ, vel alterius rationis, non potens ore, aut nutu, tenetur per ſcripturam, ex Communi apud Ponc. noſt. Curſ.Theol. Diſp.45. Quæſt.6. Concl. 3. num.48.; ergo etiam tenentur per Interpretem, cum ſit eadem ratio: nam etiam Scriptura peccatum facit publicum. Tumquia revelantur etiam apud Catholicos Superiori reſervata, qui tamen Confeſſarius non eſt; ergo etiam poſſunt revelari Interpreti.

432. Reſp. Hæc non urgere. Ad primum enim dico, neg. conſeq. Scriptura enim non eſt nata eſſe in Confeſsione publica, cum ab ipſomet Pœnitente progrediatur, qui ſicuti verbis, ita ſcriptura peccata ſua pandere poteſt, quæ nihil aliud eſt, quam verbum ſcriptum, unde non differt à Confeſſione ipſa verbali intrinſecè ſecreta, & ſolum Confeſſarium reſpiciente: Interpres verò eſt alia perſona à Confeſſario diſtincta, ac proinde intrinſecè publica, etiamſi ad rigidum ſilentium teneatur; quod quidem non ita facile præſumendum eſt, ſicut de Confeſſario; maximè quia Interpretes apud Infideles, qui ſilentium cuſtodiant, rariſsimè inveniuntur, & multi putant, Interpretem teneri quidem ſecreto naturali, non tamen Sacramentali, eo modo, quo Sanc. Inquiſitionis Miniſtri obſtriguntur.

437. Ad ſecundum ne. etiam conſeq. Nam Prælatus, à quo petitur peccati reſervati Abſolutio, facit idem Tribunal cum Confeſſario, &
eodem

eodem Sacramentali ſecreto obſtringitur: unde non ſunt, niſi materialiter, Perſonæ diverſæ eo modo, quo de Delegante, & Delegato diſcurrimus: Interpres autem eſt Perſona diverſa à Confitente; quare diſpar eſt ratio.

QUÆSTIO VI.

An Miſſionarius Schimaticum purè externum poſſit abſolvere Apoſtolicis facultatibus nondum munitus?

434. Reſp. Non poſſe. Ducor. Quia, ut notat Bonac. de Cenſ. Bul. Cœn. Diſp. 1. Quæſt. 2. Punc. 5. Propoſ. 3. Schiſma, quod eſt voluntaria ſubtractio ab obedientia erga Eccleſiam Univerſalem, aut Summum Pontificem, 24. Quæſt. 1. Cap. *Schiſma*, habet integram, & conſummatam rationem criminis, ut à cæteris diſtinguitur, etiamſi deſit mens ſe ab Eccleſiæ obedientia ſubtrahendi; ſicuti verè rebellis cenſetur Principi temporali, qui etſi careat voluntate rebellandi, omnia tamen agit opera rebellium ex Scot. in Selec. Theor. 290. Bartol. in Conſtit. Hen. VII. Imper. apud Sanctor. noſt. de Pœn. cap. 6., cum ergo Schiſmatici merè externi omnia illa præſtent, quæ in Bulla Cœnæ crimen Schiſmatis appellatur, verè ſicut crimen Schiſmatis committunt, ita cenſuras incurrunt in Bulla Cœnæ fulminatas; adeoque à ſimplici Miſſionario non adhuc debitis facultatibus munito abſolvi non poſſunt.

435. Nec officit, ab Hæreſi purè externa ſimplicem Sacerdotem ordinariis tantum facultatibus munitum poſſe Reum confitentem abſolvere. Nam hæc non eſt vera Hæreſis, quæ in ſua ratione formali dicit errorem in intellectu, & per-

& pertinaciam in voluntate, Can. *Qui in Eccleſia*; . Curſ. 24. Quæſt. 1. & docet S. Thom. 22. Quæſt. 11. art. 1. Schiſma autem eſt verum Schiſma, etiamſi deſit animus ab obedientia Eccleſiæ, vel Summi Pontificis deflectendi.

436. Si petatur, An Apoſtaſia integra à Fide purè externa poſſit à ſimplici Miſſionario in Confeſſione dimitti?

437. Reſp. Si non adſit externum Schiſma, poſſe dimitti, ſicut dimittitur Hæreſis purè externa ob eamdem rationem; cum Hæreſis non differat ab Apoſtaſia, niſi in majori erroris extenſione.

QUÆSTIO VII.

An liceat venialia Schiſmaticis, mortalia Catholicis Sacerdotibus confiteri?

438. Reſp. Non licere. Ita Sac. Cong. de Propagand. Fid. ſub die 22. Junii 1705. ad Quartum P. Alexand. à Monte Brandone Minoritæ Obſervantis Apoſtolici Miſſionarii.

439. Ratio eſſe poteſt. Quia ex Decret. Clemen. VIII. Bulla *Sanctiſſimus* ſæpè cit. nequeunt Catholici Occidentales confiteri Orientalibus Sacerdotibus Catholicis, niſi neceſſitate cogente; ergo etiam in caſu neceſſitatis non licet confiteri Schiſmaticis. Tumquia confitendo Schiſmaticis, qui apud Catholicos nolunt confiteri, eſt implicita Schiſmatis approbatio, & proteſtatio: hæc autem numquam eſt licita; ergo &c.

440. Nec relevat, peccata, quæ aperiuntur, eſſe solummodò venialia: nam etiam in hoc caſu profitentur confitentes eſſe legitimos Sacer-

Sacerdotes, non autem Eccleſiæ rebelles, eos, quibus peccata ſua, ut abſolvantur, revelant; ergo implicitè Schiſma profitentur; ergo illicitè peccata etiam venialia Schiſmaticis in Confeſſione aperiunt.

441. Obji. Non dari Præceptum confitendi venialia; ergo cuicumque etiam Schiſmatico Sacerdoti poſſunt aperiri. Tumquia Schiſmatici ſunt veri Sacerdotes, quibus à Chriſto Domino ligandi, atque ſolvendi poteſtas data eſt, Math. 18. 18.; ergo ſaltem à venialibus abſolvere poſſunt, quæ ſunt materia voluntaria. Tum quia confitendo venialia, non læditur jus Catholicorum Parochorum, qui ſolummodò ex mortalibus agnoſcere poſſunt vultum ovium ſuarum; ergo licitum eſt confiteri venialia Schiſmaticis, reticendo mortalia.

442. Reſp. Ad primum neg. conſeq. Quamvis enim venialium Confeſſio non ſit neceſſaria, ſi tamen fiat, legitimo Miniſtro facienda eſt, quales profectò Schiſmatici, & Hæretici non cenſentur, vera juriſdictione carentes.

443. Ad Secundum neg. conſeq. Quamquam enim Hæretici, & Schiſmatici poteſtate gaudeant abſolvendi in actu primo, quatenus Ordine Sacerdotali ſunt inſigniti; ea tamen carent in actu ſecundò, ipſis ab Eccleſia denegata, cum eos omni ſuper ſubditos ſuos juriſdictione deſtituat.

444. Ad Tertium neg. quoque conſeq. Non enim Hæreticis, & Schiſmaticis hæc authoritas denegatur, quia Paſtorum jus lædatur, ſed quia violatur ſanctitas Sacramenti, cujus effectus fruſtratur, dum à Miniſtris perficitur omni authoritate nudatis, utpote Chriſti, & Eccleſiæ perduellibus. Aliquo etiam pacto læditur jus Paſtorum, ad quos accedere debent, ut

legi-

legitimos Miniſtros, qui veniam Sacramentalem etiam venialium cupiunt obtinere, quales profectò Hæretici, & Schiſmatici non ſunt.

QUÆSTIO VIII.

An inter Infideles, aut Hæreticos liceat per Epiſtolam, aut internuncium peccata ſua confiteri, & Abſolutionem conferre?

445. Reſp. Negativè. Deciſum hoc habemus à Clem. VIII. Bulla 87. *Sanctiſſimus*, in qua hujuſmodi ſententia declaratur falſa, ad minùs temeraria, & ſcandaloſa, vetaturque ullo pacto publicè, aut privatim doceri, & habetur expreſsè Cap. *Quem Pœnitet*, de Pœnit. Diſt. 1.

446. Ratio autem eſſe poteſt ex parte Confeſſionis. Tumquia ut optimè Subtilis 4. Diſt. 17. Quæſt. Unic. Confeſſio epiſtolæ tradita, & miſſa fit publica: tumquia minuitur notabiliter verecundia, quæ principale peccati confeſsi ſupplicium eſt: tumquia mos iſte confitendi nullum in Dei Eccleſia exemplum habet: hinc Cap. *Quem Pœnitet* Diſt. 1. de Pœnit. dicitur: *Qui per vos peccatis, per vos erubeſcatis; erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis.*

447. Ex parte autem Abſolutionis urget eadem ratio. Tumquia iſte abſolvendi modus ab uſu Eccleſiæ Dei alienus eſt, nec in antiquitate invenitur. Tumquia ſecretum Sacramentale magnum periculum ſubit revelationis. Tumquia Confeſſarius, ut rectè abſolvat, debet ſtatum Pœnitentis optimè percipere, quod cum abſente non ita facile contingit; ergo Confeſſio, & Abſolutio ſacta per epiſtolam, ſeù internuncium eſt illicita; particula enim utramque

quę uniens propoſitionem, qua Pontifex utitur, eſt copulativa, non disjunctiva, ut optimè Hiquæus noſter in Commen. ad locum Scoti citatum; ergo non licet confiteri, & Abſolutionem obtinere per literas, aut internuncium.

448. Obji. Tumquia Judicium Sacramentale aſsimilatur Forenſi, in quo etiam adverſus abſentes proferri poteſt ſententia damnationis, aut abſolutionis. Tumquia Matrimonium etiam inter abſentes fieri poteſt. Tumquia Cenſuræ fulminari poſſunt, & tolli, etiam in abſentes. Tumquia non eſt credibile Chriſtum Dominum in Sacramenti inſtitutione ſolummodò præſentibus conſuluiſſe, ſed etiam abſentibus, qui majori interdum neceſsitate præmuntur. Tumquia coram Sacerdote poteſt quis ſcripto peccata ſua confiteri; ergo etiam per literas, aut internuncium; nam revelatio peccati ſubſtantialiter eſt eadem; ergo etiam per literas, aut internuncium fieri hoc Sacramentum poteſt.

449. Reſp. Ad primum: Pœnitentiale Forum in hoc ſolummodò Judicio Forenſi aſsimilari, quod in ipſo, ſicut in illo, datur Judex, Reus, & Accuſator: at in hoc diſtingui, quod Pœnitentiale Teſtes non admittit, ſed ſolum Reum ſui ipſius accuſatorem, & teſtem, & quidem in emendationem, non in ſolam punitionem, & proinde, cum ſecretiſsimum ſit, abſentes non admittit. Secundum ad rem nihil facit, cum cenſura feratur in Foro exteriori, non autem in Sacramentali. Tertium non urget, cum Matrimonium ſit contractus, qui etiam inter abſentes fieri poteſt. Quartum ſolvitur, dicendo, Chriſtum pro omnibus Pœnitentibus Sacramentum inſtituiſſe, etiam extremè egentibus, pro quibus abſolvendis omnis

nis Sacerdos Authoritate gaudet, ſi adſit; ſi verò deſit, actu Contritionis cum Pœnitentiæ Sacramento in Voto juxta, Triden. ſeſs. 14. cap.7., non verò, quod Confeſsio per literas, aut internuncium fieri poteſt. Ultimum ruit, neg. conſeq.; qui enim utitur ſcripto coram Sacerdote, nec erubeſcentiam effugit, nec variat naturam Fori, nec ſubeſt periculum ſcripturam amittendi, cum eamdem aut legere debeat, aut lectam à Sacerdote, petere poſsit ſibi reſtitui. An autem liceat, ſcriptam Confeſsionem tradere Sacerdoti legendam, ne ipſe Pœnitens legat? Scotiſtæ Faber, Maſtrius, Brancatus, Hiquæus putant non licere, ex ipſamet Sacramenti inſtitutione, niſi obſtet impotentia; Suarez autem, Layman, & Alii cenſent, permitti poſſe, ſaltem in aliquibus caſibus.

QUÆSTIO IX.

An liceat Chriſtianis inter Infideles, aut Hæreticos verſantibus Confeſſionem Sacramentalem dimidiare, ratione magni Pœnitentium concurſus?

450. RESp. Non licere. Videtur deciſum ab Innoc. XI. Propoſitionem 59. inter 65. damnante: *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum Confeſſos, ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis V.G. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, vel Indulgentiæ.*

451. Ratio eſſe poteſt. Quia integritas materialis Confeſsionis, eo modo, quo poſsibilis ſit, de jure Divino cenſetur, ſemperque obſtringit, niſi obſtet impoſsibilitas phyſica, aut moralis, ex communi Theologorum, eliciturque

que

què ex Triden. ſeſs.14. cap.5. at nulla datur impoſsibilitas in Locis Miſsionum ſive phyſica, ſive moralis, integritatem Confeſsionis formalem ſervandi; ergo illicitum eſt illam dimidiare. Non quidem phyſica: nam Fideles peccata ſua confitentur, quin ſenſibus deſtituantur, nec ab hoſtibus impetuntur, nec opprimuntur incendio, naufragio, vel ruina cadentis domicilii: iſti quippe ſunt caſus phyſicæ impoſsibilitatis, qui ſi adeſſent, utique licitam redderent dimidiationem.

452. Neque etiam moralis impoſsibilitas apparet. Tumquia jactura, quam ſuſtinet Pœnitens, eſt ſolummodò dilatio, non privatio Abſolutionis, & Communionis Paſchalis, quæ profectò non eſt jactura notabilis, cum etiam inter Catholicos contingat ob inopiam Confeſſariorum. Tumquia Lex univerſalis ob caſus particulares ceſſare non debet, ne nimia facilitas in abuſum degeneret. Tumquia ipſi Pœnitentes ſunt in culpa; potuiſſent ènim prævenire nimium concurſum, & omni commodo peccata omnia fateri, ob quæ non detegenda oriri ſuſpicio poteſt, ab eis expectari magnum concurſum, ut Confeſsionem dimidiare queant, ex quo ipſorum indiſpoſitio argueretur. Tumquia Præceptum integritatis Confeſsionis Divinum eſt; quod fiat tempore Paſchali, humanum; ergo potiùs hoc poſterius mitigandum eſt, differendo Confeſsionem, quam primum, dimidiando; ergo non licet Confeſſario ob quemcumque concurſum permittere hujuſmodi dimidiationem. Caſibus verò peculiaribus, qui in Miſsione contingere poſſunt, prudenter conſulendum.

453. Obji. Tumquia integritas materialis Confeſsionis non urget, quando grave damnum

num timetur, ſivè proprium, ſivè proximi: at niſi Fideles admittantur dimidiatè confitentes, damnum ſpirituale incurrunt privationis Gratiæ, quam aquirerent confitendo, nec ita ipſis eſt facile accedere tempore ſuo. Tumquia adeſt revera hic, & nunc moralis impotentia omnia peccata confitendi ob nimiam multitudinem Pœnitentium, & paucitatem Confeſſariorum: hæc autem excuſat, juxta plurium ſententiam, apud Viva Trac. Damnat. Theſ. ad 29. ex proſcriptis ab Innoc. XI. Tumquia habens reſervata, nec ad Superiorem potens recurrere, poteſt cætera confiteri, Superiori verò, cum facultas acceſſerit. Tumquia ad ſcandalum evitandum, ſecundum omnes, licita eſt dimidiatio: ſcandalum autem oriretur in caſu, Paſchali quippe Communione privarentur, à qua repulſi cenſerentur, veluti indiſpoſiti; ergo licitum eſt inter Infideles, aut Hæreticos dimidiare Confeſsionem.

454. Reſp. Ad primum, nullum grave damnum adverſus Pœnitentes reſultare, qui non audiuntur dimidiatè confitentes, cum Confeſsio non denegetur, ſed differatur, ut fructum obtineat; ſi tamen eo fruſtrarentur, non Confeſſario, ſed ipſorum negligentiæ imputari oporteret, qui tempore congruo non venerunt.

455. Ad ſecundum dico, nullam dari phyſicam, aut moralem impotentiam omnia peccata ſua confitendi vel tunc, vel opportuno tempore, cum optime potuiſſent prævenire tempus illud; & etiam tunc, ſi audiuntur, nemo prohibet, quin omnia peccata ſua detegant; vel ſi multitudo impedit, detegendi tempore opportuniori.

456. Ad Tertium, dico, dari impotentiam phy-

phyſicam in carente authoritate abſolvendi à reſervatis; quare ſi Confeſsionis neceſsitas urgeat, poſſunt omitti reſervata, & cætera alia detegi. Cœterum in communiori ſententia, etiam eo caſu omnia peccata Confeſſario aperienda ſunt, qui à non reſervatis directè, à reſervatis indirectè abſolvit, cum onere ſe præſentandi Superiori Ordinario, qui eum directè abſolvat, apud Maſt. noſt. de Pœnit. Diſp. 5. Quæſt. 18. art. 3. n. 504.

457. Ad Ultimum concedo, ſi adeſſet verum ſcandalum, poſſe Confeſsionem dimidiari: at in caſu noſtro nullum eſt: nam adſtantes non concipiunt, dimiſſum à Confeſſario eſſe indiſpoſitum; ſed quia non adeſt tempus longam interdum plurium menſium, imò annorum Confeſsionem audiendi.

458. Quæres, an poſsint interdum Miſsionarii Apoſtolici, non adhuc ſuis facultatibus præditi, abſolvere à cenſuris?

459. Reſp. Poſſe indirectè cum onere ſe præſentandi legitimo Superiori, cum facultas acceſſerit. Ducor. Quia licitum eſt hoc pacto abſolvere à reſervatis, uti dictum eſt in ſolutione ad Tertium; ergo etiam à cenſuris, cum ſit eadem utrobique ratio; & in articulo mortis eſt certum, cum onere tamen ſe præſentandi Superiori ſuo, & ita tenent Suarez, Henricus, & Alii apud Maſt. noſt. loc. cit. n. 506. Poterit igitur Miſsionarius Hæreticum, aut Schiſmaticum ex corde converſum, atque ad ſe confugientem recipere, & hoc pacto abſolvere, cum Superior interdum non ita facilè poſſit inveniri; opportunitas verò Hæreticum, aut Schiſmaticum reducendi labetur cum jactura Animarum.

460. Quæres II. an poſſit abſolvi Hæreti-

cus, aut Schiſmaticus pœnitens, conſuetudinem quamdam, Romanæ quidem Eccleſiæ moribus, non tamen Fidei Orthodoxæ adverſam, nullatenus deſerere volens?

461. Reſp. Poſſe, cum revera non ſit indiſpoſitus. Repugnantia enim illa, quoniam non habet pro objecto rem cum vera Religione incompoſſibilem, non arguit voluntatem in peccato firmatam: videmur enim etiam inter Catholicos plures conſuetudines à Romanis Ritibus diverſas, quas tamen Eccleſia prudenter aut permittit, aut diſſimulat; ergo Schiſmaticus ille, qui, ſalva Fidei Orthodoxæ integritate, renuens conſuetudinem illam reſinquere, nec eſt indiſpoſitus, neque ut talis dimittendus. Si tamen Eccleſia conſuetudinem illam explicitè proſcriberet, tunc renuens illam deſerere utique veluti indiſpoſitus eſſet dimittendus. Cæterum, ut monet Pignatel. tom. 9. Conſul. 84. Miſſionarii ſe minimè faciles in damnandis Orientalium Ritibus debent oſtendere ab Apoſtolicis, vel Sanctiſſimis Patribus introductis, etſi abuſus decurſu temporis irrepſerint, qui paulatim corrigi debent, non Ritus ipſi abſcindi.

QUÆSTIO X.

An liceat mos Græcorum nonnullorum audiendi ſimul Maritum, & Uxorem confitentes?

462. RESP. Negativè. Ita Clement. VIII. Bulla *Sanctiſſimus* apud Cherub. Tom. 3. §. 3.

463. Ratio eſſe poteſt. I. Naturæ Sacramenti adverſatur per modum Judicii inſtituti, ex

ex Triden. ſeſs. 14. cap. 5. Duo autem Rei ſimul, & in eodem Judicio non audiuntur, aut expediuntur, ſed ſucceſſivè: uti neque Medicus, qualis Confeſſarius cenſetur, duos ſimul audit ægrotos. Tumquia moraliter eſt impoſſibile, Confeſſarium utrique Pœnitenti attendere poſſe, ſaltem æquali attentione, & citra ſpecierum confuſionem. Tumquia vix fieri poteſt, unum ab altero non audiri, contra Confeſſionis ſecretum. Tumquia Confeſſarius nequit citra perturbationem monere, corrigere, interrogare, atque denegare Abſolutionem, ſeque exponit periculo ſigillum frangendi, ſaltem indirectè. Tumquia iſte modus audiendi Confeſsiones exoticus eſt, & alienus ab uſu Eccleſiæ Univerſalis, in qua ſemper mos fuit, ut unum tantummodò Pœnitentem Confeſſarius audiret, munere Judicis, Patris, ac Medici functurus.

464. Obji. ſubſtantiam Sacramenti in hujuſmodi Confeſsione ſervari; adeſt quippe Reus ſeipſum accuſans, ac Judex ferens ſententiam. Neque advertentia ex parte Confeſſarii deeſt, cum duo, vel tres loquentes juxta capacitatem audientis percipi optimè poſsint abſque ulla perturbatione.

465. Reſp. ſubſtantiam Judicii minimè ſervari, ut in corpore Quæſtionis audivimus: cæterum etſi ſervaretur, quia ſecretum, & rectam judicandi, ac munere Confeſſarii fungendi rationem perturbat, & Eccleſiæ morem non ſervat, omnino mos iſtè à Miſsionariis Apoſtolicis eſt repellendus.

QUÆSTIO XI.

Utrum liceat Pœnitentem Hæreticum, aut Schiſmaticum uſu rationis privatum, qui ante ſigna aliqua Pœnitentiæ præbuerit, abſolvere?

466. Reſp. Licere. Nam Sacri Canones concedunt, moribundum abſolvi poſſe, etſi coram Sacerdote nulla præbeat ſigna Pœnitentiæ, dummodo ex adſtantibus conſtet, ipſum ante præbuiſſe, ex Arauſican.I. Cap.11. Carthag. XXXIV.; quod quidem extendi quoque ad Cathecumenos, ut Baptiſmum recipiant, eruitur ex Auguſt. de Adul. Conjug. Cap. 26. & quantum ad Chriſtifideles habetur ex Leon. Epiſt. 91. Cap. 5., & Paulo V. in ſuo Ritual. Tenent quoque idipſum S. Anton., Medina, Corduba noſter, Paludan., Silveſter, & Alii apud Hiquæum noſtrum in commen. ad 4. Scoti Diſp. 17. Diſt. 17. Quæſt. unic., & Recentiores tam ex noſtris, quam ex extraneis, apud Maſt. noſt. Tom.4. Theol. Scholaſ. Quæſt. 18. art.2.; ergo etiam Hæretici, aut Schiſmatici in tali ſtatu conſtituti poſſunt à Miſsionariis abſolvi.

467. Nec Canones explicari poſſunt de reconciliatione Canonica, non autem Sacramentali. Nam comparant Abſolutionem hanc cum Baptiſmo, in quo verè peccata remittuntur, & aſſerunt, hujuſmodi Pœnitentes eſſe Euchariſticæ capaces Communionis; ergo ſupponunt ea Abſolutione verè Deo reconciliari; ergo ſupponunt eſſe validam.

468. Adeſt quoque ratio, quam miniſtrat Subtilis 4. Diſt. 17. Quæſt. unic. §. *Ad aliud*.

Nam

Nam ad validitatem Abſolutionis ex parte Pœnitentis ſufficit ſignum ſenſibile, quo peccata, dolorque animi ex eis conceptus exprimatur, uti in Mutis contingit: at iſta ſigna præbere poſſunt Schiſmatici priuſquam ſenſibus deſtituantur; ergo ſi præbuerint, cum minimè ſint revocata, virtualiter adhuc perſeverant; ergo ſicuti tunc ſuffeciſſent, ità ſufficiunt nunc.

469. Arguitur in oppoſitum. Tumquia ad Abſolutionem tribuendam requiritur materia ſenſibilis moraliter præſens: Pœnitentia verò Schiſmatici, de qua eſt ſermo, non eſt moraliter præſens Sacerdoti; nec ſufficit, illa ſigna ante præbuiſſe: nam ad ſtantes ſe habent velut nuntii Pœnitentiæ Schiſmatici: Confeſſionem enim per nuntium illicitam declaravit Clem. VIII. Bulla 87.; ergo hujuſmodi Abſolutio eſt illicita, imò invalida. Tumquia efficax deſiderium converſionis ad Orthodoxam Fidem non ſufficit pro diſpoſitione cum propoſito peccandi in aliis generibus; ergo ex illo non colligitur diſpoſitio neceſſaria ad Sacramentalem Abſolutionem; ergo admitti non poteſt.

470. Ad primum dico, dari in eo caſu Pœnitentiam ſenſibilem non quidem phyſicè, ſed moraliter perſeverantem, & ſufficientem ad Judicium Sacramentale. Nec ſequitur, adſtantes eſſe nuncios Pœnitentiæ Schiſmatici, ſed ſolummodò relatores ejuſdem; & proptera non continentur in damnatione Clem. VIII. ut ipſemet eſt proteſtatus, apud Lugo de Pœnit. Diſp. 17. ſec. 4., & Hiquæum noſt. loc. cit.

471. Reſp. ad ſecundum. Inter actus Pœnitentiæ, quam ſupponimus, non dari purum propoſitum ad Fidem Orthodoxam revertendi,

di, ſed alia quoque ad Pœnitentiam requiſita! Cæterum, etſi appareret ſolum propoſitum efficax revertendi ad Fidem, adhuc ſufficeret, cum in eo cætera alia efficiendi propoſitum efficax contineatur: ſicuti enim Deus dimidiatam veniam minimè largitur, ita nec dimidiatam admittit Pœnitentiam; & hoc ipſum Eccleſia præſtat, Hæreticos, aut Schiſmaticos Pœnitentes, nedum ab externis Cenſuris, verum etiam à præteritis peccatis in Sacramentali Confeſsione abſolvens.

QUÆSTIO XII.

An in Locis Miſſionum, ubi duo tantum Miſſionarii degunt, ſi complices ſint alicujus gravis delicti, validè unus Confeſſionem alterius excipiat.

472. RESP. Affirmativè in caſu expoſito. Ita D. Thom. Supplem. Quæſt. 20. art. 2. ad Prim.

473. Ducor. Quia in tali caſu adſunt omnia requiſita pro Abſolutione valide obtinenda, nempe peccati Confeſsio, de eodem dolor ſufficiens ex Dei amore, vel metu gehennæ profectus, ut ſuppono. Nec deeſt in Miniſtro authoritas, cum nulla Lege Miſsionariis Apoſtolicis vetitum ſit Complicem abſolvere, ſi deſint alii Sacerdotes, ut in Miſsionibus frequenter contingit. Extra hunc caſum, illicitum eſt Complicem adire pro Abſolutione obtinenda, cum ſuppetant Alii, quibus fiat Confeſsio; ſuſpicio enim gravis exoritur non adeſſe verum dolorem in Pœnitente, nec propoſitum veræ emendationis, ſed urgere verecundiam peccata ſua aliis detegendi, quo ſenſu intelligendi ſunt

Fa-

Fagundez, Poncius noſter, & Alii exiſtimantes confiteri Complici eſſe illicitum.

474. Argumenta in oppoſitum, quod nimirum complicitas tollat erubeſcentiam adeo in Confeſsione neceſſariam, & reincidentiam in eadem peccata inducat, evincunt quidem, non licere Complici confiteri, quoties alius Confeſſarius haberi poteſt, & Sacri celebratio poteſt differri, non verò quoties nullus alius Sacerdos ſuppetit, & ægrè Alii poſſunt haberi, nec Sacrum poteſt abſque ſcandalo differri, ut inter Ethnicos, & Hæreticos ſæpè contingit: aliundè verò Pœnitens promptus eſt alteri confiteri. Quo pacto ſunt intelligendi Fagundez, Poncius noſter, & Concil. Provinc. Mediol. VII. apud Bonac. de Sacram. Pœnit. Diſp. 5. Quęſt. 7. Punc. 5. Propoſ. 10. & 11. tenentes Complici confiteri illicitum eſſe.

QUÆSTIO XIII.

An Miſſionarius licitè taceat in Confeſſione Præfecto ſuo peccatum aliquod grave ex reſervatis, ex cujus Confeſſione prævidet, nedum nocumentum ſibi, ſed Miſſioni quoque præjudicium illatum iri?

475. RESp. Affirmativè. Quotieſcumque enim damnum aliquod grave extrinſecum ſibi, vel Familiæ ex Confeſsione peccati alicujus timetur adventurum, nec timor ſit inanis, ſed gravis, & fundatus, tunc licitum eſt peccatum illud omittere, alteri tamen Confeſſario revelandum, cum opportunitas acceſſerit, uti docet ex Communi Doct. Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 21. Quæſt. 7. art. 4. n. 179. Miſsionarius autem à Prælato ſuo, ex-

tra quem nullus, ut ſupponimus, Confeſſarius ſuppetit, qui ei ſit inviſus, & vir ſit impotentis iræ, ac vindictæ avidus, fundatè timere debet, nedum mala negativa, ſed poſitiva illatum iri, cujus jam malevolentiam eſt expertus, vel linguæ magnopere lubricæ facillimè nedum aliena, ſed propria quoque ſecreta prodentis; ergo in tali caſu licitum eſt Miſſionario peccatum illud reticere, alteri Confeſſario revelandum: non quidem ob verecundiam, aut quia bonæ apud Superiorem famæ jacturam formidet; hæc enim motiva non ſufficiunt, ſed præcisè ad mala gravia, quæ timentur, præcavenda, cum ex natura ſua intrinſeca Pœnitentiæ Sacramento ſint annexa, ex Subtil. Doctor. 4. Diſt. 15. Quæſt. 1. ejuſque Diſcipulis communiter, quos ſequitur Maſt. noſt. 4. Diſp. 5. Quæſt. 17. art. 3. ſed propter incommoda alia, ſive privata, ſivè communia, quæ fundatè formidat ſecutura.

476. Objectio, quæ poteſt adduci, eſt, integritatem Confeſſionis etiam materialem eſſe de jure Divino, juxta Triden. ſeſs. 14. Cap. 5. & omnes Theologi in idipſum conſpirant, cum S. Thom. 4. Diſt. 47. Quæſt. 3. art. 4. Subtil. 4. Diſt. 17. Quæſt. unic. cum ſuis reſpectivè Diſcipulis. At hoc intelligendum eſt, quoties nullum grave incommodum extrinſecum impediat, ſed ſola verecundia, & erubeſcentia fatendi peccata gravia, ac turpia; non verò quando juſta, & rationabilis cauſa excuſat, non quidem abſolutè, ſed reſpectu ſolummodò hujus particularis Confeſſarii, non verò alterius.

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

An Miſſionarius ex Confeſſione cognoſcens ſibi inſidias ab Ethnicis, aut Hæreticis parari, poſſit licitè die Feſtivo Miſſæ celebrationem omittere, & a luſtranda Miſſione abſtinere?

477. RESp. Poſſe, niſi aliud ſignum expreſſivum præbuerit.

478. Moveor autem. Quia licitum eſt Confeſſario declinare mortem, aut graviſsimum incommodum, quotieſcumque neque directè, neque indirectè peccatum in Confeſsione auditum reveletur: at Miſsionarius ille Sacri omittens celebrationem, abſtinenſque adire loca ſuſpecta, neque directè, neque indirectè Confeſsionem revelat: nam ut optimè Doct. Subtil.4. Diſt.21. Quæſt. 2. ſignum ex ſe indifferens ad ſignificandum peccatum confeſſum, vel non confeſſum, non eſt Confeſsionis revelativum explicitè, vel implicitè: at omiſsio Sacri, vel itineris ad loca conſueta Miſsionis non eſt ex ſe ſignum peccati confeſsi, vel committendi; quando quidem Sacrum ob alia motiva omitti poteſt, & acceſſus negligi ad loca conſueta Miſsionis; ergo neque directè, neque indirectè revelatur Secretum Sacramentale, Sacrum omittendo, aut non adeundo loca conſueta Miſsionis, in quibus Miniſter Apoſtolicus prævidetur perimendus, ſicut in caſu ſimili quemcumque Confeſſarium agere poſſe, docet S. Th. in Supplem. Quæſt.11. art. 1. ad 3. S. Bona. 4. Diſt. 21. Part. 2. art. 2. Quæſt. 1., Subtil. loc. cit. cum ſuis, & Moraliſtæ cum Bonac. de Sacram. Diſp. 3. Quæſt. 6. ſec. 5. Punc. 4.

479. Dixi autem conſultò, niſi ſigno ali-

quo oſtendat Miſsionarius, ſe à præfatis actionibus abſtinere intuitu Confeſsionis auditæ. Quia tunc, ſicut ſignum illud ad Confeſsionem referretur, ita implicitè, & indirectè Confeſſio revelaretur.

480. Quod objicitur, non licere auditis uti in Confeſsione pro externo regimine, utique verum eſt, quoties ex uſu revelatio ſaltem implicita auditorum in Confeſsione reſultaret, maximè inter Regulares, pro quibus quantum ad hoc ſpeciale Decretum Clemens VIII. edidit; non tamen illicitum eſt uti ad propriam indemnitatem, dummodò neque directè, neque indirectè ſecretum prodatur Sacramentale, quod ſanè Clemens VIII. minimè interdixit.

QUÆSTIO XV.

An Miſſionarius Pœnitentem validè à reſervatis abſolvat, Prælato petitam facultatem injuſtè denegante?

481. RESP. Poſſe indirectè, cum onere, dum licuerit, ſe præſentandi, ut obtineat directè.

482. Ducor autem. Quia Triden. ſeſs. 14. Cap. 7. concedit indirectam Abſolutionem à reſervatis extra articulum mortis, & directam in eodem: alioquin non oporteret tollere reſervationem in articulo mortis, ſi non ſufficeret alibi indirecta Abſolutio; & ita tenent, Superiore abſente, aut impedito, dari hujuſmodi facultatem indirectam abſolvendi à reſervatis, Lugo, Averſa, Amicus, & Alii apud Maſt. noſt. Diſp. 5. de Pœnit. Quæſt. 18. art. 5. at iſta extenditur etiam ad caſum, in quo Superior,

perior, citrà rationem ullam, & injuſtè denegat facultatem; quia nimirum injuſta denegatio abſentiæ, vel impedimento æquivalet; ergo in tali caſu valida eſt à reſervatis Abſolutio. Neque enim eſt credibile, authoritatem ligandi, atque ſolvendi, quæ à Deo in ædificationem tribuitur Animarum, denegari ab Eccleſia in earumdem deſtructionem.

483. Hoc autem adeo verum eſt, ut graves Theologi Averſa, Lugo, Diana, & Alii apud Buſemb. Lib.6. Trac.4. de Pœnit. Cap.2. Dub.4. de Reſer. Caſ. opinentur, inter Regulares poſſe abſolutè Confeſſarium eo caſu, quo ipſi à Superiore facultas fuiſſet injuſtè denegata, ſaltem pro prima vice, Pœnitentem à reſervatis abſolvere.

484. Neque veriſimile eſt, à Triden. hujuſmodi indirectam facultatem fuiſſe ſublatam, cum nullum Epiſcopis præjudicium inferat, ad quos pro directa obtinenda eſt recurrendum.

485. Hoc autem minimè in locis Miſsionum urget, ubi paucìſsimi ſunt Sacerdotes, & Superiores, ad quos recurri oporteat, aut longiſsimè abſunt, aut occulti latent.

486. Obji. Triden. ſeſs. 14. Cap. 7. reſervatorum Abſolutionem in articulo tantum mortis cuique Sacerdoti permittens. Idipſum videtur ex Propoſitione 13. inter damnatas ab Alexand. VII. qua proſcribitur hæc: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato*; ergo Abſolutio à Caſibus reſervatis citra Superioris authoritatem nulla eſt. At hæc objectio ad rem non facit: militat enim ſolummodo de Abſolutione directa, & citra neceſsitatem, aliiſque legitimis Miniſtris deficientibus, qui directè, & legitimè abſolvant, non

autem de indirectâ, & in caſu neceſsitatis, uti ſuperius explicatum eſt, neç videtur hujuſmodi facultas à Tridentino ſublata, cum nullum Epiſcopis præjudicium inferat.

487. Sciſcitabitur I. Quis, an Pœnitens indirectè à reſervatis abſolutus, teneatur, longo tempore elapſo, quo Abſolutionem directam petere non potuit, eam poſtulare, ſi facultas acceſſerit?

488. Reſp. Teneri, cum impedimentum fuerit ſolummodò temporale, non perpetuum. Caſus enim ſoli Romano Pontifici reſervati, tunc ſolum fiunt Epiſcopales, quoties impedimentum eſt perpetuum, Cap. *De cætero*, Cap. *Noſcitur* de Senten. Excomm.: ſi enim impedimentum ſit temporale, tunc tenentur ſe ſiſtere coram Prælato reſervante, excepta puerili ætate, in qua conſtituti etiam poſt pubertatem ab Epiſcopo poſſunt abſolvi, Cap. *Pueris* de Senten. Excomm.: ſi autem ad Præſulem reſervantem non accedant, in eaſdem Cenſuras relabuntur, Cap. *Eos* ibidem, etiamſi Parti leſæ ſatiſfecerint, uti obſervat Suarez Lib. 2. Moral. Cap. 13. ergo idipſum de abſoluto à Miſsionariis, Vicario Apoſtolico, aut Præfecto Miſsionum abſente, adeout Catholicus etſi in articulo mortis à reſervatis abſolutus non teneatur recurrere, abſolutus tamen à Cenſuris accedere debet, ut abſolvatur.

489. Petes II. An Prælatus Miſsionum poſsit per Literas à Cenſuris abſolvere?

490. Reſp. Poſſe, ex Soto, Sanchez, & Aliis apud Laym. Lib. 2. Trac. 5. Part. 2. Cap. 6. cum Abſolutio à Cenſuris non ſit actus præcisè Sacramentalis, ſed Fori exterioris; poterit ergo Præfectus Miſsionum abſolvere à Cenſuris: tunc enim ceſſat reſervatio reſpectu illius, ſuper

quod

quod cadit Cenſura, niſi etiam peccatum ipſum ſit aliundè reſervatum; quo caſu tribuere debet facultatem etiam à peccato illo abſolvendi.

491. Quæres III. An Miſsionarii Apoſtolici in Locis Miſsionum facultatibus prædīti Sacræ Congregationis, ac Summi Pontificis poſsint à Caſibus Epiſcopo, non tantum jure commuui, ſed ſpeciali reſervatis abſolvere?

492. Reſp. Poſſe. Romanus enim Pontifex Miſsionariis Apoſtolicis authoritatem largitur à Caſibus abſolvendi quomodocumque exceptis, ob quos ipſamet Sedes Suprema eſſet conſulenda, præterquam in mortis articulo, adeout in Miſſionibus, ubi Tribunal S. Inquiſitionis non viget, nulla ſit reſervatio, cum poteſtas omnis aut Vicariis Apoſtolicis, aut Præfectis Miſſionum ſit attributa. Cum enim à Sede Apoſtolica Fideles, aut Infideles converſi diſſiti ſint, æquum eſt Sedis Apoſtolicæ Miniſtros ibidem degentes pleniſſima, ut Animarum ſaluti proſpiciatur, authoritate muniri.

QUÆSTIO XVI.

An Miſſionarius Regularis à Caſibus, & Cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſervatis abſolvere poſſit?

493. Reſp. Affirmativè. Ducor autem. Quia præſumi non debet, Regulares Privilegiis ſuis a Sede Apoſtolica ſpoliari in actu, quo ipſi fideliter deſerviunt, etiam cum vitæ diſcrimine, nec ſunt deterioris conditionis, quam domi ſuæ manentes nullis Ethnicorum, aut Hæreticorum periculis obnoxii: hanc autem eſſe mentem Sedis Apoſtolicæ, colligo ex hoc, quod Apoſtolica Sedes interpellata, utrum

utrum Regulares inter Hæreticos, aut Infideles Miſſionibus vacantes, fruerentur iiſdem Indulgentiis, quibus fruuntur inter Catholicos verſantes? Reſpondit affirmativè, ex Bulla Urbani VIII. *Salvatoris*, data pro Miſsionariis Belgii 5. Maji 1626., & Brevi Alexand. VII. *Dudum* 20. Septembris 1656. edito: at Regulares in Terris Fidelium privilegio gaudent abſolvendi à Caſibus, & Cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, præter contentos in Bulla Cœnæ, à Clem. VIII. 26. Novembris 1602. exceptos, & eos, quos ſibi ſpecialiter Epiſcopi reſervant, apud Matthæuc. offic. Cur. Cap. 2.; ergo idipſum præſtare poſſunt Miſſionarii Apoſtolici, etiam præſcindendo à Facultatibus ratione Miſſionis impetratis.

494. Ob eamdem rationem ex ipſiſmet Regularium privilegiis apud Roder. reſol. 31. Mirand. Tom. 1. Manual. Quæſt. 7. art. 6. poſſunt etiam in Miſſionibus vota Pœnitentium commutare, dummodo non ſint ex quinque Summo Pontifici reſervatis, nec ſint promiſſori jurata, aut ſtatus, aut perſeverantiæ in aliquibus Congregationibus fieri conſuetis, nec quæ in Tertii nocumentum redundent. Poſſunt quoque diſpenſare cum Conjugatis ad petendum debitum impeditis ob copulam carnalem alterius cum conſanguineo intra ſecundum gradum, & cum Conjugibus, qui non poſſunt ſe continere, quin debitum petant, etſi ante Matrimonium Caſtitatis votum emiſerint, ſi tamen à Generalibus, aut Provincialibus ſpecialiter deputentur.

495. Opponitur. Regularium privilegia adhiberi non poſſe, niſi ex Superiorum diſpenſatione miniſterio aſſigentur, ut patet ex eorumdem tenore; ergo antequam à Superioribus ſuis

ſuis exhibeantur, ipſorum privilegiis Miſſionarii gaudere non poſſunt.

496. Reſp. Hoc ipſo, quod ad Miſſiones mittantur, etiam deputantur, ut privilegiis gaudeant: cæterum, etiamſi ſpecialiter nequaquam deputarentur, cum à Summo Pontifice, vel Sac. Cong. ad Miſſiones dirigantur, adhuc frui cenſendi ſunt, cum veriſimile non ſit Eccleſiam eos ſpoliare velle; dum ipſi fideliter deſerviunt.

QUÆSTIO XVII.

An Miſſionarii Regulares poſſint Eccleſiaſticis non Regularibus peccata ſua etiam reſervata confiteri?

497. Reſp. Non poſſe citra neceſſitatem; poſſe verò illa exiſtente.

498. Prima Pars patet ex ſingulorum Ordinum Sacrorum Conſtitutionibus, quibus id ſeveriſſimè interdicitur: quantum enim ad Minoritas pertinet, habetur ex Salmat. cap. 7., ex Valliſol. cap. 6. Quæ quidem Conſtitutiones etiam mandato Apoſtolico muniuntur. Quantum verò ad cæteros Regulares, ſinguli Ordines ſuis ſpecialibus Conſtitutionibus obſtringuntur, ne exteris confiteantur, ut neque vi Bullæ Cruciatæ Regularibus eligere Confeſſarium liceat externum, à quo reſervatorum, & cenſurarum Abſolutionem obtineant, ut ex Corbub. noſt. annot. ad Collec. Priv. Mend.; ergo citra neceſſitatem illicitum eſt Regularibus, & Miſſionariis extero confiteri.

499. Fortiori jure illicitum eſt reſervata externis Eccleſiaſticis confiteri, nullam habentibus aut ordinariam, aut delegatam poteſtatem.

Non

Non quidem ordinariam, eoquia Regulares quoad Confeſſiones ipſorum Epiſcopis nequaquam ſubduntur. Non delegatam; nam neque Summus Pontifex, neque Ordinum Superiores eiſdem largiti ſunt, aut largiuntur; ergo nullo pacto licet Regularibus apud exteros confiteri.

500. Secunda quoque Pars patet, quæ habetur expreſsè apud Minoritas in Stat. Julii Secundi cap. 7. part. 6., & in Valliſol. cap. 6. Nam Præceptum confitendi, quoties neceſſitas cogit, utpote Divinum, ſtrictiùs eſt, & magis obſtringit, quàm illud de non confitendo extraneis, quod merè humanum eſt; ergo, neceſſitate compellente, poſſunt Regulares etiam exteris confiteri.

501. Solum difficultas eſſe poteſt quoad reſervata, quæ confiteri, non videtur à Superioribus extra Ordinem concedi: ut enim habetur de Reg. Jur. in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus*. At in tali caſu poſſent omitti reſervata eo modo, quo graviora peccata taceri poſſunt, quoties timetur juſtè revelatio, aut grave vel ſibi, vel Proximo incommodum adventurum, cum onere alteri Confeſſario poteſtatem habenti eadem confitendi.

502. Quæres, An Latinus inter Orientales viſitans poſſit Sacerdoti Græco Catholico, etſi adſint Latini, confiteri?

503. Reſp. Non poſſe, niſi adſit motivum grave, & ſpeciale Græco confitendi: Clemen. VIII. Conſtit. 34. *Sanctiſſimus*, apud Pignatel. Tom. 7. Conſul. 50. expreſsè Latinis vetuit, Græcis Catholicis peccata ſua confiteri extra neceſſitatem, quæ revera non urget, quoties ſuppetunt Latini. Vult enim Summus Pontifex, unumquemque in ſuo Ritu permanere, & ejuſ-

dem

dem uti Miniſtris, ad pacem in utraque Eccleſia ſervandam. Hinc ubi adſunt Græci, & Latini permixti, voluere Pontifices, unum pro Græcis, alterum pro Latinis Epiſcopum ſtatui, qui utriſque juxta Ritum ſuum Sacramenta miniſtraret, ex Innoc. IV. Conſtit. *Sub Catbolicæ*, & Romæ quoque videmus, ex Clemen. VIII. Conſtit. cit. *Sanctiſſimus*.

QUÆSTIO XVIII.

An Sacerdos Orientalis Orthodoxus Uxorem propriam habens, & peccans cum alia Muliere, teneatur in Confeſſione ſe Sacerdotem eſſe revelare?

504. RESp. Teneri. Ducor autem. Quia in Confeſſione circumſtantiæ omnes ſpeciem peccati mutantes ad validitatem ſunt aperiendæ, juxta Triden. ſeſs. 14. cap. 4. & communis ſententia Theologorum tenet; at in Sacerdote Græco circumſtantia Sacerdotii ſpeciem mutat peccati, cum opponatur tranſgreſſio aut Voto Sacris Ordinibus annexo Caſtiſtatis conjugalis, aut ſaltem Eccleſiæ Præcepto, ex Can. 13. Synod. Trullen. cui Orientales maximè adhærent; adeoque vel Religioni, vel ſaltem Obedientiæ, quæ virtutes ſunt à Caſtitate ſpecie diſtinctæ; ergo ſicut Latinus Sacerdos, qui tenetur ad omnimodam Caſtitatem, in fornicationem lapſus, omittens hanc circumſtantiam, integritati Confeſſionis minimè ſatisfaceret, ſed exprimere deberet aut Votum ſolemne, quo obſtringitur, ſi Regularis eſt, aut vinculum Sacri Ordinis, quem ſuſcepit, juxta Poncium noſtrum Curſ. Theol. Diſp. 45. Quæſt. 7. de circumſtan. *Quis*, & Sanchez

Oper.

Oper. moral. lib. 5. cap. 6., & ſecundum omnes, ſaltem Caſtitatis in genere; ergo Sacerdos Græcus rem habens cum non ſua, exprimere debet, ſe Sacerdotem eſſe, ut Confeſſio ſit integra, & valida: hinc in omnium ſententia Æquites Regulares Militiarum Ordinum, qui Conjugalem Caſtitatem vovent, congredientes cum alia Muliere, circumſtantiam hanc ad integritatem Confeſſionis aperire tenentur; ergo idipſum dicendum eſt de Græcis Sacerdotibus.

505. Objectio, quam adducere poſſunt, nempe hanc eſſe circumſtantiam ſolummodò aggravantem, non autem ſpeciem mutantem, quam aperire non obſtringi, videtur colligi ex Triden. ſeſs. 14. cap. 4. jam præventa eſt in corpore Quæſtionis: nec adeo certum eſt, circumſtantias notabiliter aggravantes, & judicium Confeſſarii mutantes exprimi non oportere, cum graviſſimi Doctores Alenſis, Major, Marſilius, Suarez relati à Maſt. noſt. in 4. Senten. Scoti Diſp. 5. Quæſt. 16. art. 1. num. 480. oppoſitum cenſeant.

QUÆSTIO XIX.

An Catholicus inter Ethnicos degens, & infidelem Virginem corrumpens, hanc Infidelitatis circumſtantiam in Confeſſione aperire teneatur?

506. RESP. Non teneri. Ducor. Quia non tenemur circumſtantias mere aggravantes, nec judicium Confeſſarii notabiliter immutantes in Confeſſione aperire, juxta Ponc. noſt. Diſp. 46. Quæſt. 7. Concl. 2. Curſ. Theol. Maſt. pariter noſt. 4. Sent. Scoti Diſp. 1. Quæſt. 18. art.

18. art. 1. Alioſque ab ipſis citatos! at circumſtantia Infidelitatis in Virgine corrupta eſt merè aggravans, nec mutans notabiliter judicium Confeſſarii: profectò enim eodem jure naturali, ac Divino, quo Fideles, etiam Infideles obſtringuntur, ne fornicationem committant; ergo hæc circumſtantia ſpeciem peccati in Catholico minimè variat; adeoque nec in Confeſsione neceſſariò aperienda.

507. Urgetur. Qui Virginem fidelem violat, non tenetur exprimere, quod ſit fidelis; ergo etiam violator Virginis infidelis ſufficienter exprimit crimen ſuum, confitendo ſe Virginem corrupiſſe, quin exprimat infidelitatem; non enim videtur ratio, cur fidelitas potiùs taceri poſſit, quam infidelitas, cum etiam fidelitas Virginis addat circumſtantiam aliquam aggravantem, ſicut addit infidelitas: nam Virgo fidelis eſt templum Spiritus Sancti, & hortus delitiarum Dei, uti eam Patres appellant.

508. Obji. Strictiori vinculo Catholicum teneri ad Caſtitatem ſervandam, quam Infidelem: corrumpendo Virginem infidelem, à Fideli Corpus ſuum, quod eſt templum Dei, miſcendo cum infideli, contaminari, quod videtur contra Religionem; adeoque mutare ſpeciem; ſicut videtur quoque mutari ratione ſcandali, quod Virgini infideli præbetur, quaſi Chriſtiani ſint effræni libidini ſubjecti; ergo hæc circumſtantia in Confeſſione aperienda eſt.

509. Reſp. Hæc non urgere: circumſtantia enim Fidei non variat ſpeciem peccati, ſed ſolummodò aggravat in eodem genere: at hoc minimè convincit, explicari debere Fidem corruptæ Virginis, ſed potiùs corrumpentis: hæc autem Confeſſario eſt nota: minimè quoque hujuſmodi corruptio Religioni adverſatur,

à qua

à qua non eſt præciſè vetita, ſed à Caſtitate, cui opponitur: hoc autem adeo verum eſt, ut Matrimonium cum Ethnicis ex more ſolummodò, & conſuetudine Populi Chriſtiani ſit irritum, ex Bellar. Tom.4. Controver. Lib.1. cap.22.; non ergo ſpecificam deformitatem addit Infidelitas Virginis, cui Fidelis carnaliter commiſcetur. Quantum verò ad ſcandalum, hoc profectò non magis inducitur rem habendo cum Virgine fideli, quam infideli; utraque enim ad peccatum inducitur, etſi fortaſſe in Virgine infideli majus foret, quam in fideli. Si tamen vel reſpectu Virginis, aut Parentum ipſius ſpeciale ſcandalum pareretur, & contemptus Fidei Orthodoxæ; tunc ratione hujus ſpecialis circumſtantiæ deberet ſtatus Infidelitatis Virginis corruptæ in Confeſſione aperiri: at non præciſè, ſicut Virgo illa, quæ corrupta eſt, eſſet infidelis.

QUÆSTIO XX.

An Miſſionarius in Diœceſi Epiſcopi Græci, non adhuc obtentis à Sede Apoſtolica ſolitis Facultatibus, omnium Fidelium ibi degentium Confeſſiones excipere, atque à Caſibus alibi reſervatis abſolvere poſſit, non habito Epiſcopi aſſenſu?

510. RESp. Poſſe. Ducor quantum ad primam Partem. Quia ex hoc præciſè, quod Summus Pontifex mittit nonnullos, ut Miſſione loco ſui fungantur, etiamſi minimè adhuc conſuetis Facultatibus eos munierit, tribuit tamen eam poteſtatem, quæ eſt neceſſaria ad Miſſionem dignè exercendam: at hæc minimè poſ-

poſſet dignè exerceri, niſi liceret eis audire omnes Pœnitentes, qui vellent ad ſè confeſſuri accedere, etiam Epiſcopo Loci inconſulto; Epiſcopus enim Græcus, etſi Catholicus, vel quia calamitatibus depreſſus, vel quia pericula pertimeſcit, difficulter præſto eſſe poteſt, & fortaſſe, quia cum Latinis Sacerdotibus vetuſtam habet ſimultatem, ægrè illos in Diœceſi ſua ſuſtineret, eoſque munus Apoſtolicum exercere impediret; ergo Miſſionarii ex ipſamet Miſſione authoritatem habent abſolvendi a peccatis, etiam independenter ab Epiſcopo.

511. Confirm. Nam authoritate Epiſcopi Diœceſani indigent Miſſionarii aut ad obtinendam ipſammet juriſdictionem, aut approbationem: non primum: Regulares enim, quales ut plurium ſunt Miſsionarii, à Summo Pontifice facultatem habent ex ſuiſmet privilegiis ab omnibus Caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, nonnullis exceptis, nempe contentis in Bulla Cœnæ, & aliis, quos Clem, VIII. expreſsit, & iis, quos ſibi ſpecialiter in ſuis Diœceſibus Epiſcopi reſervant, abſolvendi: non ſecundum; ex quo enim à Sede Apoſtolica ſunt deputati, ab eadem approbati cenſentur: *Diſputare enim de Principis judicio non oportet, cum Sacrilegii inſtar ſit dubitare, an iis dignus ſit, quem elegerit Imperator*, C. *Diſputare* §. de Crim. Sacril.; ergo ex nullo capite tenentur Miſsionarii Apoſtolici facultatem petere ab Epiſcopo Diœceſano abſolvendi à peccatis, aut Miſsionem exercendi, etſi congruum ſit, ſe coram ipſo humiliter ſiſtere, & benedictionem poſtulare, ut alacrius in vinea Domini laborent.

512. Secunda quoque Pars patet. Nam habens facultatem abſolvendi in propria Diœceſi,

ceſi, poteſt quoque abſolvere à caſibus in aliena Diœceſi reſervatis, niſi ſint tales in ea, in qua degit, vel ſi tales ſint, ipſe facultate gaudeat ab iis abſolvendi, ex pluribus D. D. apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 21. Quæſt. 9. art. 2.; ergo etiam Sacerdoti à Romano Pontifice facultatem habenti licebit abſolvere à reſervatis in alia. Miſsionarii autem Apoſtolici fruuntur facultate Confeſsiones audiendi in Diœceſi, in qua munere ſuo funguntur; ergo poſſunt quoque abſolvere à reſervatis in alia Diœceſi, ſi Pœnitentes non doloſè, ſed bona fide acceſſerint.

513. Obji. Regulares etiam propriis privilegiis munitos non poſſe Confeſsiones audire, niſi ab Epiſcopis approbatos, ex Triden. ſeſs. 23. de Refor. cap. 15. & ulterius advenæ ſunt, & peregrini, qui non videntur prærogativis Locorum frui; adeoque nec abſolutione activa alibi reſervatorum; ergo Miſsionarii Apoſtolici Miſsiones nequeunt exercere, miniſtrando Sacramenta, niſi ab Epiſcopo approbati. At neg. conſeq. Nam cæteri Regulares ſpeciali deputatione à Summo Pontifice nequaquam Sacris Miniſteriis audiendi Confeſsiones, & Conciones habendi adiguntur; propterea in exercitio Verbi Dei, & audiendi Confeſsiones à Præſulibus Locorum pendent. At Miſsionarii Apoſtolici proprio motu, & veluti Miniſtri immediati à Sede Apoſtolica mittuntur, idcirco Epiſcopali juriſdictioni minimè ſubduntur, niſi explicitè exprimatur. Nec ſequitur, eos non frui authoritate abſolvendi à reſervatis in aliis Locis: tumquia ipſi in Locis Miſsionum non ſunt vagi, & peregrini, cum ibi domicilium fixerint pro tempore à Sac. Congr. determinato: tumquia etiam vagi, & peregrini fruuntur privilegio

gio Loci, in quo reperiuntur, ex communi DD.; ergo ſicuti Pœnitentes fruuntur indulto Abſolutionis paſsivæ, ita Miſsionarii Abſolutionis activæ.

514. Quæres I. An Græcus Catholicus extra caſum mortis, cum nullus alius Sacerdos, niſi Latinus ſimplex ſuppleat, licitè etiam quoad reſervata confiteatur ipſi, atque validam Abſolutionem obtineat?

515. Reſp. Poſſe. Ducor. Quia de Eccleſiæ benignitate non eſt præſumendum ab ea velle Fidelibus inter Ethnicos, aut Hæreticos verſantibus relinqui medium difficilius provenia peccatorum obtinenda, cum poſſet commodiora: ſed medium Contritionis perfectę difficilius eſt, quam Confeſsio, & Abſolutio Sacramentalis; ergo cenſendum eſt, inopia maxima Sacerdotum in iis Regionibus durante, tribui Sacerdoti etiam ſimplici facultatem abſolvendi à peccatis, quoties alius non ſuppetit, etſi peccata ſint reſervata, cum onere ſe præſentandi legitimo Superiori in Miſsionibus degenti. Hoc non præſumitur inter Catholicos ita facile concedi, cum plures ſuppetant Sacerdotes, tam Regulares, quam Sæculares, quod in Miſsionibus non habetur, ubi unus interdum, aut duo ſolummodò Miſsionarii victitant pluribus Regionibus proviſuri, vel ſi alius Sacerdos ibidem degit, vix poteſt inveniri, latebras quærens ut vitam incolumen conſervet.

516. Quæres II. Quinam ſint Confeſſarii, qui navigantes in Oceano abſolvere queant ſivè ab ordinariis peccatis, ſivè etiam à Sedi Apoſtolicæ reſervatis?

517. Reſp. Navigantium in Mari Oceano, itaut centum milliaribus à Terra diſtent, Confeſſarios eſſe approbatos ex ſua Diœceſi, à qua diſceſ-

diſceſſerunt, ſi eum ipſis ſimul navigent; ſin minùs, alios approbatos diverſa um Diœceſum: quibus omnibus deficientibus, omnes Sacerdotes, ſi rectè ſint ordinati, nec Canonico impedimento irretiti: Caſus verò Sedi Apoſtolicæ reſervatos ab omnibus abſolvi indirectè cum onere ſe ſiſtendi habentibus facultatem, quoties opportunitas acceſſerit. Quæ verò Epiſcopo reſervantur, quoniam extra propriam Diœceſim reſervationem amittunt, niſi etiam alibi reſervata ſint, in alto Mari nullam habent reſervationem, ac proinde à quocumque Sacerdote poſſunt dimitti, uti contingit in articulo mortis, ex communi apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 21. Quæſt. 9. art. 2.

QUÆSTIO XXI.

An Catholicus inter Hæreticos, aut Ethnicos commorans, & in dubium incidat ſive poſitivum, ſive negativum de rebus de Fide definitis exterius expreſſum, poſſit à Miſſionario Facultatibus conſuetis carente abſolvi?

518. RESp. Negative. Prima Pars, quam tenet communis cum Sanchez Lib. 2. opera Moral. cap. 7. Becan. de Fid. cap. 14. & Aliis, oſtenditur. Nam dubitans dubio poſitivo, & reflexo de Veritatibus ab Eccleſia, veluti de Fide propoſitis, ideo dubitat, aſſenſumque ſuum Veritati propoſitæ denegat, quia authoritati Eccleſiæ non defert tamquam infallibili Proponenti: at hoc pacto dubitans eſt verè Hæreticus, quia judicium proprium præfert Eccleſiæ diffinitioni, 24. Quæſt. 3. Cap. *Quia in Eccleſia*; ergo dubitans poſitivè de Myſteriis de Fide ab Eccleſia propoſitis eſt verè Hæreticus; ergo ſi hoc

ſi hoc crimen exteriùs prodatur, à Miſsionario nequit abſolvi, conſuetis Facultatibus non adhuc munito.

519. Confir. Non minus Dei veracitati opponitur qui dubitat poſitivè, quam negans veritatem aliquam explicitè à Deo revelatam: dubitans enim cenſet aut potuiſſe Deum decipi, aut reipſa Eccleſiam revelando decepiſſe, aut minimè revelaſſe: at negans aliquam veritatem à Deo Eccleſiæ revelatam eſt verè Hæreticus, & quidem externus, ſi externè deneget, ſecundum omnes Theologos, nemine refragante; ergo etiam qui dubitat poſitivè ob eamdem rationem.

520. Secunda quoque Pars, quam tenet cum Farin., Verciul., Caren., Bordon. in ſuo Tribunal. S. Inquiſit. cap.9. Ponc. noſt. Curſ. Theol. Diſp.30. Quæſt.1. Concl.3. D. Anton. Adrian. Caſpenſ. Suarez, & Alii, qui apud Maſt. noſt. Diſp. 10. Theol. Moral. Quæſt. 1. art.3. omnem prorſus dubitantem, abſolutè loquendo, Hæreticum faciunt, oſtenditur: Hæreticus eſt, qui Eccleſiæ aliquid de Fide proponenti non aſſentitur, etiamſi oppoſitum errorem minimè amplectatur; hinc Quinta Synodus nedum Hæreticos declarat Sectantes errorum Arii, Neſtorii, & Eutychetis, ac Theodori Mopſueſteni, poſitivè errantes; verum etiam eos, qui negativè ab Eccleſiæ doctrina deflectunt, ut patet Cap.2. 10. 11.; quod quidem in cæteris Conciliis præſtitum eſt; ergo ad incurrendam Hæreſim, ſufficit non aſſentiri veritati ab Eccleſia propoſitæ: at negativè errantes revera non aſſentiuntur veritatibus ab Eccleſia propoſitis, etſi oppoſitum errorem minimè amplectantur; ergo verè ſunt Hæretici, cum Eccleſiæ congruè proponenti præbere aſ-

re aſſenſum ſuum, uti tenentur, detrectent.

521. Deinde negativè dubitantes Fidem Divinam amittunt, quæ non ſtat cum dubietate, atque incertitudine de objecto credito ex Subtil. Doct. 3. Diſt. 25. Quæſt. 7. & Quodlib. 14. §. *Ex his*; ergo ſunt vere Hæretici: nam Fides quoad Myſteria particularia non amittitur, niſi Hæreſi, ex eod. Doct. Subtil. 3. Diſt. 23. Quæſt. Unic. §. *Ad aliud concedo*, & S. Thom. 2. 2. Quæſt. 5. art. 3.

522. Neque eos excuſat cujuſcumque aſſenſus ſuſpenſio. Nam Præceptum Fidei urget, quoties habetur ſufficiens objecti credendi propoſitio, ex Doct. Subtil. 3. Diſt. 25. Quæſt. 1. & Sanct. Thom. 2. 2. Quæſt. 1. art. 1.; debet igitur elici aſſenſus certus, quo credatur ipſimet Deo revelanti; ergo qui manent in dubio ſuſpenſi, Fidem, quam habebant, amittunt, ſicuti amittitur Charitas habitualis, quoties omittitur actus ejuſdem, urgente Præcepto; ergo omittentes credere Articulo particulari, cum elicere actum deberent, verè ſunt Hæretici, ac ſubinde exterius ſe pandentes à ſimplici Miſsionario nequaquam abſolvi queunt.

523. Opponitur contra utramque Partem. Dubius quocumque modo non eligit opinionem hæreticam; ergo non eſt Hæreticus, cum Hæreſis ſit *Electio Doctrinę erroneę, quam quis putat eſſe meliorem*, 24. Quæſt. 3. Cap. *Hæreſis*. Tum quia dubitans dubio ſivè poſitivo, ſivè negativo Eccleſiam minimè contemnit, alioquin ſententiæ ab Eccleſia damnatæ poſitivè adhæreret; ergo quoniam non videtur contumax, & rebellis, neque dici Hæreticus poteſt; adeoque poteſt à quocumque abſolvi.

524. Reſp. Dubitantem poſitivè, ſivè negativè eligere hæreticam opinionem, eo quia

reſ-

reſpuit aſſentiri illi, quam deberet amplecti, ſufficienter ab Eccleſia propoſitæ; alioquin nulli Religioni liceret adhærere, de qua cum modernis Libertinis quiſquis dubitaret: ipſummet dubium eſt electio æquivalens, & injuria maxima Deo illata, de cujus, & Eccleſiæ authoritate dubitatur. Falſum eſt quoque, Eccleſiam à dubitante non contemni, cujus authoritatem infallibilem in controverſiam vocat. Et revera in Jure nedum pertinaces habentur, qui contraria Eccleſiæ defendere audent, cap. 1. extra *De Maledictis*, ſed etiam qui eidem, & Sedi Apoſtolicæ non aquieſcunt: cenſentur quippe Pagani, Can. *Si qui ſunt* Diſt. 81.; & illi, qui non admittunt ab eâdem approbata, Cap. *Romanorum* Diſt. 19., & Cap. *Miraris* Diſt. 93., & ſicuti Deus contemnitur, non implendo quod præcipit, ita contemnitur, non credendo quod proponit credendum, mediante Eccleſia, etiamſi oppoſitum ejus minimè teneatur.

QUÆSTIO XXII.

An Schiſmaticus Orientalis ad Fidem Orthodoxam converſus renuens particulam Filioque *in Symbolo exteriùs recitare, à Miſſionariis abſolvi, & ad Eccleſiam admitti poſſit?*

525. RESP. Affirmativè, quoties rectam Fidem teneat proceſſionis Spiritus Sancti à Filio, & particulam *Filioque* juſtè à Latinis appoſitam. Habemus hoc deciſum à Clemen. VIII. Conſtit. 34. *Sanctiſſimus* §. *Si ſcandalum abſit*.

526. Ratio autem eſſe poteſt. Quia Orientalis ille ad Fidem Orthodoxam converſus nolens ob grave motivum recitare publicè verba

illa coram ſuis Conterraneis, non peccat, nec habet propoſitum peccandi de cætero, ergo uti indiſpoſitus non poteſt repelli. Conſeq. patet. Probat. ant. Nam non eſt indiſpoſitus renuens facere, quod non tenetur: non tenetur autem coram Suis ob grave aliquod motivum publicè, & explicitè particulam illam Symbolo apponere, tametſi rectam Fidem habeat: Præceptum enim confeſſionis Fidei affirmativum eſt, ex D. Thom. 2. 2. Quæſt. 3. art. 2. nec magnus honor in Deum, aut Fidem Orthodoxam redundat; nullus verò, aut ſaltem modicus in Deum redundat honos, uno, aut altero Græco particulam *Filioque*, cum nullus eum interpellet, pronunciante: Schiſmatici verò perturbationem magnam concipere poſſunt, & perſecutionem ſævam adverſus Catholicos intempeſtiva hac confeſſione poſſunt excitare, damnumque magnum Eccleſiæ inferre; ergo, niſi ſcandalum notabile Fidelibus inferretur, non tenetur Græcus Catholicus recitare publicè Symbolum cum additione particulæ *Filioque*: omittendo enim nullum errorem prodit, ſed ſolummodo veritatem aliquam explicitè non confitetur, quæ implicitè continetur in ipſomet Symbolo.

527. Eodem pacto Catholicus occultus Græcus intereſſe poteſt, ſi citra grave incommodum nequeat abeſſe, in Eccleſia, ubi anathemate feriuntur addentes particulam aliquam Symbolo Nicæno: cum in hoc nullus appareat error, & mos ſolummodò antiquæ Eccleſiæ ſervetur in venerationem Synodi Nicænæ, & Epheſinæ I. retentus. Quamvis enim Schiſmatici Latinos carpere intendant, ſecundum ſe tamen neque implicitè condemnatio Eccleſiæ Catholicæ apparet, cum Eccleſia

Orien-

Orientalis ſecundum ſe Occidentali in Dogmate adhæreat, & pleriquе Græci Catholici adſint idipſum ſentientes; ergo Græcus aliquis Schiſmaticus volens ad Fidem Orthodoxam converti, non idcirco repellendus eſt, quia ob gravia motiva ægrè ab Eccleſia abſtinet, in qua hujuſmodi excommunicationes feruntur, niſi fortaſſe adſit circumſtantia aliqua particularis, ob quam proteſtatio falſi Dogmatis exterius proderetur: tunc enim, ſicut etiam periculo imminente perverſionis, non minus à conſortio Græcorum, quam ab Eccleſia eorumdem deberet abſtinere, ne proteſtationis falſi Dogmatis, & perverſionis in Fide reus efficeretur. Quo caſu nolens abſtinere, utique, veluti indiſpoſitus, à Sacramentali Abſolutione ut indignus eſt arcendus.

528. Objectiones in oppoſitum in hoc verſantur, quod omittens recitare Symbolum cum particula *Filioque*, & aſsiſtens in Eccleſia, ubi affertur excommunicatio adverſus eos, qui addunt aliquam particulam Symbolo Nicæno, videntur exterius proteſtari errorem Græcorum Schiſmaticorum aſſerentium, non potuiſſe Eccleſiam Latinam apponere Symbolo particulam *Filioque*; ergo cum perſiſtat in voluntate peccandi, videtur Abſolutione indignus.

529. Reſp. tamen, omittentem ex gravi motivo recitare Symbolum cum particula *Filioque*, non proteſtari exterius errorem Græcorum, ſed non confiteri exterius facto illo Catholicam veritatem: hoc autem licitum eſt ex juſto motivo; citra ſcandalum tamen, aut alias pravas circumſtantias, ſicuti licitum eſt omittere confeſsionem Fidei, quoties confeſsio actualis non cenſetur tunc neceſſaria: eodem pacto qui adſunt præcisè in Eccleſia,

in qua Nicænæ Synodo addentes excommunicantur, ſicuti fieri poteſt etiam à Catholicis, ita quoties fit ab iis, quos, utrum Catholici ſint, an Hæretici, neſcimus, non arguit conſenſum in Hæreticorum, aut Schiſmaticorum errores. Si tamen explicitè pateret, id fieri in Religionis Orthodoxæ contemptum, utique qui nollet abſtinere ab Eccleſia, in quo id fieret, repelli deberet; animum quippe oſtenderet in Schiſmate, aut Hæreſi pertinacem; adeoque Abſolutione indignum.

530. Quæres, an Catholici Græci poſsint aſsiſtere in Eccleſia Schiſmaticorum, in qua Dioſcorus Sanctus pronuntiatur, & Sanctus Leo I. Pontifex, qui eum in Synodo Chalcedonenſi damnavit, excommunicationi ſubjicitur, adſtantibus *Amen* reſpondentibus, ne gravia incommoda incurrant?

531. Reſp. Poſſe quidem adeſſe præſentia pure materiali, dum Dioſcorus Sanctus appellatur, & Sanctus Leo excommunicationi ſubjicitur, eo pacto, quo licitum eſt eâdem præſentiâ Sacrificiis Ethnicorum adeſſe, juxta declarationem Clem. XI. Sinicos Ritus proſcribentis: non tamen licitum eſſe, adeſſe præſentia formali, & approbativa, quæ contingeret, ſi Catholicus ſimul cum Schiſmaticis alta voce proferret verbum *Amen*: tunc enim externè errores Dioſcori implicitè profiteretur, & Eccleſiam, ac Summum Pontificem erraſſe ſignificaret, damnando Dogmata, & Perſonam Dioſcori, & Romanum Pontificem veluti inferiorem anathemati ſubjiciendo.

532. Petes, an Miſsionarius poſsit abſolvere Neophitum, qui, fictè ſuſcepto Baptiſmate, in varias Hæreſes etiam externas prolapſus eſt?

533. Reſp.

533. Reſp. Neophitum, ſi verè nullam, voluntatem habuit ſuſcipiendi Baptiſma, illum verò ob finem aliquem humanum ſuſcepit, nulla indigere Abſolutione, cum revera Baptiſma non ſuſceperit, neque Eccleſiam verè fuit ingreſſus, cujus janua eſt verum, & reale Baptiſma, ad cujus validitatem in Adultis intentio ſaltem virtualis, & ſecundum nonnullos ſaltem habitualis requiritur; igitur ſicut veram Hæreſim non contraxit, ita neque indiget ulla Abſolutione, ſed ſolo vero Baptiſmo, in quo cum originali cætera quoque peccata cum erroribus circa Fidem contractis, ſi vera Pœnitentia præceſſerit, condonantur, etſi in Foro exteriori, ſicuti ut ritè Baptizatus præſumeretur, ita veluti Hæreticus formalis puniretur.

534. Si autem ſictè, ideſt malo animo, & contra propriam inclinationem, attamen verè, & propriè Baptiſmum Chriſtianorum ſuſcepit, Cap. *Majores* de Baptiſ. & tradunt Scholaſtici cum Scoto 4. Diſt. 4. Quæſt. 4., tunc, ſicuti verus fuit Hæreticus, ita nequit à Miſsionario non adhuc facultatibus neceſſariis munito abſolvi; imò, tametſi non fuerit validè reipſa baptizatus, debet tamen in Foro externo ut talis tractari, donec oppoſitum evidenter conſtiterit, cum Baptiſmus in dubio, eoquia homini favorabilis eſt, ut validus eſt ſupponendus.

An Catholicus prævidens Miſſionarios fore diſceſſuros, nec tamen præveniens Confeſſionem, & Communionem Paſchalem, ſed illam omittens, uſque ad Paſcha anni ſequentis, peccet, & pœnas Canonicas ſubeat?

535. RESp. Fidelem non præveniendo Confeſsionem, & Communionem, quas prænoſcebat tempore Paſchali non poſſe adimplere, minimè peccaſſe; benè verò non confitendo, & non communicando, quoties, elapſo tempore Paſchali, opportunitas acceſsit. Utraque Pars aſſeritur à Laym. Lib.5.Trac.4. Cap.4. & Trac.6. Cap. 5. ac Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 12. Quæſt. 1. art.2., ubi plures quoque Doctores congeruntur.

536. Prima Pars oſtenditur. Nemo enim tenetur ad anticipandum actum præceptum, niſi per talem actum Præcepto ipſi ſatisfacere queat: at per Confeſſionem, & Communionem præventas non ſatisfit Præcepto communicandi, & confitendi in Paſchate: nam, etſi menſe Decembri hoc fiat, adhuc tempore determinato Paſchæ, ſi nullum impedimentum adſit, repetendum eſt; ergo Præceptum hoc tali tempore obſtringit, non verò ante; ergo nullum datur onus præveniendi. Præceptum quippe hujuſmodi ad tempus Paſchale nequaquam reſtringitur, ſed etiam, eo elapſo, impleri poteſt uſque ad annum completum: ſicuti non teneor Divini Officii recitationem prævenire, tametſi uſque ad meridiem recitare non poſſim, eo quia id fieri poteſt poſt meridiem uſque ad mediam noctem incluſivè.

537. Secunda quoque Pars evincitur ex hoc,

hoc, quod Præceptum de confitendo, & communicando Divinum eſt, ex Doct. Subtil. 4. Diſt. 17. Quæſt. unic., quem alii quoque Doctores ſequuntur: quoad tempus verò Eccleſiaſticum, ex Later. IV. Cap. *Utriuſque ſexus*, itaut nedum obliget in Paſchate, ſed ſemel in anno; adeoque ſimul affirmativum, & negativum eſt: affirmativum quidem, quatenus in Paſchate Confeſſionem, & Communionem præſcribit: negativum verò, quatenus in anno prohibet ejuſdem omiſſionem; ergo qui omiſit in Paſchate, tenetur tempore ſubſequenti uſque ad annum, ſicut onus reſtituendi rem alienam ſemper durat quouſque reſtituatur: res quippe aliena numquam retineri poteſt.

538. Ex quo ſequitur, omittentem communicare, atque confiteri in Paſchate uſque ad annum completum incidere in Cenſuras: nam revera Præceptum Eccleſiaſticum de confitendo, & communicando ſemel in anno tranſgreditur: quamvis enim tempore Paſchæ fuerit impeditus, non tollit pœnam, cum tempore ſubſequenti potuerit, & debuerit implere Præceptum.

539. Obji. contra primam Partem. Tumquia prævidens ſe non poſſe reſtituere tempore ſtatuto, nec præveniens, peccat. Tumquia prævidens in mane, ſe non poſſe Sacrum audire, peccat non præveniens Sacrum audiendo; ergo etiam peccat, prævidens ſe non poſſe confiteri, & communicare in Paſchate, & non præveniens.

540. Reſp. Præceptum de reſtituendo eſſe negativum, ſcilicet de non retinenda re aliena: Præceptum verò de confitendo, & communicando in Paſchate affirmativum eſt; & propterea non opus eſt præveniri.

541. Obji. contrà ſecundam Partem. Tumquia Præceptum communicandi, & confitendi in Paſchate merè Eccleſiaſticum eſt. Tumquia non audiens Sacrum, aut Horas Canonicas perſolvens, aut jejunans Die præſcripto non tenetur alia die eadem præſtare; ergo etiam qui non confitetur, aut communicat in Paſchate, non tenetur id facere tempore ſubſequenti.

542. Reſp. Quantum ad primum, communicare, & confiteri in Paſchate eſſe quoad ſubſtantiam Divinum, quoad tempus Eccleſiaſticum reſtrictum quidem ad Paſcha, ut non fiat vicibus paucioribus: at extenſum quoad tempus ad annum integrum: quocirca virtualiter negativum eſt, non purè affirmativum. Ad id verò, quod ſubditur, neg. Conſeq. Nam jejunium, & Sacri auditio cum merè humana ſint præcepta, & conditionem talis Diei præciſe reſpiciant, ultra illud tempus determinatum minimè extenduntur: Præceptum verò de confitendo, & communicando in Paſchate nec merè humanum eſt, nec tempus illud reſpicit præciſe determinatum, niſi quantum ad hoc, ut Communio, & Confeſſio paucioribus vicibus non fiat: & hoc colligimus, quia in Primitiva Eccleſia pluribus in anno vicibus obſtringebat, ut patet de Confec. Diſt. 2. Cap. *Omnis Homo*, Cap. *Sæculares* ibidem.

QUÆ-

QUÆSTIO XXIV.

An Chriſtifidelis inter Hæreticos, aut Ethnicos degens, ut liberius vivat, negligens à Miſſionariis myſteria addiſcere, ac incidens proinde in varias Hæreſes exteriùs offenſus, poſſit à Miſſionario Summi Pontificis Facultatibus non adhuc munito abſolvi?

543. RESP. Negativè. Ita Bordon. in ſuo Tribunal. Sac. Inquiſit. Cap. 9. Quæſt.6. plures alios adducens, & Brancat. noſt. Diſp. 14. de Fide art. 1.

544. Ratio autem eſt. Quia ignorantia culpabilis præcipuè craſſa, & affectata, quæ apparet in Caſu, à cæteris peccatis minimè excuſat, ex S. Thom. 1. 2. Quæſt.76. art.4. Subtil. Doct. 4. Diſt. 6. Quæſt. 1. & cæteris Theologis; ergo neque excuſat à peccato Hæreſis; ergo cum ignorantia Catholici, de quo loquimur, fuerit craſſa, & affectata, eum ab Hæreſi non excuſat.

545. Nec defuit æquivalenter pertinacia. Nam ignorantia craſſa, & affectata æquivalet ſcientiæ, & dolum continet, argumento 21. de Conſtit. in 6. Cap., ac conſultatione de offic. Deleg.,& propterea minimè à Cenſuris excuſat; ergo adfuit æquivalenter pertinacia; ergo etiam Hæreſis.

546. Deinde ignorantia culpabilis minimè craſſa, & affectata ab Infidelitate minimè excuſat, ex S.Thom.2.2. Quęſt.10.art.1.;ergo neque ab Hæreſi, quæ eſt partialis Infidelitas.

547. Tertiò Eccleſia Hæreticos reduces etiam in Hæreſi natos, nedum errores, quibus adhærebant, Eccleſiæ Catholicæ definitionibus

adverſantes ejurare mandat, ſed & abſolvit ab Hæreſi, pœniſque omnibus, ac Cenſuris, in quas ob eam inciderunt; ergo ſupponit ignorantiam hujuſmodi ab Hæreſi non excuſare, neque à Cenſuris adverſus illam fulminatis; igitur neque à ſimplici Miſſionario, non adhuc Facultatibus inſtructo, Pœnitens hujuſmodi poteſt abſolvi, niſi indirectè, neceſſitate compellente.

548. Obji. in hujuſmodi Pœnitente non adeſt pertinacia, quæ Hæreſi eſſentialis eſt, 24. Quæſt. 3. Cap. *Dixit Apoſtolus*: non enim ideo inſtrui neglexit, quia Eccleſiam contemneret, ſed ut liberiùs viveret, paratus aliundè corrigi.

549. Reſp. Æquivalenter pertinaciam adſtitiſſe, nolens voluntarie ſcientiam adipiſci, qua Hæreſis vitaretur: qui enim media contemnit, ipſummet contemnit finem. Dicere autem, eum paratum eſſe corrigi, ſi moneatur, ridiculum eſt: ſicuti enim, ut liberiùs viveret, ſcire neceſſaria contempſit, ita ob eumdem finem ipſamet Eccleſia ab eo contemneretur. Nec profectò Hæretici omnes ex odio Eccleſiæ deſertores facti ſunt, ſed pluries ut ambitioni, aut voluptatibus carnis indulgerent, vel ob alios fines terrenos.

550. Obji. II. Cenſuræ, ob quas nequit Hæreticus abſolvi, niſi à Romano Pontifice, non incurruntur, ſi craſſa, aut ſupina ignorantia præceſſerit, uti plures ſentiunt apud Layman Lib. I. Cap. 6. Trac. 5. Cap. 6. Contumacia quippe deeſt; ergo ſicuti hujuſmodi Cenſuræ minimè ab eo, de quo loquimur, incurruntur, ita poteſt à quocumque abſolvi, etiam ſimplici Miſſionario.

551. Reſp. Maj. eſſe falſam. Hæreſis quip-

pe

pe exteriùs oſtenſa, non ratione tantum Cenſuræ, ſed ob ſui enormitatem eſt ſupremo Præſuli reſervata. Hinc ab ipſiſmet Eccleſiæ primordiis eam ſemper majores Prælati ſibi reſervarunt, utpote leſæ majeſtatis crimen, apud Menoch. Conſil. 149.; uti videmus quoque in prophana Politia contingere, defectionem à Principe ejuſdem judicio reſervante. Cæterum etſi plerique apud Bonac. de Cenſur. Diſp. 1. Quæſt. 2. Punc. 7. Propoſ. 3. opinentur, Cenſuras ob ignorantiam purè vincibilem minimè incurri, ſupinam tamen, & affectatam putant minimè excuſare, ſcientiæ, doloque æquivalentem, Cap. *Cum inhibitio* 3. de Clandeſt. De Sponſal. Cap. *Eos* de Tem. ordinat. in 6.: nos autem ſumus in caſu ignorantiæ ſupinæ, & affectatæ non purè vincibilis.

552. Quæres, an in veram, & propriam Hæreſim incidens exteriùs ſignificatam, ignorans Cenſuras adverſus eamdem latas, optimè tamen ſciens doctrinam, quam profitetur, ab Eccleſia veluti hæreticam reprobari, poſſit à quocumque Confeſſario ſimplici abſolvi.

553. Reſp. non poſſe; incurrit quippe Cenſuras etiam quas ignorat. Cum enim Eccleſiam ipſam contemnat, cujus judicio ſubjici renuit, verè ſit Hæreticus, & Cenſuras ipſas contemneret, ſi eas noſſet, ſicut ipſammet Eccleſiam deſpicit; quod non contingit in eo, qui crimen aliquod ignorat ſub Cenſuris vetitum; nam ipſe crimen committens, Eccleſiam ipſam non contemnit; adeoque neque Cenſuras incurrit, juxta Bonac. de Cenſur. Diſp. 1. Quæſt. 2. Punc. 1. Propoſ. 3.

QUÆ

QUÆSTIO XXV.

An Catholicus incidens in Hæreſes, nec à Miſſionariis correctus reſipiſcens, ſi tandem pœniteat, abſolvi poſſit?

554. RESp. In rebus de Fide ab Eccleſia definitis errantem, ac reſipiſcere nolentem à Miſſionariis admonitum abſolvi non poſſe: errantem verò in rebus non adhuc definitis, ſi doctus ſit, poſſe abſolvi, non tamen indoctus.

555. Prima Pars, quam tradit Bordon. in ſuo Tribunal. San. Inquiſit. Cap. 9. Quæſt. 9. perſpicua eſt. Nam nolens audire Miſſionarios Apoſtolicos definita ab Eccleſia proponentes ipſimet Eccleſiæ proponenti obtemperare recuſat, objecta revelata proponenti per Miſſionarios ſuos: nolens autem obtemperare Eccleſiæ indignus eſt Abſolutione, cum Hæreticus cenſeatur, Diſt. 93. Cap. *Qui Cathedram*; ergo monitus à Miſſionariis, opiniones aliquas Eccleſiæ Decretis adverſari, & emendari renuens, Sacramentali Abſolutione indignus eſt; hæreticum quidem animum prodit.

556. Neque dicatur, Miſſionarios in proponendo errare poſſe: infringitur enim. Nam Paſtoribus, ac Doctoribus, utpote publicis Fidei Magiſtris, credendum eſt, donec conſtet, ab eis falſa doceri, cum præſumptio pro ipſis militet. Hinc nolentes Epiſcopis, ac Parochis Dei Verbum, ac Fidei myſteria proponentibus aures præbere, veluti Hæretici habentur, cum priores locum Apoſtolorum Chriſti teneant, ex Lateran. V. Conſtit. XI. *Dum intra*; Parochi verò Diſcipulorum, ex Clem. I.; etiamſi

ſigil-

ſigillatim ſint fallibiles: Miſsionarii autem Apoſtolici in Locis Miſsionum Paſtores ſunt, atque Doctores à Sancta Sede Apoſtolica pro Populis erudiendis deputati; ergo, ipſis aſſerentibus, rem aliquam eſſe de Fide definitam, eis credendum eſt, donec conſtet de oppoſito; ergo renuentes credere, indigni ſunt Abſolutione; alioquin pauci darentur Hæretici, cum pauci deciſionibus Eccleſiæ immediatè interſint.

557. Secunda Pars, quam tenent Valen. Tom.3. Diſt. 1. Quæſt.1. Part. 1. §. 4. Sanchez lib.2. Oper. Moral.cap.7. Sayrus lib.2. de Cenſ. cap. 4., oſtenditur. Nam quæ reflexè non fuere adhuc ab Eccleſia definita, non ſunt neceſſarium Fidei objectum, cum uti talia ab Eccleſia credenda minimè proponantur, quarum teſtes ſunt innumera Theologorum diſsidia; ergo ſi Vir aliquis doctus inter Ethnicos, aut Hæreticos degens opinionem aliquam à Miſsionariis Apoſtolicis veluti de Fide propoſitam, non tamen ab Eccleſia hactenus definitam nolit admittere, neque hæreticus, neque Abſolutione indignus cenſendus eſt, dummodò Eccleſiæ judicio ſe ſubjiciat, quod veluti infallibile expectat.

558. Tertia denique Pars evincitur. Nam rudes, & imperiti audire debent ſub pœna peccati lethalis Epiſcopos, & Parochos, eorumque in ipſis erudiendis vicem gerentes, quales ſunt Apoſtolici Miſsionarii; ergo etſi doctrina ab ipſis propoſita non ſit de Fide reflexè, ſi amplecti nolint, ut refractarii à Sacramentis ſunt repellendi, pluſquam oportet ſapere volentes.

559. Obji. Miſsionarii Privilegio infallibilitatis nequaquam gaudent, ſed ſola Eccleſia, à qua mittuntur; ergo, quomodocumque objecta Fi-

QUÆSTIO XXVI.

An Latinus Catholicus juxta morem Orientalium Schiſmaticorum ſe permittens rebaptizari, poſſit pœnitens à Miſſionario non adbuc Facultatibus inſtructo abſolvi?

561. RESp. ſi deſit error ex parte intellectus, & prava diſpoſitio ex parte voluntatis Rebaptizati, poſſe à quocumque abſolvi; ſecus verò minimè.

562. Prima Pars patet. Nam tunc permittens ſe baptizari ſecunda vice externam ſolummodò profitetur Hæreſim Græcorum, non autem aſſenſu interno: ab Hæreſi verò purè externa, cum vera non ſit Hæreſis in Foro interno, quiſquis Sacerdos poteſt abſolvere, cum cenſuras nequaquam incurrat, apud Laym., etſi in Foro externo Hæreticus præſumeretur; ergo poteſt quoque à ſimplici Miſſionario abſolvi, non adhuc conſuetis Facultatibus munito.

563. Secunda quoque Pars elucet. Nam in tali caſu verè, qui ſe baptizari denuo permitteret cum errore intellectus, & pravo affectu voluntatis, Hæreticus eſſet, cum cenſeret, Baptiſmum à Catholico Sacerdote collatum non eſſe legitimum; ergo, ſicut Cenſuras incurreret, ita non poſſet ablui, neque in Foro interno à Miſſionario facultatibus conſuetis carente. Non tamen Apoſtata dici poteſt: ut enim optimè Bordon. Tribunal. S. Inquiſit. cap. 8. Quæſt. 7. qui facit ſe rebaptizare, aut permittit, oſtendit, verum Baptiſmum Eccleſiæ Sacramentum, & quidem ad ſalutem neceſſarium à ſe exiſtimari, etſi erret, Catholicorum Baptiſma reſpuendo.

564. Obje-

ſequantur, timeri poteſt, ân velint ipſis gravi adeo periculo laborantibus validè beneficium Abſolutionis Sacramentalis impendere, ut in æternum pereant; ergo meliùs eſt in tali caſu actu Contritionis ex amore profectæ ad Deum confugere, Eccleſiæque Præcepta ſervare, quam ſalutem propriam in manu Chriſti inimicorum collocare.

567. Obji. In mortis periculo medium tutiſſimum eſſe eligendum ſalutis æternæ, quod eſt Pœnitentiæ Sacramentum; ergo ſuſcipi debet ex Charitate erga ſeipſum etiam à Miniſtris præciſis.

568. Reſp. Confeſſionem factam Hæreticis, aut Schiſmaticis non eſſe medium tutiſſimum, cùm non ſint Miniſtri idonei, & congrui; hoſtes quippe ſunt Chriſti, & Eccleſiæ; actus verò Contritionis in articulo mortis non eſt impoſſibilis, cum ſub Præcepto cadat, juxta communiorem Theologorum ſententiam, nec eſt omnino certum à Tridentino indulgeri, à quo tollitur quidem reſervatio, ſed reſpectu eorum qui aliunde legitimi erant Sacerdotes, & Miniſtri Pœnitentiæ, quales profectò non ſunt Hæretici, Schiſmatici, aut Excommunicati nominatim denunciati.

CAPUT V.

De Ordinis Sacramento.

569. PAuca de Sacramento Ordinis ſunt quærenda, cum dubia præcipua Illuſtriſſimos Præſules reſpiciant, quos docere non præſumimus, ſed venerari profitemur. Nonnulla tamen attingimus uſui Miſſionariorum magis opportuna.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Orientales ſola manuum impoſitione Diaconatum, & Presbyteratum accipientes, denuo more Latino debeant ordinari?

570. **R**Eſp. Negativè. Ratio eſt. Quia tutiſsima eſt illa Ordinatio. Tum qui a Divina Scriptura Ordinationis Presbyterorum, & Diaconorum ſermonem faciens impoſitionem manuum ſolummodò commemorat. 1. ad Timoth. 4. 14., 2. ad Timoth. 1. 6. Act. 6. 7. & 13. 3., ex quibus locis oſtendunt Catholici, Sacram Ordinationem eſſe verum Sacramentum, adverſus Occidentales Sectarios eam proterve denegantes; ergo ſufficienter ab Eccleſia Orientali per manuum impoſitionem Diaconorum, & Presbyterorum fit Ordinatio.

571. Idipſum pro Græcis ſentit Eccleſia ex Cap. *Presbyter*, de Sacram. non iterandis; ubi habetur: *Presbyter, & Diaconus cum ordinantur tactu corporali manus impoſitionem, Ritu ab Apoſtolis introducto, accipiant*: Ex Chartag. IV. cap. 3. *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, omnes Presbyteri præſentes manus ſuas juxta manus Epiſcopi ſuper caput illius tenent &c.* Triden. ſeſs. 14. cap. 3. ubi loquens de Sac. Unction. Miniſtro, ait: *Talem Miniſtrum eſſe Epiſcopum, vel Sacerdotem ab ipſo ordinatum per impoſitionem manuum Presbyterii*. Denique Clem VIII. in Bul. pro Oriental. edit. §. 4. jubet, Ordinatos à Schiſmaticis, cum ad Eccleſiam redeunt, reconciliari quidem, non tamen denuo ordinari; ergo Eccleſia cenſet hujuſmodi Ordinationes eſſe validas; adeoque non repetendas.

572. Et

572. Et ratio eſt. Quia ad validitatem Sacramenti ſufficit ſignum ſenſibile à Chriſto Domino inſtitutum in genere, & ab Eccleſia præſcriptum, aut permiſſum in ſpecie, effectum, & gradum, qui cònferuntur, repræſentans, ut optimè Hiquæus noſt. Commen. ſuper 4. Scoti Diſt. 29. Quæſt.Unic. at impoſitio manuum eſt ſignum ſenſibile cum Forma correſpondenti, nempe: *Divina Gratia, quæ ſemper infirma curat, & quæ deſunt, ſupplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum &c.* Ex Græcor. Euchol. apud Aruid. lib.6. cap.3. ab Eccleſia pro Orientalibus aſsignatum; ergo, quoniam Epiſcopi Orientales præfata verba proferunt, dum manum imponunt, abſque immediatè Inſtrumentorum porrectione, dicendum eſt, ea manuum impoſitione validè Ordinationem confici. Quem Ritum Eccleſia Romana neque in Lugdunenſi II., neque in Florentino, ubi res Græcorum exactè diſcuſſæ ſunt, reprehendit.

573. Obji. Tumquia Concilium Florentinum, à quo res Græcorum fuere diſcuſſæ, aſſignat pro materia Ordinationis Diaconi, & Presbyteri, non ſolummodò manuum impoſitionem, ſed etiam Inſtrumentorum porrectionem, & tactum indifferenter pro omnibus, cum in univerſali loquatur. Tumquia debet dari aliqua proportio intra materiam Sacramenti, & ejus effectum: hinc pro diverſis Sacramentis diverſæ ſunt aſſignatæ materiæ: impoſitio autem manuum eadem eſt pro Diaconatu, & Presbyteratu. Tumquia in Sacramentis conferendis debemus ſequi opinionem magis tutam: at tutior eſt ſententia tenens requiri, præter manuum impoſitionem, etiam Inſtrumentorum porrectionem, & tactum, cum hanc ſequatur Eccle-

Eccleſia Romànâ omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra; ergo non poteſt ſuſtineri ut valida Ordinatio Græcorum per ſolam manuum impoſitionem, abſque porrectione Inſtrumentorum confecta.

574. Reſp. Ad Primum: Deciſiones Florentinæ Synodi extendi quidem ad Eccleſiam Univerſalem, ſed exceptis Græcis; quos vult in ſuo Ritu permanere, uti Pontifices toties declararunt, & praxi ipſa confirmant etiam Romæ, ubi ab Epiſcopo Græco juxta mores Eccleſiæ ſuæ Ordines conferuntur. Vel dicendum etiam apud Græcos porrigi Inſtrumenta, non quidem immediatè, ſed mediatè, quatenus in Altari, in quo fit Ordinatio, exhibentur, & ab Epiſcopo oſtenduntur, quo pacto dici poſſunt porrigi, & tangi, ſicut dicitur à donante equum: *Accipe hunc equum*, etiamſi phyſicè non accipiatur. Hunc modum explicandi porrectionem Inſtrumentorum probabilem cenſent Cajetanus, Victoria, Sotus, Ledeſma, & Alii, quos refert Sanchez Lib.7. Oper. Moral. cap.1. Dub.2., etſi fatcar hunc modum tangendi apud Latinos non eſſe ſatis tutum.

575. Ad Secundum dico, impoſitionem manuum, quæ fit in Diaconatu conferendo, eſſe diverſam ab illa, qua Sacerdotium confertur; prior enim refertur ad Inſtrumenta diverſa in Altari exiſtentia, quam altera referatur, & à Forma, quæ profertur, dum imponuntur manus, ad hunc, & non alterum effectum determinatur. Nec eſt novum, determinari idem ſignum ad plura ſignificanda per verba Formæ, cum videamus, aquam ex ſe indifferentem in Baptiſmo ſignificare purgationem Animæ, in aliis ablutionibus corporis purgationem.

576. Ad Tertium dico, modum ordinandi Græ-

Græcorum eſſe tutiſſimum pro Græcis; etſi non pro Latinis; pro prioribus enim Eccleſia impoſitionem manuum præſcripſit, cum oſtenſione Inſtrumentorum in Altari exiſtentium: pro Latinis autem ipſorum tactum immediatum, & immediatam porrectionem.

QUÆSTIO II.

An pueri apud Orientales Sacris Ordinibus initiati pubertatem ingreſſi ad Horas Canonicas recitandas teneantur?

577. RESp. Pueros, qui cum adoleverint, Beneficia, Præbendaſque retinere malunt, aut velint in ſtatu Clericali permanere, ad penſum Horarum Canonicarum teneri; ſecùs, minimè.

578. Prima Pars, quam tenet cum cæteris Layman lib.4. Theol. Moral. Trac.2. cap.4. & Maſt. noſt. Diſp. 14. Quæſt. 2. art.4. ejuſdem, oſtenditur. Nam de Reg. Jur. in 6. *Qui ſentit commodum, & incommodum ſentire debet*: at unum ex incommodis Beneficii Eccleſiaſtici, aut Præbendæ cenſetur Horarum Canonicarum recitatio; propter Officium enim datur Beneficium, ex Lateran.V. ſeſs.9.; ergo ſi retinere volunt Beneficia, tenentur quoque ad Horarum recitationem.

579. Secunda Pars, quam cum aliis docet Sanchez de Matrim. lib.7. Diſp.37. oſtenditur. Nam qui vult principale, vult etiam acceſſorium, quod *ſequitur ſuum principale*, de Reg. Jur. in 6.Reg.55.: hoc autem onus ex voluntate Eccleſiæ ad Ordinem Sacrum eſt acceſſorium; ergo qui vult permanere in Sacro Ordine ignoran-

ranter accepto, vult quoque annexum, nempè Divini Officii recitationem, approbat enim ſcienter, quod ignoranter ſuſcepit: *Ratihabitio autem æquivalet mandato*, de Reg. Jur. in 6.; ergo ſi Pueri illi attingentes congruam ętatem approbant Ordinis Sacri receptionem, ſe quoque oneri annexo Divini Officii recitandi ſubſcribunt.

580. Conf. Qui per vim, & metum compellitur ad Sac. Ordines recipiendos, ſi ratihabet facto, & approbat verbo, aut facto, exercendo nimirum actionem aliquam Ordinis recepti, tenetur ad continentiam, ex Sanchez lib. 7. de Matrim. Diſp. 19. num. 6.; ergo etiam qui ignoranter illos recipit, & approbat ſciens, tenetur ad Divini Officii recitationem: magis enim involuntariè recipit per vim compulſus, quam ignorans; ergo ſi coactus, & nihilominus poſtea ratihabens, & approbans collationem Ordinis Sacri, tenetur obſervare Leges annexas, tenebitur quoque ille, qui ſuſcepit ignoranter, & poſtea approbavit, ſervare, Divinum Officium recitando.

581. Tertia quoque Pars ſuadetur. Nam continentia Sacri Ordini æquè annexa eſt ſicut onus Divini Officii recitandi, ſaltem apud Latinos: atqui recipiens ignoranter Sacrum Ordinem, nec volens in eo perſiſtere, ſed potius ipſi reluctans, nedum ad continentiam minimè tenetur, ſed Uxorem poteſt ducere, ex Doct. Subtil. 4. Diſt. 37. Quæſt. Unic. & communiter Theologi tradunt apud Bonac. de Imped. Matrim. Quæſt. 3. Punc. 9. Propoſ. 2.; ergo neque tenetur ad Divini Officii recitationem; quæ quidem eſt onus valdè grave, ſicut continentia à Mulieribus, ut optimè notat Navar. cap. 22. Sacram., & ſicut Ordini jam accepto minimè

con-

conſentiens, ſed potius repellens, & vitam, ducens ſæcularem nullo fruitur Privilegio Clericali, ex communi apud Sanchez lib.7. de Matrim. Diſp.29., ita nec tenetur ſolvere penſum Divini Officii, cum ex Sacro Ordine nullum ipſe commodum referat.

582. Objecta contra primam, & ſecundam Partem, ſi quæ fieri poſſunt, nempe incongruè Pueros obſtringi ad Leges poſitivas humanas, qualis eſt recitatio Horarum Canonicarum ob Sacros Ordines, quos in pueritia, & infantia ignorantes receperunt, jam præventa ſunt in probatione Concluſionis: dictum eſt enim ad eas, non teneri, niſi cum adoleverint, & compotes rationis fuerint effecti, ſponte in ſtatu illo manere ſtatuerint, in quo ratione Ordinis ſuſcepti fuere collocati; tùnc enim onus illud fit voluntarium, cum voluntariè Beneficia, vel ſtatum Clericalem retineant, non quidem quoad Ordines ſuſceptos, ſed quoad eorum executionem;

583. Quod verò adverſus tertiam Partem opponitur, Baptizatos in infantia tametſi cum adoleverint, Baptiſmum minimè approbent, imò ab Eccleſia reſiliant, adhuc ejuſdem obſtringi Decretis, & Legibus, ex Triden. ſeſs.7. c.14.; ergo tenentur quoque ad penſi Eccleſiaſtici recitationem, licet Ordinem Sacrum, cum quo connectitur reſpuant, nec velint in ſtatu Clericali perſiſtere; facile reponitur: ne. conſeq. Nam ſuſceptio Baptiſmi ad ſalutem æternam conſequendam eſt ſimpliciter neceſſaria, cujus voluntas, ſicut in unoquoque ſupponitur, ita ſupponitur quoque Baptiſmi ſuſcipiendi, & propterea cum adoleverint Pueri baptizati ad Leges quoque Eccleſiaſticas obſervandas compelluntur: ſtatus verò Clericalis, cum quo ex

Decreto Eccleſiæ Caſtimonia eſt connexa, non eſt ad vitam æternam aſſequendam ſimpliciter neceſſarius, ſed ſolummodò gradum dicit eminentiorem; ergo ſicut non datur obligatio illum aſſumendi, ita non ſupponitur ejus voluntas; adeoque tametſi conferatur validè in pueritia, non tamen ejus obligatio quoad executionem, nempe onus Divini Officii recitandi, contrahitur, niſi ratificetur, & firmetur voluntas in ſtatu Clericali permanendi.

QUÆSTIO III.

An Clericus Latinus poſſit Ordines ab Antiſtite Græco accipere?

584. RESP. Non poſſe citrà diſpenſationem.

585. Prima Pars patet. Nam ſi de validitate loquamur, illa valde anceps eſt, & ambigua: Eccleſia enim, etſi reliquerit Græcos in ſua vetuſta conſuetudine Sacros Ordines Diaconatus, & Presbyteratus per manuum impoſitionem, conferendi, pro Latinis tamen etiam Inſtrumentorum porrectionem, tamquam Sacramenti materiam proximam requirit; ergo aut invalida eſt illa Ordinatio, aut ſaltem valdè dubia; adeoque repetenda, cum ex Decreto Innoc. XI. in dubiis de valore Sacramentorum tutior pars eſt eligenda, & quidem ſi de Baptiſmo, & Presbyteratu fiat ſermo, etiam ſecundum illos, qui in aliis materiis opinionem minus tutam, minuſque probabilem ſequi poſſe contendebant.

586. Si verò de illicita collatione ſit ſermo, hæc perſpicuè conſtat Cap. *Cum ſecundum*, extra de temp. Ordinat. ubi Cœleſtinus III. ad Archiepiſ. Hidrun. ſcribens, vetat omninò mu-

tuas

tuas Ordinationes à Græcis, & Latinis fieri. Idipſum habetur in Conſtit. Leonis X., & Clementis VIII., quas ex Leone Allatio exſcribit Morinus Part. 1. de Sac. Ordinat.; ergo omninò illicitum eſt Latinis quærere Ordinationes ſaltem quoad Ordines Sacros à Græcis etiam Orthodoxis. Eccleſia enim Romana vult Ritum Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis eſſe impermixtum, atque à Fidelibus uniuſcujuſque Eccleſiæ adamuſſim ſervari: hinc Clem. VIII. in Bul. ſæpe cit. *Sanctiſſimus*, & Urban. VIII. in Inſtruc. Colleg. Græc. Romæ exiſtentis, de quibus Leo Allatius Opuſc. de ætat. & Interſtit., præſcripſerunt in Alma Urbe Græcum Epiſcopum deputare, qui Græcos juxta eorum Ritum ad Ordines promoveret. Quoad inferiores enim Ordines Græci Epiſcopi tenentur ipſos conferre more Latino, ablata ipſis facultate eos conferendi juxta propriam conſuetudinem, ex Innoc. IV. Bul. *Sub Catholica* §. 19.

587. Obji. Contra primam Partem. Eccleſia ſupponit, Ordinationes ab Epiſcopis Græcis habitas eſſe validas, cum minimè jubeat iterari, etiamſi Forma quoque, qua utitur Eccleſia Orientalis, ſit ab Occidentali diverſa; ergo, etſi materia, qua utitur Eccleſia Orientalis in Ordinum Sacrorum collatione, nempe impoſitio ſola manuum, ſit diverſa ab Occidentali, porrectionem quoque Inſtrumentorum exigente, adhuc tamen eſt valida, & omnino ſuſtinenda.

588. Reſp. Ab Eccleſia ſupponi quidem validas Ordinationes à Græcis collatas: at reſpectu Græcorum, non tamen Latinorum: idcirco autem approbat Ordinationes Orientalium redeuntium, quia Orientales etiam Hæretici retinent Ritum ſuum: at ſi Latinus ad

Græcos pergeret, ac deinde reverti vellet ad Latinos, profectò ſaltem ſub conditione denuò ordinaretur: nam Græci recipientes more Latino Sacros Ordines recipiunt Ordinationem integram juxta morem ſuum, nempe per manuum impoſitionem, quam Latini non excludunt: Latini autem non accipiunt integram Ordinationem à Græcis, qui Inſtrumentorum porrectionem ſaltem immediatam excludunt. Idcirco autem Ordinatio Græcorum ratione Formæ à Latinis non repellitur, quia eadem eſt ſubſtantialiter cum Latina, quod quidem de materia proxima nequaquam dici poteſt.

589. Obji. adverſus ſecundam Partem. Cetera Sacramenta poſſunt Catholici Latini ſumere à Græco Sacerdote Catholico; ergo etiam Sacros Ordines. Falſa tamen eſt Conſeq. Nam neceſſitas poteſt compellere, cum cætera Sacramenta ſint aliquo pacto, ſaltem ſecundum quid, neceſſaria: at Ordinum Sacrorum ſuſceptio non eſt ſingulis hominibus neceſſaria; & propterea, niſi in caſu ſpecialiſſimo, minimè licitum eſt Latinis ſuſcipere ab Epiſcopo Græco Sacros Ordines more Græco, non Latino.

590. Quæres I. An ab Epiſcopo Græco Catholico volente Ordines conferre more Latino, liceat Clerico Latino eos ſuſcipere?

591. Reſp. cum Pignatel. Tom. 5. Conſul. 41. non poſſe. Sicut enim Latinis Epiſcopis vetitum eſt Ordines conferre Ritu Græco, ita Græcis more Latino, ex Cap. *Quoniam*, de Offic. Judic. Ordin.: ſic autem Ordinatos eſſe ipſo jure ſuſpenſos, aſſerit Majolus Lib. 3. Cap. 22. apud præfatum Pignatel. Tom. 3. Conſul. 60. Si tamen unicus adeſſet Epiſcopus Græcis, & Latinis Paſtor aſſignatus, magna vero urgeret neceſſitas Sacerdotum, & Miniſtrorum,

non

non auderem id condemnarè, cum tunc non adeſſet Epiſcopus Græcus, Græcis Prępoſitus, uti fieri jubet Lateran. IV. Cap. 9.

592. Quæres II. Utrum Clericus Græcus habens Epiſcopum Schiſmaticum poſſit ad Latinum, ut promoveatur, accedere?

593. Reſp. Poſſe. Nam Præceptum vitandi Schiſmaticos fortiùs urget, quam illud de Ordinibus à Præſule Græco ſuſcipiendis; cum ergo non teneatur manere ſemper in Ordine suſcepto, ut initietur, ad Latinum Epiſcopum accedere poteſt Ordines accipiendo more Latino, dummodò exerceat eos Ritu Græco.

594. Quæres III. Utrum Orientales, qui ab Antiſtite Schiſmatico Ordines ſuſceperunt, & diſpenſationem à Sede Apoſtolica obtinuerunt, poſſint Ordines exercere more Latino?

595. Reſp. Negative. Sedes enim Apoſtolica irregularitatem, & alias inhabilitates tollendo, Clericum nequaquam ab uno ad alium Gradum tranſtulit, ſed ſolummodo ſuſtulit impedimenta.

596. Quæres IV. Utrum Clerici Græci, qui minores Ordines ſolummodo ſuſceperunt, poſſint ad Sacros promoveri Ritu Latino?

597. Reſp. Poſſe per diſpenſationem Apoſtolicam, dummodo tamen quatuor Ordines minores ſuſceperint.

598. Ratio primæ Partis eſt: Quia ſicut poſſunt Græci tranſire a Ritu Græco ad Latinum, ita, licet fuerint à Græco Epiſcopo in Minoribus ordinati, poſſunt in Majoribus ordinari à Latino. Requiritur tamen Apoſtolica diſpenſatio, eoquia Sacri Canones vetant Gręcos ordinari more Latino.

599. Ratio ſecundæ Partis eſt: Quia Græci omnes quatuor Minores non videntur ad-

mittere, ſed ſolummodo Lectoratum primæ Tonſuræ annexum, ex Arcuid. Lib. 6. Cap. 9. cum ergo apud Latinos Ordines majores quatuor Minores præſupponant, ut Græco Majores conſerantur, Minores priùs ſunt tribuendi more Latino, vel ſuppleri, qui nequaquam collati ſunt; quidquid ſit, an mos ille Græcorum ſuſtineri debeat, nec ne? De quo videndus eſt Fraſſen noſt. Tom. 4. Scoti Academ. Trac. 3. Diſp. 1. art. 1. Quæſt. 4. ubi rem eruditiſſimè verſat.

QUÆSTIO IV.

An Clericus Subdiaconus Orientalis, mortua prima Uxore, poſſit aliam ſumere, & nihilominus aſcendere ad Ordines Superiores?

600. RESp. ſecundum Matrimonium Subdiaconi Græci eſſe invalidum. Si verò ad ipſos promoveatur, validam quidem eſſe Ordinationem, ſed eum eſſe ſuſpenſum, donec ab ea ſeparetur.

601. Prima Pars patet. Nam Eccleſia irritat omne Conjugium poſt unumquemque ex Sacris Ordinibus contractum, etiam apud Græcos; ergo Conjugium illud nedum illicitum, ſed invalidum eſt. Conſeq. patet. Nam etiam apud Græcos Subdiaconatus, ſub Hipodiaconatus nomine, inter Sacros Ordines computatur. An. autem conſtat ex pluribus Conciliis, ut apud Latinos ex Elibertino, Arelatenſi II. Chartaginenſi II. Toletano III. Wormat. Lateran. II. Cabilonenſi I. Triden. ſeſſ. 24. Can. 9. ubi in terminis rem decidit: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares Caſtitatem ſolemniter pro-*

feſſos,

ſeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante Lege Eccleſiaſtica, vel Voti: anathema ſit. Quantum verò ad Græcos occurrit Trullenſe, ſeu Quini-ſextum in ſumma apud eos veneratione habitum; ac propterea Commentariis à Theodoro Balſamone illuſtratum Can. 6. & 13. ubi in terminis negotium hoc decernitur, his verbis: *Decernimus, ut deinceps nulli penitus Hipodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui Ordinationem Conjugium contrahere liceat. Si autem hoc facere auſus fuerit, deponatur. Si quis autem eorum, qui ad Clerum accedunt, velit Lege Matrimonii Mulieri Conjungi, antequam Hipodiaconus, vel Diaconus, vel Preſbyter ordinetur, hoc faciat*; igitur Concilium illud habilitat ad Matrimonium ſolummodò Ordinibus non Sacris Initiatos juxta Canonem 27. Apoſtolorum ita ſonantem: *Ipſis autem, qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint, Uxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſque tantummodo.*

602. Idipſum aſſerunt præter Latinos, quos magno nume o congerit Coccius Theſ. Cathol. Tom. 2., Hiquæus noſt. in 4. Sentent. Scoti Diſt. 37. Quæſt. unic. & Alii antiquiſſimi ex Orientalibus, ut Athanaſ. Chryſoſt. Cyril. Jeroſolymit. Niſſenus, ſed præ cæteris Epiphan., qui Hæreſ. 59. apertè id teſtatur; & propterea concludit: *At dices mihi: In aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hipodiaconos. At non eſt juxta Canonem, ſed juxta hominum mentem, quæ per tempora elanguit.*

603. Idipſum præſcribunt plures Romani Pontifices, Siricius, Innoc. I. Calixtus I. relat. Diſt. 27. *Presbyteris*. Gregor. Mag. Epiſt. 4.

Lib. 1. Leo Mag. Epiſt. ad Anaſtaſ.; ergo nullo pacto validum eſt ſecundum Matrimonium poſt Ordines ſuſceptos; cui enim negatur procreatio Filiorum, & cum Mulieribus cohabitatio, uti præfata Concilia, & Patres fatentur, negatur & Conjugium ipſum ad procreationem prolis ordinatum: nec Mulieres illæ concubinæ dicerentur, uti Concilia eas appellant, ſi legitimæ eſſent Uxores; ergo Clericus Subdiaconus Orientalis nec ducere aliam poteſt, neque cum ea, ſi duxerit, commiſceri.

604. Secunda Pars eſt evidens. Nam ad validam Ordinationem ſufficit authoritas Conferentis, legitimæ Formæ, & Materiæ juxta conſuetudines uniuſcujuſque Eccleſiæ à Romano Pontifice permiſſas applicatio, & intentio tam Ordinantis, quam Ordinati, ex Floren. in Inſtruc. Armen.: hæc autem omnia habentur, Subdiacono ſecundam Uxorem habente, & nihilominus majores Ordines ſuſcipiente; ergo valida eſſet illa Ordinatio, tametſi illicita.

605. Tertia quoque Pars eſt perſpicua: Nam Bigamus authoritate Ordinem miniſtrandi, & omni Clericorum privilegio privatur, de Bigam, non Ordinan. in 6. Cap. unic. Epiſcopus verò Ordinans authoritate ordinandi, ibidem Cap. *Super eo*; Subdiaconus autem, de quo eſt ſermo, dupliciter bigamus eſt: bigamiâ quidem interpretativâ ob duplex Matrimonium contractum, unum validum, & alterum invalidum, Cap. *Nuper*, de Bigam. Similitudinariâ verò propter Sacrum Ordinem, & Votum Caſtitatis annexum, ex Cap. Final. de Bigam., & Cap. 1. *Qui Clerici*, eod. tit. Tumquia Concubinarius ut talis eſt, ad Sacros Ordines promotus, ſemper manet ſuſpenſus, & Beneficiis privatus, quouſque reſipiſcat, ex

Late-

Lateràn. V. ſeſs. 8. Bul. de Refor. Cur. Cap. 5. Qui verò poſt Sacri Ordinis ſuſceptionem Uxorem ſumit, Concubinarius eſt, etiam in Eccleſia Orientali; ergo Subdiaconus ille Orientalis aliam ducens Uxorem, & nihilominus Ordines ſumens altiores, etſi revera eos ſuſciperet, ab iis tamen ſemper maneret ſuſpenſus, quouſque reſipiſceret.

606. Obji. Contra Primam Partem. Nam primum Matrimonium erat componibile cum omnibus Sacris Ordinibus, ſi prima Mulier non moriatur; ergo etiam ſecundum. Tum quia Synodus Trullenſis Can. 13. ait in genere, Conjugium eſſe licitum in Sacro Ordine conſtitutis; ergo etiam ſecundum, cum illud non excludat; quod videtur ſupponere Stephanus Papa relatus Cap. *Aliter*, ubi ait, apud Orientales Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis Matrimonium concedi; & Chartag. IV. Can. 3. cum Diaconis, & Presbyteris Conjugium vetuiſſet, ſubdit: *Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum uniuſcujuſque Conſuetudinem obſervari debere*; ergo non eſt vetitum Subdiaconis contrahere Matrimonium, mortua prima Uxore, quam ante duxerant.

607. Reſp. ad Primum neg. Conſeq. prius enim Matrimonium idem perſeverans erat componibile cum Sacris Ordinibus poſt eum ſuſceptis, & ejuſdem uſus, non verò ſecundum, quod omnino vetitum eſt; prius enim, eoquia contractum ante Sacros Ordines, impediri non poterat per Ordines ſubſequentes; & ideo uſus conceſſus eſt, ut fragilitati humanæ indulgeretur; & mos Græcorum, qui Rituum ſuorum ſunt tenaciſſimi, antiquiſſimus ſervaretur immunis, ut notat Arcuid. Lib. 4. de Conſen. Ec-

L 2 eleſ.

cleſ. Orien. & Occiden. Cap. 33. ſecundum verò, quoniam poſt ipſum contrahebatur, potuit, & debuit impediri, ut Sacri Ordinis dignitati conſuleretur.

608. Ad ſecundum dico, Trull. Synod. loqui de Conjugio ante Sacri Ordinis ſuſceptionem collato, ut eruitur ex Cap. 3. 6. 13. ubi pœnis gravibus plectuntur Clerici ad ſecundas nuptias tranſeuntes. Eodem modo Stephanus Papa intelligendus eſt, & Synodus Chartagi-nenſis, dum ajunt, fieri hujuſmodi Matrimonium juxta Eccleſiarum conſuetudinem: Orientali autem Eccleſiæ Subdiaconi utuntur quidem Uxore ante Ordinem ſuſcepta, ſicut, & Diaconi, ac Sacerdotes, non tamen, ipſa defuncta, aliam ſumunt.

609. Adverſus ſecundam Partem objicitur. Nam, juxta Canonem Trullenſem 13., non eſt illicitum Diaconis, & Presbyteris uti Uxore ante Diaconatum, & Presbyteratum ſuſcepta; ergo Subdiaconus poſt ſecundum Matrimonium poteſt ad ulteriores Ordines promoveri, alioquin eſſet illicitum Diaconis, & Presbyteris uti Uxore ante Diaconatum ſuſcepta. Tumquia Ancyrana I. Synodus Can. 9. concedit Diaconis Matrimonium, Epiſcopo permittente, ſi reclamaverint, contrahere, & nihilominus in miniſterio manere; ergo multò fortiùs Subdiaconis.

610. Reſp. neg. Conſeq. Synodus enim Trullana non concedit Diaconis Uxorem ſumere poſt ſuſceptum Subdiaconatum, ſed eam, quam ante ipſum ſumpſerunt, retinere, eaque frui: quod quidem Orientalibus tantum conceditur, non Occidentalibus, qui abſtinere quoque debent ab ea, quam ante Subdiaconatum ſumpſerunt.

611. Quan-

611. Quantum verò ad Synodum Ancyranam pertinet, ipſa optimè decidit, eos, qui ordinari compelluntur Ordinibus Sacris metu cadente in conſtantem Virum, Matrimonium poſſe contrahere, cum hoc etiam Latinis concedatur, apud Sanchez Lib. 7. de Matrim. Diſp.29.; vel ſi de iis agat, qui ſponte ad Ordinationem accedunt, nolunt tamen Caſtimoniam ſervare; Epiſcopus quidem eo tempore facultatem tribuebat ſumendi Uxorem ex indulgentia quadam: hæc tamen à Synodo Trullenſi ſublata eſt, & reducta Lex ad terminos antiquos, uti notat Balſamon apud Bail. To.2. Concil. annot. ad Canonem hunc. Quod verò in antiquis Canonibus videatur de Subdiaconis mentio minimè fieri, contigit, quia nonnullis ſæculis de Subdiaconatu, an Sacer eſſet Ordo, minimè adhuc certò conſtabat; cum verò nunc apertè conſtet, idcircò Subdiaconis, multò autem magis Diaconis, & Presbyteris etiam in Eccleſia Orientali Uxorem ducere vetitum eſt, ſed ſolummodo Orientalibus uti ea, quam ante Subdiaconatum duxerant, permiſſum. Legatur Azor. Part. 1. Inſtit. Moral. Lib. 13. Cap. 13.

QUÆSTIO V.

An Converſus ex Ethniciſmo ad Ordines recipi queat, etſi plures ante Baptiſmum Concubinas habuerit?

612. RESp. Poſſe. Ducor. Quia Innoc. III. de Bigam. non ordin. cap. 6. ubi Archiepiſ. Bitur. reſpondet, Presbyterum plures Concubinas habentem, non eſſe Bigamum, nec irregularitatem incurrere, & ſimplicis forni-

cationis eſſe reum; ergo multò minùs erit Bigamus, qui ante Baptiſmum plures habuit Concubinas; igitur citra ullam diſpenſationem poteſt ad Sacros Ordines admitti.

613. Et ratio eſt evidens. Nam ad inducendam Bigamiam requiritur diviſio carnis in plures, non ſolum phyſica, ſed etiam moralis per pluralitatem Conjugii, quo Maritus, & Uxor fiunt una Caro, & ſignificant Conjunctionem Chriſti cum ſua Eccleſia, ad Epheſ. 5. 32. & notat Innoc. III. ad Epiſcop. Meten. ſcribenſ: in caſu autem noſtro nulla Conjugii diviſio habetur, cum Mulieres illæ nequaquam fuerint ipſi legitimo Conjugio copulatæ; ergo ſicuti numquam fuerunt cum ipſo una Caro, ita neque ex illicito concubitu carnem diviſerunt; adeoque earum congreſſu nulla fuit inducta Bigamiæ irregularitas.

614. Obji. etiam per Concubinas carnem dividi, & tolli ſignificationem unionis Chriſti cum ſua Eccleſia; ergo inducitur Bigamia à Sacris Ordinibus avertens, Cap. *Acutiùs*, & Cap. *Una*, Diſt. 26., quam non tollit Baptiſmus non auferens carnis diviſionem. Nec refert, illas pellices non eſſe Matrimonio copulatas: nam Subdiaconus, de quo ſit mentio Cap. 5. de Bigam. non ordin., Viduæ, cui nupſerat, legitimò Matrimonio minimè fuerat copulatus, & tamen, quia caro fuit diviſa, irregularis fuit declaratus; ergo idipſum in caſu dicendum eſt.

615. Reſp. Per Concubinas carnem dividi phyſicè, non moraliter, niſi illæ Concubinæ veræ fuiſſent Uxores, juxta variarum Nationum ſtylum: tunc enim verè caro dividitur; nam illud Matrimonium, etſi reipſa invalidum, in opinione tamen ipſorum legitimum eſt. Falſum

eſt

eſt quoque per Baptiſmum ſubſequens non tolli diviſionem carnis, cum poſt ipſum uni tantum Mulieri poſſit Vir adhærere. Subdiaconus autem ille, quem objectio commemorat, juſtè fuit irregularis declaratus, eoquia, etſi Matrimonium fuerit illegitimum, fictione tamen juris fuit tale, cum affectu maritali Uxori adhæſerit Viduæ alteri ante copulatæ.

616. Si quis autem inquirat, an Infidelis habens rem cum Uxore ſua adultera, vel ſumens in Uxorem eam, quam antea polluerat, Bigamus efficiatur?

617. Reſp. In primo caſu Bigamiam accidere, ex Cap. *Si cujus*, Diſt. 34. eo quia, etſi caro non fuerit diviſa formaliter, fuit tamen, interpretativè, dum effectus fuit unus cum ea, quæ carnem diviſit; ſicuti ob eamdem rationem cenſetur Bigamus, qui ſumit Uxorem ab alio corruptam, Cap. *Præcipimus*, Diſt. 4. In ſecundo autem caſu nulla incurritur Bigamia, eoquia Caro non dividitur, aut formaliter, aut interpretativè, ex Sanchez Lib. 7. de Matrim. Diſp. 84.

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

618. Difficultates Sacramentum hoc tangentes, quatenus ad Miſſionarios Orientales attinet, paucæ ſunt. Quia tamen hujuſmodi Sacra Unctio morientibus magnum affert ſubſidium, nonnullas excutiemus, quæ ad ipſius ſpectant Sacramenti rectam adminiſtrationem.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An poſſit ſuſtineri mos Græcorum, & aliorum Orientalium, qui ſeptem Sacerdotes in hoc miniſtrando Sacramento adhibent?

619. RESP. Poſſe. Ita Pignatel. Tom. 8. Conſul. 85. Ducor autem. Qui Clem. VIII. Bul. *Sanctiſſimus* ſæpè cit. pro Græcor. edit. Inſtruc. apud Cherub. Tom. 3. & Innoc. IV. Bul. 14. *Sub Catholicæ*, apud eumd. Cherub. Tom. 1. cum diverſos de Sacramentis errores corrigant, de hoc puncto nullam faciunt mentionem, cum facillimè potuiſſent, & debuiſſent; ſumus quippe in re graviſſima; ergo cenſuerunt, morem hunc poſſe tolerari, & præſumuntur illum confirmaſſe; examinatus quippe Articulus ſicut alii, habetur pro conceſſo L. *Cum Prætor* ff. *de Judiciis*. L. *Nec non* ff. *ex Quibus* §. *Quid ejus*.

620. Accedit ratio. Nam in hac conſuetudine nihil habetur, quod ſubſtantiæ Sacramenti hujus repugnet. Non quidem Sacerdotum multitudo, cum plures ſimul poſſint eumdem hominem baptizare, ex Doct. Subtil. 4. Diſt. 6. Quæſt. 6., & plures eamdem Hoſtiam conſecrare, ex Innoc. III. de Offic. Miſ., ut in Sacerdotum Ordinatione videmus contingere. Non ſucceſſivitas actuum ungendi, Formamque proferendi: nam ſicut Sacerdos plures ungendo partes ſucceſſivè, Formamque proferendo idem miniſtrat Sacramentum; ita idipſum faciunt plures ſucceſſivè præſtantes. Alius eſſet modus, ut unus Sacerdos ungeret, alius Formam proferret; vel unus Sacerdos unam partem, alter aliam ungeret, Formâ prolatâ: at neu-

neutrum faciunt Græci, ſed omnes ungunt, & Formam proferunt; ergo validè, & licitè conficiunt, ex Eccleſiæ Rom. permiſſione.

621. Opponitur. Nam aut Græci Sacerdotes omnes ungunt ſimul eaſdem, vel diverſas partes, prolatâ eâdem Formâ; vel unus ungit, altero Formam proponente: iſti autem modi ſunt illiciti, & inanes faciendi Sacramentum hoc; ergo non poſſunt. Prob. min. Non quidem primum; nam contra Ritum eſt Eccleſiæ, unum tantummodo pro Sacramentis Miniſtrum adhibentis: non ſecundum; quia Sacramentum iteraretur cum ipſius injuria, & periculo fruſtrationis: non tertium; quia idem Miniſter, qui applicat Materiam, debet quoque Formam proferre, ut in cæteris fit Sacramentis.

622. Reſp. Omnes ſigillatim, & ſucceſſivè partes omnes ungere cum Formæ prolatione, in quo non adeſt periculum fruſtrationis Sacramenti, ſicut non adeſt in Baptiſmo, ſi fiat per tres merſiones, etſi una ſufficiat: hoc enim ex Eccleſiæ pendet Decreto, dummodo ſubſtantia ſervetur. Nec officit repetitio Formæ: nam non eſt per modum enuntiativi, ſed deprecativi; plures autem precatores eſſe poſſunt, non plures enunciatores. Quod unus Sacerdos unam partem ungeret cum Formæ prolatione, alter verò aliam partem cum recitatione Formæ, juxta numerum Sacerdotum, nullam Sacramentum jacturam pateretur, cum unum ſit unitate integritatis, non indiviſibilitatis, juxta Maſt. noſt. Diſp. 6. de Sac. Unc. Quæſt. 7. art. 2. & Formæ verba diverſa ſunt juxta diverſitatem membrorum, & morborum ſpiritualium, quibus medentur.

623. Quæres, An mos Græcorum ſanos Oleo Infirmorum ungentium poſſit ſuſtineri?

624. Reſp.

624. Reſp. Poſſe, cum Græci Sacramentum conferre minimè intendant, ſed ſimplicem Unctionem tribuere, uti in cæteris ſit Sacramentalibus: conficitur quippe hujuſmodi Unctio, Sacramento Pœnitentiæ peracto, uti notat Simeon Theſſal. Lib. de Sep. Sacram., & quoties Sacrum Oleum conſecratur; quare ſicuti Chriſma variis uſibus deſervit, ita quoque Oleum Infirmorum juxta inſinuationem Innoc. I. ad Decen. cap. 2.

QUÆSTIO II.

An Extrema Unctio abſque partium ungendarum immediato tactu, propter Mulierum verecundiam apud nonnullos Orientales miniſtrari queat?

625. RESP. Non poſſe. Habemus hoc deciſum per Theologos Sac. Inquiſit. Rom. 1674. ad Tertium, & Sextum Patris Navarreti.

626. Ratio autem eſt: Quia Ritus conferendi Sacramenta ſervari debent incorrupti, niſi cogat graviſſima neceſſitas: at tactus immediatus aliquarum partium eſt antiquiſſimus Eccleſiæ Ritus ab Apoſtolis, aut ſaltem vetuſtiſſimis Patribus, & Conciliis introductus; nec in caſu apparet graviſſima neceſſitas eos violandi per tactum ſolummodo mediatum, cum non tangantur partes pudendæ, ſed externæ tantum, quarum contactus nullam impudicitiæ ſuſpicionem ingerit; ergo ſicut partes illæ oſteuduntur Medico carnali citra ruborem ullum, ita oſtendendæ ſunt ſpirituali ad Sacram Unctionem recipiendam, & vulnera ſpiritualia ſananda.

627. Obji. Subſtantiam Sacramenti haberi, tametſi

tametſi unctio fiat per Inſtrumentum ; ipſa enim actio Miniſtri non Inſtrumento adſcribitur. Tumquia Baptiſmus, medio Inſtrumento, miniſtrari poteſt, & Euchariſtia porrigi, peſte graſſante; ergo etiam Extrema Unctio ad vitandum ruborem Fœminarum tangi à viris erubeſcentium.

628. Reſp. neg. conſeq. Non enim aſſerimus ideo hujuſmodi modum conferendi Unctionem illicitum eſſe, quia non ſervetur ſubſtantia Sacramenti, ſed quia citra ullam neceſſitatem violatur modus, & Ritus Eccleſiæ illud conferendi. Propterea ruit ſecundum: nam, peſte graſſante, Parvuloque Baptiſmate indigente, graviſſima urget neceſſitas Inſtrumento utendi; non verò, rubore aliquo Fœminas ſuffodiente, partes aliquas à Sacerdotibus tangi merè externas, cum unctio renum, & pedum in Fœminis ob honeſtatem omitti poſſe, doceat Maſt. noſt. Diſp. 22. de Sacrament. Unction. Quæſt. 3. art. 1. Euchariſtia ob eamdem gravem neceſſitatem porrigi per Inſtrumentum poteſt, maximè quia in porrectione Euchariſtiæ non fit, ſed ſupponitur, Unctione autem ipſa hoc, de quo loquimur, fit Sacramentum.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An duæ, vel una tantum pars corporis ungi queat ad validitatem hujus Sacramenti, omnium tamen ſenſuum in Forma nomine expreſſo, neceſſitate urgente?

629. Reſp. Poſſe. Ita Silvius, Becan. Coninch., & Alii recen. & ex noſtris Poncius, atque Hiquæus apud Maſt. noſt. Diſp. 6. Queſt. 3. art. 3. & aſſerit quoque Fraſſen noſt. Scot. Acad. Tom. 4. Trac. 1. Diſp. 3. Quæſt. 2. Concluſ. 2.

630. Ratio eſt. Quia Jacobi 5. 14. unde deſumitur hujus Sacramenti promulgatio, nulla fit mentio in ſpeciali partium ungendarum; ſed ſolummodò dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum Oleo in Nomine Domini*; ergo, ſicuti, quia Matth. ult. 19. dicitur Apoſtolis: *Docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* Nulla de merſionibus facta mentione, optimè deducitur, Baptiſmum una, vel trina merſione fieri poſſe, ſalvâ Sacramenti ſubſtantiâ, ex Gregor. Mag. ad Leand. Hiſpal. Epiſcop., ita licebit quoque Sacramentum Unctionis, ſalvâ ejus ſubſtantiâ, miniſtrare, una, vel pluribus Unctionibus.

631. Secundò Eccleſia cenſet quidem neceſſariam Unctionem partium in genere ad validitatem Sacramenti, non tamen in ſpecie, cum videamus varias Eccleſias apud Latinos diverſimodè ſe gerere. Nam Romana in Fœminis renes non ungit, ex Rit. Pauli V., aliæ ungunt tantum extremitates, ut os, nares, oculos, & aures; aliæ ſcapulas, pectus, & renes; aliæ ut Medi-

Moclinien., & Paſſavien., graſſante peſte, aut morbo contagioſo, unam tantum partem perungunt magis obviam cum una Forma ſenſus omnes comprehendente, ut patet ex eorum Paſtoralibus cap. 9. & 11. ex Decreto Univerſitatis Lovanienſis: Eccleſia autem Orientalis ungit ſolummodo caput, pectus, manus, & pedes, ex Aruid. lib. 5. de Sacram. cap. 7. Ambroſiana verò, & Veneta nullam ſenſuum mentionem faciunt; ergo non omnes Unctiones ſunt neceſſariæ, neceſſitate Sacramenti, vel ſaltem non in omni caſu. Et profectò, quoties membra ſunt amputata, vel corroſa, adhuc Sacramentum validum eſt, partes propinquas ungendo, juxta communem ſententiam; ergo etiamſi una ſolummodo fieret Unctio, non proinde deſineret eſſe Sacramentum; igitur concludendum eſt, graviſſima urgente neceſſitate, poſſe unum, vel alterum membrum tantummodo perungi, cæteris omiſſis, abſque fruſtratione effectus Sacramentalis.

632. Opponitur. A' Florentino in Inſtruc. Armen. ſeptem, vel ſaltem quinque Unctiones pro materia hujus Sacramenti præſcribuntur; ergo ſunt neceſſariæ neceſſitate Sacramenti; adeoque &c. Tumquia tot debent eſſe Unctiones, quot ſunt origines peccatorum, ex Seraph. Doct. 4. Diſt. 25. art. 2. Quæſt. 3., at ſeptem ſunt hujuſmodi fontes in quinque ſenſibus corporis reſidentes; ergo totidem debent eſſe Unctiones. Tumquia in Forma, juxta omnes exprimi debent quinque ſenſus, quibus peccatur; ergo etiam Unctiones pro materia correſpondentes eſſe debent. Tumquia opinio requirens ſeptem, vel quinque Unctiones eſt magis tuta; ergo in materia Sacramentorum ſequenda eſt, juxta Decretum Innocentii XI.; ergo illi-

illicitum eſt unàm tàntum Unctionèm àdhiberē.

633. Reſp. Ad Primum, à Florentino aſſignari quidem ſeptem Unctiones non tamen neceſſarias neceſſitate Sacramenti, quod quidem ex praxi Eccleſiæ videmus eas non ſemper, nec pro omnibus adhibentis. Deinde mala infertur Conſeq. Nam etiam integritas materialis Confeſſionis eſt de jure Divino, & tamen, urgente gravi neceſſitate nequaquam obſtringit; ergo idipſum de integritate omnium Unctionum dicendum eſt.

634. Ad Secundum dico, verum eſſe, regulariter loquendo, & neceſſitate Præcepti, non verò Sacramenti. Quod enim purgandum eſt, latet in Anima, nempe peccatum; quod per quodcumque ſignum à Deo inſtitutum tolli poteſt, etiamſi uni tantum corporis parti applicetur, quod quidem ita fuiſſe factum, de Summa Dei Miſericordia, urgente gravi neceſſitate, præſumendum eſt.

635. Ad Tertium neg. conſeq. Solummodo enim ſequitur hoc, quod nimirum, ſicuti datur Forma, ita ipſi materia correſpondens dari debet, non verò quod quidquid exprimitur in Forma, in Materia poni debeat: alioquin Abſolutio peccatorum ob gravem neceſſitatem, omiſſorum non caderet ſuper ſufficientem materiam, quod falſum eſt. In caſu noſtro ponitur Unctio; per quam peccatorum per ſingulos ſenſus commiſſorum reliquiæ delentur, quod quidem à Forma exprimitur, etiamſi ex parte Materiæ non habeatur omne id, quod exprimitur in Forma.

636. Ad Ultimum dico, ſententiam aſſerentem ſufficere Unctionem unam, compellente gravi neceſſitate, tutiſſimam eſſe, ſicut tutiſſima, quæ aſſerit, non omnia peccata eſſe apę-

rien-

rienda, quoties grave incommodum ex revelatione conſurgit, & Baptiſmum conferri ſub materia dubia, etſi alia certior, & aptior minimè ſuppetat, etſi in tali caſu Sacramentum ſit ſub conditione repetendum, extra de Baptiſ., & ejus effec. Cap. *De quibus*, & tradit Subtil. 4. Diſt.4. Quæſt.2. §. *Circa iſtum autem*.

QUÆSTIO IV.

An ſufficiat Sacrum Chriſma pro materia remota Extremæ Unctionis?

637. Reſp. In caſu neceſſitatis licere uſum Chriſmatis pro materia remota Extremæ Unctionis. Moveor. Quia, vel portio Olei Chriſma componentis eſt major Balſamo, cui admiſcetur, vel ipſi æqualis. Si dicatur primum, jam ceſſat difficultas; tunc enim Miniſter uti ſimpliciter Oleo diceretur, eo modo, quo dicitur quis uti ſimpliciter tritico, quamvis grana contineat nonnulla alterius frumenti, & vinum quoque tale ſimpliciter appellatur cum aquæ aliquali admixtione. Si verò portio illa Balſami Oleo æquetur, adhuc Chriſmate illo uti licitum eſt, eoquia, cum neceſſitas cogat Sacramenti conferendi, poſſumus materiam dubiam adhibere, quoties certa non ſuppetit. at in caſu noſtro copia haberi non poteſt Olei Olivarum ab Epiſcopo benedicti; ergo licitum eſt Oleo uti Balſamo admixto, non tamen Oleo in minori parte, quia tunc non Oleum, ſed Balſamum abſolutè diceretur adhiberi.

638. Obji. Hoc pacto confundi Sacramentum Confirmationis, & Extremæ Unctionis, quandoquidem eorum materiæ remotæ confunduntur, nempe Oleum, & Balſamum.

639. Reſp.

639. Reſp. In hoc caſu Sacrámenta minimè confundi; tumquia Forma, ex qua ſpecificatio ſumitur, non eſt eadem; tumquia materia ipſa minimè confunditur: nam ſi Oleum Olivarum majori ex parte adhibeatur, jam ceſſat difficultas, cum in tali caſu materia propria Extremæ Unctionis miniſtretur: ſi verò portio illa Balſami Oleo ſit æqualis, tunc Sacramenti validitas eſt dubia ob rationem allatam: at Materiam quoque dubiam adhibere licitum eſt, quoties certa deeſt, abſque immutatione Sacramenti.

QUÆSTIO V.

An adhiberi poſſit Oleum ab Hæreticis, aut Schiſmaticis acceptum pro Extrema Unctione miniſtranda?

640. RESp. Negativè. Ducor. Quià Clemen. VIII. in Bul. *Sanctiſſimus* pro Græcorum edita inſtructione vetat ab Epiſcopis Schiſmaticis peti Chriſma; inquit enim: *Prohibentur tamen illud accipere ab Epiſcopis Schiſmaticis*; ergo etiam ab iiſdem eſt illicitum petere Oleum Sanctum, ſivè Catechumenorum, ſivè Extremæ Unctionis, cum ſit pro utroque eadem ratio: neque ulla neceſſitas urget, cum ſicuti Confirmatio, ita Extrema Unctio neceſſitate Præcepti, aut medii nequaquam ſit neceſſaria.

641. Nec valet arguere: licitum eſſe petere Panem, & Vinum ab Hæreticis pro conficienda Euchariſtia; ergo licere quoque petere Oleum pro Extrema Unctione miniſtranda. Neg. quippe conſeq. Nam Panis, & Vinum antequam actioni Sacramentali applicentur, nullam adhuc

huc rationem Sacri induèrunt ; benè verò Chriſma, & Oleum Infirmorum ; propterea, quoniam in ſecundo caſu fit cum Hæreticis communicatio in Sacris, non autem in primo, licitum eſt primum, non ſecundum.

QUÆSTIO VI.

An Latinus Sacerdos uti poſſit Oleo à Græcis Sacrato, aut ex ſemetipſo, urgente neceſſitate, benedicere valeat?

642. RESpon. Licere Miſſionario Latino petere à Presbytero Græco Catholico Oleum Infirmorum à ſe benedictum, ſi careat proprio, nec aliunde habere poſſit; non tamen uti Oleo à ſe benedicto.

643. Prima Pars patet. Nam Miſsionarius, urgente neceſsitate, petens Oleum benedictum à Sacerdote Græco Orthodoxo non communicat cum Schiſmaticis; rem quippe poſtulat licitam, aptamque pro adminiſtratione Sacramenti; quamvis enim Oleum purum ad Sacramenti iſtius validitatem minimè ſufficiat, ſtante tamen Catholici Græci Sacerdotis benedictione à Summo Pontifice elevata, evadit aptum, & ſufficiens: Clem. autem VIII. Bul. *Sanctiſſimus* ſæpè cit. Oleum quod de jure ordinario ab Epiſcopis conſecrandum eſt, ex Floren. in Inſtruc. Armen., per Sacerdotis ſimplicis benedictionem inter Græcos idoneum facit, ut, eo mediante, Extrema Unctio validè conferatur; ſicut facit, ſimplicem Sacerdotem Confirmationis Sacramentum tribuere poſſe; ergo licitè Miſsionarius Latinus, neceſsitate compellente, ſi aliunde Oleum Sacrum habere

ne-

nequeat, illud poſtulat à Presbytero Græco Catholico, eoque licitè utitur, Extremam Unctionem ægrotis conferendo.

644. Secunda quoque Pars oſtenditur. Quia Miniſter benedictionis Olei Extremæ Unctionis de jure ordinario eſt ſolus Epiſcopus, ex Floren. Inſtruc. Armen. Trid. ſeſs. 14. cap. 1. Innocent. III. Cap. *Cum veniſſent*, de Extrem. Unct., ac tenet cum communi S. Thom. 4. Diſt. 23. Quæſt. 1. art. 3.: de jure verò extraordinario quisquis Sacerdos ex Summi Pontificis facultate, ex Maſt. noſt. plures congerente 4. Sent. Scoti Diſp. 6. Quæſt. 2.: atqui Miſsionarius, aut purus Sacerdos Latinus ordinaria non gaudet authoritate, cum Epiſcopus non ſit, neque extraordinaria, cum Summus Pontifex hujuſmodi facultatem ſolis Presbyteris Græcis Catholicis conceſſerit; ergo Miſsionarius uti nequit Oleo à ſe benedicto tamquam Materia ad Sacramentum hoc conferendum penitus inepta.

645. Obji. Contra primam Partem: Oleum, quo Græci Presbyteri utuntur, apud Latinos eſt inſufficiens, cum apud ipſos debeat eſſe ab Epiſcopo benedictum, ex Floren. in Inſtruc. Armen.; ergo Sacerdos Latinus uti nequit Oleo à Græcis benedicto.

646. Accedit, Latinos peccare ſervando Ritum Græcum; ergo etiam peccat in adminiſtratione Sacramenti utendo Materia conſecrata Ritu Græco; ergo non poſſunt poſtulare à Græco Oleum Infirmorum, ut illo utatur pro Extrema Unctione miniſtranda.

647. Reſp. neg. conſeq. Uſus enim Oleum Sacrum jam ſupponit confectum, non autem ejuſdem effectio: primum conceditur Latinis in caſu neceſsitatis; non verò ſecundum: hinc Clem. VIII. conceſsit quidem uſum Latinis,

non

non tamèn ipſius conſecràtionêm ſolis Epiſcopis reſervatam.

648. Ad id, quod ſubditur, neg. conſeq. Nam in uſu rei conſecratæ Ritu Græco ſervari poteſt Ritus Latinus: alioquin in Baptiſmo Latino aqua more Græco conſecrata adhiberi non poſſet, quod abſurdum videtur; non autem in confectione ipſiuſmet rei conſecratæ more Græco, quæ ad validitatem ipſius pertinet Sacramenti.

649. Obji. II. contra ſecundam Partem. Clemens VIII. in cit. ſæpè Diplomate *Sanctiſſimus* permiſit Græcis Catholicis omnium Oleorum Sacrorum confectionem præter Chriſma; igitur benedictio Epiſcopalis non eſt de ſubſtantia Sacramenti; ergo Oleum Infirmorum etiam à Sacerdote Latino benedici, ac ſacrari poteſt, cum Summus Pontifex materiam Sacramentorum mutare non poſſit.

650. Reſp. neg. conſeq. Summus enim Pontifex concedendo Græcis, ut Oleum poſſint benedicere non mutat materiam hujus Sacramenti; nempe Oleum de oliva, ſed ſolummodo efficit illud, quod abſque ſui authoritate Sacrum fieri non poterat, nunc fieri poſſe: eo modo, quo ſimplex Sacerdos fit ejuſdem Pontificis authoritate aptus ad Confirmationis Sacramentum miniſtrandum, quod abſque illa non poterat; de jure quippe ordinario ad Epiſcopos ſolummodo pertinet.

651. Inquires, an, urgente neceſſitate, loco Olei Infirmorum poſſit Oleum Catechumenorum in hoc Sacramento miniſtrando adhiberi?

652. Reſp. Poſſe. Oleum enim Catechumenorum, & Infirmorum, non niſi diverſa benedictione differunt eo modo, quo aqua pro Baptiſmate Conſecrata non differt ab aqua luſtra-

ſtrali ad alios fines benedicta, quæ tamen, urgente neceſſitate, pro Baptiſmate adhiberetur, etſi citra neceſſitatem abſque gravi piaculo fieri non poſſit, Eccleſiæ Præceptum tranſgrediendo, uti reſolvit Fraſſen noſt. in Scot. Acad. Tom.4. de Sac. Extrem. Unct. Trac.1. Diſp.3. Quæſt.2.

CAPUT VII.

De Matrimonii Sacramento.

653. GRaves difficultates de Matrimonii Sacramento inſurgunt, quas enodare vel pro ſeipſis, vel pro iis, qui ad ipſos accedunt conſilii gratia, Miſſionarii compelluntur. Nonnullas proponemus ex innumeris ab Authoribus excitari conſuetis, eaſque ſolummodo, quæ Miſſionarios Orientales concernunt.

QUÆSTIO I.

An Ethnici ex Gentiliſmo ad Fidem Orthodoxam converſi teneantur Uxores omnes dimittere, & eam eligere, quæ converti voluerit?

654. REſp. I. Per converſionem Conjugis Infidelis præcisè ſumptam non diſſolvi Matrimonium cum altero Conjuge Infideli.

655. Ratio eſt: Nam Sanctus Paulus 1. Cor.7. 12. permittit Conjugi Fideli habitare, cum Infideli citra Creatoris injuriam cohabitare volente: ſi autem ob converſionem alterutrius ex Conjugibus Matrimonium diſſolveretur, Mulier Fidelis non poſſet habitare cum

Viro

Viro Infideli, & è contra; in perpetuo quippe concubinatu maneret; ergo converſio ad Fidem Orthodoxam præcisè ſumpta Matrimonium non diſſolvit, quod validè contractum, ſtat cum Fide Orthodoxa, ejuſque oppoſito; naturæ quippe jura minimè tollit, ſed perficit. Videatur D. Auguſt. contra Pollent. lib. de Adult. Conjug. cap. 18. relat. 28. Quæſt. I. Cap. *Quod autem*, & ſeq.

656. Reſp. II. Si Conjux Infidelis nolit converti, vel cohabitare ſimul cum Fideli abſque injuria Creatoris, vel in alterutro Conjuge peccati, aut ſubverſionis periculo, poſſe Fidelem ad alias nuptias tranſire, & ſic Matrimonium diſſolvere.

657. Patet hoc ex Cap. *Quanto*, de Divor. ubi Innoc. III. ita loquitur: *Si alter Infidelium Conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero verò, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale ei cohabitare volente, qui relinquitur ad ſecunda, cui voluerit, vota tranſibit*; ergo in tali caſu Matrimonium diſſolvitur.

658. Ratio autem eſt. Quia bonum Fidei bono Conjugii præferendum eſt, cum ſit ordinis altioris: bonum autem Fidei everteretur, niſi Conjuge Infideli in perfidia remanente, aut abſque ſubverſione, vel injuria Creatoris cohabitare nolente, Conjux Fidelis in Conjugio perſiſtere teneretur: nullus enim cum tanto diſpendio vellet ad Fidem Orthodoxam converti; ergo in tali caſu poteſt Conjux Fidelis ad alias nuptias cum Fideli tranſire. Ita ſentiunt Doctores cum S. Thom. 4. Diſt. 39. Quæſt. unic. Cur. 5. Doct. Subtil. 4. Diſt. 39. Quæſt. unic. §. *De ſecundo articulo*.

659. Si petatur, Utrum, ſi alter Conjux nollet quidem converti, vellet tamen manere in Conjugio citra injuriam Dei, aut periculum ſubverſionis in altero Conjuge, alter Conjux Fidelis poſſet ad aliud tranſire Matrimonium?

660. Reſp. Etſi ſententia negativa ſit valde probabilis, quam ſuſtinent S. Thom. S. Bona. Scotus, & Alii: affirmativa tamen, præcipuè in Locis Miſſionum in praxi videtur amplectenda, quam docet Sanchez Lib. 7. de Imped. Matrim. Diſp. 74. & Alii apud Maſt. noſt. Tom. 4. Senten. Diſp. 7. Quæſt. 7. art. 1. n. 195., cum vix intelligi poſſit, altero ex Conjugibus converti nolente, non dari periculum ſubverſionis: nam Vir, & Uxor ſunt una caro; hinc adeo ſeverè connubia cum Hæreticis, & Infidelibus ab Eccleſia vetantur, ex Chartag. III. Cap. 6. Aurelian. II. Cap. 19.

661. Reſp. II. Si prima Uxor converti velit, non poſſe Conjugem ad alias nuptias divertere: nolente autem, tunc poſſe quamcumque ex Concubinis relictis in Uxorem eligi, quoties Fidem Orthodoxam fuerit amplexa, & Baptiſmate initiata.

662. Prima Pars reſponſi patet. Nam in tali caſu ceſſat motivum diſſolvendi Matrimonium; illud enim, quod erat purus civilis contractus, fit Sacramentum, ex S. Thom. 4. Diſt. 93. Quæſt. 1. art. 1. juxta verò Doct. Subtil. 4. Diſt. 39. Quæſt. unic., quem Recentiores ſequuntur, fit ratum poſt Baptiſma, impedimento ſublato; ergo nequit in tali caſu Conjux alter ad alias nuptias tranſire.

663. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam Conjux ille ſe habet, ac ſi Uxorem non duxiſſet, cum liber fiat à vinculo prioris Uxoris: at ſi tunc vellet Uxorem ducere, poſſet ſibi

quam-

quamcumque ex illis copulare, ſi velit Baptiſmum ſuſcipere; ergo etiam nunc poteſt, rejecta prima Uxore nolente converti, quamcumque aliam ducere, tametſi ante Concubinæ extiterint.

664. Si autem neſciretur quęnam fuerit prima Uxor, vel difficillimè agnoſceretur, aut reperiri poſſet, ab Urban. VIII. permitti ob varios optimos fines ſecundum Matrimonium aſſeritur, apud Carden. Criſ. Propoſ. ab Innoc. XI. damnat. Cap. 8. art. 5.

665. Obji. contra primam Partem. Uxores illæ, ſaltem prima, ſunt veræ Uxores; ergo dimitti non poſſunt, cum Matrimonium etiam Infidelium ſit indiſſolubile, Matth. 19.; ergo, etſi Ethnici ad Fidem convertantur, adhuc Matrimonium diſſolvere non poſſunt: hinc Concil. Melden. Cap. 1. relat. 28. Quæſt. 1. ſtatuit: *Si quis habuerit Uxorem Virginem ante Baptiſmum, poſt Baptiſmum alteram habere non poteſt.*

666. Reſp. neg. conſeq. Nam Matrimonium eſt quidem indiſſolubile à ſui exordio, non tamen omnimoda indiſſolubilitate, qua in Evangelio fuit firmatum: occurrente igitur vinculo ſtrictiori, nempe Fidei Orthodoxæ, ſi fuerit cum Conjugio incompoſſibile, ceſſat minus ſtrictum vinculum Matrimonii. Concilium autem Meldenſe intelligitur de Virgine Fidem Orthodoxam Conjugis Fidelis ſequente, non verò de ipſam reſpuente, ac nolente cohabitare citra injuriam Creatoris, aut alterius Conjugis ſpirituale diſcrimen.

667. Petes I. An, Conjuge Fideli ad ſecundas nuptias tranſeunte, poſſit quoque Infidelis ad alias nuptias tranſire, tametſi tali diſſolutioni obſtinatione ſua cauſam præbuerit?

668. Reſp. Poſſe. Quamvis enim in hoc

graviter peccaverit, reverà tamen Matrimonium eſt diſſolutum cum Conjuge priori, ſicut diſſolvitur quoque, ſi Conjux Fidelis ſolemnem in Religione approbata Profeſſionem emitteret, qua Matrimonium ratum, etſi Sacramentum ſit, diſſolvitur, ex Trid. ſeſſ. 24. Can. 6. & habetur quoque Cap. *ex Parte* de Converſ. Conjug.; ergo multò magis Matrimonium cum Infideli, quod revera, etſi conſummatum ſit, Sacramentum non eſt, nec ratum. Sacros quoque Ordines ſuſcipere poteſt Conjux Fidelis: ât in hoc caſu non videtur Matrimonium diſſolvi, cum ſtet optimè cum Ordinibus poſteà ſuſceptis etiam inter Fideles.

669. Petes II. An ſi Conjux Infidelis adulteretur, deinde ad Fidem convertatur, priuſquam Conjux Fidelis novis nuptiis adhæſerit, vel ipſe aliam Uxorem ſumat, teneatur ad ipſum ſuſcipiendum, vel ejus ſecundæ nuptiæ ſubſiſtant?

670. Reſp. Conjugem Fidelem non teneri quidem recipere ad thorum, & cohabitationem Conjugem Infidelem adulteram, etiamſi ad Fidem Orthodoxam convertatur, eoquia contra jura Matrimonii peccavit, ex Cap. *Gaudemus*, de Divor. & inſinuatur quoque 34. Quæſt. 5. Cap. *Ego dixi*, & ſequ. non tamen Matrimonium diſſolvi: ad hoc enim etiam inter Infideles non ſufficit delictum carnis, ex Floren. Inſtruc. Armen., & Triden. ſeſſ. 24. Cap. 7.; ergo ſi tempore congruo convertatur Conjux adulter, Matrimonium inter Fidelem, & Infidelem manet immotum, & indiſſolubile; ergo nuptiæ ſequentes invalidæ ſunt ſivè ante, ſivè poſt converſionem celebratæ.

671. Petes III. An ſi Conjux Fidelis poſt converſionem, altero in pertinacia manente,

nes

nec ſimul cum Fideli, niſi cum injuria Creatoris cohabitare volente, nuptias nequaquam contrahat, nec Profeſſionem emittat in Religione approbata, Matrimonium diſſolvatur, & Infidelis ad alias nuptias tranſire valeat?

672. Reſp. Negativè ex Cap. *Gaudemus*, de Divor. Quamvis enim habeat jus nuptias contrahendi, non tamen Conjugium diſſolvitur, niſi de facto nuptiæ contrahantur, ad quas tamen non tenetur, cum nullo jure præcipiatur, ſed ad conſulendum periculo ſalutis æternæ, ſi Religionem ingredi nolit, petere perpetuum divortium poteſt; quare ſi nolit nunc contrahere novas nuptias, compelli non poteſt, uti non compelleretur, ſi Conjux tolleretur è vivis; imò etſi defuncta ſecunda Muliere, fieret viduus, non teneretur primam reaſſumere, etſi poſſet converſam: Matrimonium enim non retrahitur.

673. Petes IV. An àd hoc, ut Conjux Fidelis novum contrahat Matrimonium, opus ſit monere Conjugem Infidelem, ut convertatur, vel ſaltem à vexando Fideli, & in poſterum pacificè cohabitet abſque injuria Creatoris?

674. Reſp. Neceſſariam eſſe hujuſmodi monitionem. Nam tranſitus ad nuptias haberi nequit, niſi ſtante renitentia ad converſionem, vel pacificam cohabitationem, abſque injuria Creatoris, & hoc conſtare debet, ne temere Conjugium diſſolvatur, ex Concil. Tolet. IV. Cap. 6. relat. 28. Quæſt. 1. Cap. *Judæi*, & noviſſimè in Concilio Limen. III. act. 2. Cap. 10. & in alio Limen. Cap. 16. hoc autem conſtare nequit, niſi Conjux Infidelis moneatur, & interrogetur, an velit converti, vel ſaltem pacificè cohabitare citra Dei injuriam; ergo ſecundum Matrimonium citra hujuſmodi inter-

rogationem celebrari nequit, debitó tamen modo habendam.

675. Si tamen conſtaret aliunde, & quidem perſpicuè de renitentia, tunc minimè hujuſmodi admonitione opus eſſet, ſicut ea quoque neceſſaria non eſſet, ſi monitio foret phyſicè, aut moraliter impoſſibilis, ob quam rationem S. Pius V. apud Sanchez Lib. 7. de Imped. Matrim. Cap. 78., & Gregor. XIII. apud Ponce Trac. de Matrim. Lib. 7. Cap. 48. permittit Indis ad alia Vota tranſire, quoties alius Conjux inveniri non poteſt, vel quia ignoratur ubi ſit, vel ob nimiam diſtantiam, aut alias ſimiles cauſas.

QUÆSTIO II.

An Chriſtiani ſub jugo Infidelium degentes Uxòrem, quam duxerunt, poſſint dimittere, & alteri copulari ſub prætextu ignorantiæ vinculi Conjugalis?

676. Reſp. Negativè. Ratio eſt: quia Matrimonium inter Chriſtifideles, utpote ad dignitatem Sacramenti elevatum, eſt omnino indiſſolubile, ut definit Trid. ſeſs. 24. Can. 1. & 7. & Floren. in Inſtruc. Armen., uſuſque, & praxis Eccleſiæ confirmant: at Chriſtiani iſti intendunt verum Matrimonium contrahere eo modo, quo fit in Eccleſia; ergo ſubjiciunt ſe vinculo Matrimoniali indiſſolubili; igitur primum Matrimonium validum eſt; ergo vivente prima Uxore, aliam ducere non poſſunt.

677. Neque illos excuſat ignorantia. Tumquia eſt culpabilis, cum petere inſtructionem poſſent. Tumquia vinculum illud indiſſolubi-

le

le ex Lege Divina oritur, non humana, & ipſamet Matrimonii inſtitutione, Matth. 19. 9. ut notat Triden. ſeſs. 24. in init., & inſinuavit quoque Doct. Subtil. 4. Diſt. 26. Quæſt. unic. §. *Per hoc patet ad Quæſtionem*; ergo quamvis ignoretur vinculum illud indiſſolubile, quia tamen intenditur contractus Matrimonialis inter Chriſtianos fieri conſuetus, intenditur quoque illud, quod ipſum comitatur.

678. Neque urget, quod objicitur, vinculum illud non eſſe de ſubſtantia ipſiuſmet Sacramenti Matrimonii in mutuo contractu conſiſtentis: quamvis enim non ſit ipſummet Matrimonium, ad ipſum tamen neceſſario conſequitur. Compellendi igitur ſunt hujuſmodi Conjuges ad reaſſumendam priorem Uxorem, etiamſi ficte nupſiſſent, ſi fictionem probare non poſſunt, uti notat Doct. Subtil. 4. Diſt. 30. Quæſt. 1. §. *Sed numquam iſte*, nec diſſentit Sanctus Thomas ibidem art. 2. Quæſt. 4. ad Primum, & tollendæ omnino iſtæ manuales Uxores, quæ in reipſa veræ ſunt Concubinæ.

QUÆSTIO III.

An poſſit reddi debitum Uxori in facie tantum Eccleſiæ agnitæ ut tali, revera tamen nequaquam legitimæ, inter Ethnicos, ubi Tridentinum non eſt publicatum?

679. Reſp. Negative. Habetur hoc decreſum ab Innoc. III. Cap. *Inquiſitioni*, de Senten. Excom., & Cap. *Litteras tuas*, de Reſtit., & Sponſal., ubi interrogatus, an qui novit certâ ſcientiâ impedimentum dirimens inter ipſum, & Uxorem, poſſit eidem reddere debitum petenti? Reſpondit, non licere,

ſed potius eſſe Excommunicationem humiliter ſubſtinendam, cum ille contra Deum non debeat Judici obtemperare; ergo illicitum eſt & petere, & reddere debitum impedimento dirimenti irretitæ Uxori; ergo multò fortiùs Uxori non ſuæ: in caſu autem noſtro ſecunda Uxor non eſt Mariti, eoquia Matrimonium cum priori Muliere validum eſt, cum Tridentinum in ea Regione non ſit publicatum; adeoque non obligat, ex eodem ſeſs. 24. Cap. 1. de Refor. Matrim.; ergo ipſi nequit reddere debitum; fornicaretur enim: fornicatio autem eſt ab intrinſeco mala, non mala quia prohibita, ex Innoc. XI. oppoſitum damnante in proſcrip. Propoſ. 48. inter 65.

680. Fortiùs autem urget argumentum. Nam illicitum eſt ex præfatis Decretis reddere debitum Uxori, cum qua impedimentum intercedit dirimens, etiam ſolo jure poſitivo; ergo multò fortius, ſi adſit dirimens jure naturali, & Divino: impedimentum autem cum ſecunda Uxore jure naturali, & Divino dirimens eſt, cum Polygamia jure naturali, & Divino ſit vetita, ex Sanchez Lib. 2. de Matrim. Diſp. 39.; ergò omninò eſt illicitum ſcienti ſecundam Uxorem non eſſe ſuam congredi cum illa, debitum reddendo.

681. Obji. Tumquia ſecunda Uxor juſtè debitum poſtulat, cum in facie Eccleſiæ Matrimonium contraxit, pro qua ſtat vehementiſſima præſumptio, nec credere debet Marito ſe cum alia contraxiſſe, cum id probare non poſſit. Tumquia dubitans, an ritè contraxerit, tenetur debitum reddere, etſi petere non poſſit, eoquia alter eſt in bona fide, & in poſſeſſione Matrimonii; ergo etiam in caſu præſenti Conjux tenetur reddere debitum Uxori,

cum

cum probare nequeat contraxiſſe cum altera! iſta quippe jus ſuum ex publico contractu aquiſivit. Tumquia licet Judici occidere innocentem, ſi publice appareat reus, etſi privatim innocens ſciatur; ergo etiam licitum Conjugi eſt reddere debitum Uxori, quæ publicè apparet legitima, etſi oppoſitum privatim noverit.

682. Reſp. Ad Primum: Ab Uxore ſecunda juſtè quidem debitum poſtulari, quia impedimentum Matrimonii prioris ignorat: at non juſta peti, quandoquidem adeſt antecedentis Conjugii vinculum: Conjux verò juſtè denegat, quia novit prioris Matrimonii contractum: licet autem Marito credere non teneatur, ſed Judicis poſſit officium implorare, non tamen ſequitur poſſe Maritum poſteriori Conjugi debitum reddere, cum præſumptio etiam vehemens cedat veritati.

683. Ad ſecundum neg. conſeq. Nam ut optimè Gloſſ. in Cap. *Dominus*, de ſec. Nupt. pro priori Matrimonio ſtat præſumptio de validitate donec oppoſitum conſtet, cum legitimè fuerit contractum, & fortaſſe nullum reipſa impedimentum adſit; etſi de ipſo Conjux alter dubitationem conceperit, & idcircò, ſicut Uxor juſtè debitum petit, cum ſit in poſſeſſione, ita ipſi à Marito reddendum eſt: in caſu autem noſtro Maritus nullo modo eſt dubius, ſed certiſſimus de poſterioris Conjugii nullitate; igitur, ſicuti ſecunda Uxor, ſi id ſciret, petere non poſſet, ſed omnino ſeparari, & ad alias, ſi vellet, nuptias tranſire, ita Vir, qui prioris Matrimonii novit validitatem, nequit reddere debitum, quia cum non ſua miſceretur.

684. Ad Tertium: aſſumptio eſt incerta, quam plures Authores denegant, apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 6. Quæſt. 2. art. 1.

 Cæte-

Cæterum ſequendo S. Thom. ſententiam 3. Part. Quæſt. 67. art. 2. cum aliis à præfato Maſt. citat. neg. conſeq. Nam Judex, qua Judex non damnat Innocentem, ſed Reum, qui judicialiter ut talis dignoſcitur; ipſe verò agit non uti privata, ſed ut publica Perſona, cui ut tali ob probationes convincentes Reus apparet: at Maritus petens, vel reddens debitum non agit publicam, ſed privatam Perſonam; ac proinde cum ipſi ut tali poſterioris Matrimonii validitas innoteſcat, ſicuti non poteſt petere debitum, ita nec reddere. Ad ſummum ſequitur hoc, quod, ſicuti Reus, qui judicialiter talis minimè convincitur, etſi privata ſcientia ut talis innoteſcat, à Judice damnari non poteſt, juxta DD. Comm. Senten., ita nequit Maritus publicè dimittere Uxorem ſecundam, quæ talis non eſt, ſed tamen apparet in facie Eccleſiæ, quod ultro concedo.

QUÆSTIO IV.

An Vir Mulieri nubens ob longam abſentiam Uxoris ab Infidelibus raptæ validè contrahat?

685. RESP. viventibus Mulieribus raptis, Matrimonia ſubſecuta eſſe invalida; ſi verò obierint, ſubſiſtere: attamen peccare Maritos alias ducendo, niſi de ipſarum obitu conſtiterit.

686. Prima Pars patet. Nam Polygamia nedum Eccleſiaſticis, ſed Divinis quoque Legibus interdicitur, ex Triden. ſeſſ. 24. Can. 2. traduntque Innoc. III. Nicolaus I. & Alii Pontifices relati 34. Quæſt. 7.; hinc poſt ſecundum Matrimonium, ſi deveniatur in Cognitionem,

prio-

priorem Uxorem, quæ defuncta putabatur, adhuc vivere, ſecunda dimittenda eſt, & priori adhærendum, Cap. *Dominus*, de ſec. Nupt.; ergo vivente prima Uxore, etſi hoc ignoretur, ſecundum Matrimonium invalidum eſt.

687. Secunda Pars eſt etiam certiſſima, ex Apoſtolo ad Rom. 7. 2. *Quæ ſub Viro eſt Mulier, alligata eſt Legi: Si autem mortuus fuerit Vir ejus, liberata eſt à lege Viri*. Idipſum dicitur 1. Cor. 7. 39., Sacrique Canones conſentiunt 31. Quæſt. 1. Cap. *Hac ratione*, Cap. *Quomodo*. Quibus locis aſſeritur, & ſupponitur, poſſe licitè, defuncto altero Conjuge, ad ſecundas nuptias tranſiri, & Innoc. IV. adverſus Græcorum errores expreſſe firmavit, Conſtit. XIV. *Sub Catholicæ*.

688. Et ratio eſt: quia ſecundæ nuptiæ habent rationem veri Matrimonii, ſicut primæ: ſed primæ licitæ ſunt; ergo etiam ſecundæ; cum non appareat ratio, cur liceat primum Conjugium, non autem ſecundum?

689. Tertia quoque Pars patet ex Cap. *Præſentia*, de Sponſal., ubi Clem. III. decidit, non poſſe Uxores *ad aliorum Conſortium canonicè convolare, donec certum nuncium recipiant de morte Virorum*. Idipſum habetur ex Lucio III. Cap. *Dominus*, de ſec. Nupt.

690. Ratio autem eſt: quia, tametſi ob mortem alterius Conjugis Matrimonium ſit diſſolutum, & liceat ipſis ad ſecundas nuptias tranſire; attamen, niſi conſtet de morte Conjugis, exponunt ſe periculo fornicationis: abſentia enim præciſa etiam diuturna non eſt mortis argumentum: hoc autem illicitum eſt; ergo, niſi ipſis certò conſtet de Conjugis obitu, non licet ad alias nuptias tranſire; vel ſi tranſierunt, petere debitum nequaquam eis permitti-

mittitur, ſed ſolummodò reddere, Cap. *Dominus* cit de ſec. Nupt., ne præjudicium afferant Conjugi, quem ſumpſerunt, qui ignoranter contraxit, & poſſeſſione gaudet.

691. Porro certitudo mortis alterius Conjugis ad novum Matrimonium contrahendum, debet eſſe vel phyſica, vel moralis ſaltem: quare duo teſtes requiruntur, vel unus ſaltem omni exceptione major, aut fama cum adminiculis rectè per duos teſtes probata omni exceptione majores, vel ſaltem multitudo teſtium ipſis æquivalens, ex Maſcard. de Probat. apud Sanchez Lib. 2. de Matrim. Diſp. 46. Quæſt. 3.

692. Obji. Abſentia Viri per longum tempus ex præſumptione Legum æquivalet notitiæ mortis, L. *Uxores* ff. de Divor.; ergo Matrimonium hoc pacto celebratum legitimum eſt, cum ſupponat juſtè mortem alterius Conjugis. Tum quia diligentia pro Uxore rapta invenienda videtur impoſſibilis, cum ab Infidelibus rapiatur numquam reſtituenda, & propterea Sanctus Pius V. conceſſit Indis in tali caſu ad alias tranſire nuptias.

693. Reſp. Leges Eccleſiaſticas, quibus Chriſtiani diriguntur, numquam ob præciſam abſentiam Conjugum mortem præſumere, quidquid ſit de Civili, quæ Authen. *Hodie* L. de Repud. videtur oppoſitum ſancire.

694. Idipſum ad id, quod ſubditur, reſpondetur, ex quacumque diligentia non argui præciſè mortem abſentis, niſi aliâ circumſtantiâ veſtiatur. S. autem Pius V. idcirco conceſſit Indis Matrimonium ob abſentiam Conjugum contrahere, non præciſè propter abſentiam, ſed quia non redeuntes ſupponebantur Infideles à Fideli diſceſſiſſe, ne converterentur

ad

ad Fidem, vel ſaltem citra injuriam Creatoris cohabitarent.

QUÆSTIO V.

An Virgines ab Infidelibus, aut Fidelibus in excurſionibus raptæ, validè Raptoribus nubere queant?

695. RESp. Affirmativè. Moveor. Quia Triden. ſeſs. 24. Cap. 6. ponit impedimentum inter Raptam, & Raptorem, quotieſcumque raptus ſit intuitu Matrimonii, cujus integerrimæ libertati conſulitur, ex Sanchez de imped. Matrim. Lib. 7. Diſp. 13. Coninch. Diſp. 13. Dub. 4., & ex ipſomet Text. Concil. optimè conſtat: at raptus, de quo eſt ſermo, non ſit animo contrahendi Matrimonium, ſed ſolummodò damna reſarciendi à Chriſtianis hoſtibus illata; cum Conjugatæ quoque, Pueri, Senes, Viles, ac Divites pariter rapiantur, ac in ſervitutem redigantur, & mercaturæ exponantur, aut Magnatibus dono tradantur; ergo non animo contrahendi Matrimonium; ergo non eſt raptus verus à Concilio damnatus, etſi fieret animo libidinis ſaturandæ, niſi intendatur Matrimonium per ſe, uti notat Sanchez ibidem.

696. Ex his ruit objectio, quæ adducitur, Virginem nimirum in manu Raptoris conſtitutam non præſumi liberè, ſed per vim, & metum Matrimonio conſentire, quod Conjugium utpote involuntarium nullum eſſe, vel ſaltem irritari debere, habetur 31. Qnæſt. 2. Cap. *Si veram libertatem*, Cap. *Tua ſanctitas*.

697. Reponitur enim id verum eſſe, cum raptus ſit præcisè intuitu Matrimonii, non verò

rò ob alios fines, cum ſæpè contingat, Virgines hujuſmodi in excurſionibus raptas libentiſſimè, ac ſtatim amore Raptoris captas Matrimonio conſentire.

QUÆSTIO VI.

An Conjux Infidelis ab alio Infideli ob matrimonialia jurgia ſeparatus poſſit Fideli novo Conjugio nubere, ſi ipſemet ad Fidem convertatur?

698. RESP Poſſe. Ducor. Quia datur vehemens præſumptio, Conjugem abſentem nolle converti, aut pacificè cohabitare citra Creatoris injuriam. Si enim ob cauſas naturales Conjux abſens reliquit præſentem, nec vult cohabitare cum illo ob ordinaria jurgia; ergo multò fortiùs renuet cohabitare cum Conjuge ad Fidem converſo; ergo ſicuti ex conceſſione S. Pii V. Infidelis converſus, relictus ab Infideli ob renitentiæ præſumptionem poteſt ab eo recedere, & alteri Chriſtifideli nubere; ita poterit ob jurgia matrimonialia ſeparatus, atque ad Fidem Orthodoxam converſus ad alias nuptias cum Fideli tranſire.

QUÆSTIO VII.

An Fidelis occidens Uxorem poſſit nubere Infideli adulteræ poſt ejuſdem ad Fidem Orthodoxam converſionem?

699. RESP. Non poſſe. Nam impedimentum criminis, etſi non afficiat Infidelem Eccleſiæ minimè ſubjectam, cadit tamen ſuper Fidelem, Cap. *Significavit* de Converſ.

verſ. Infidel; ergò Matrimonium illud invalidum eſt: nam etiam Cultûs diſparitas cadit ſolummodo ſuper Fidelem, & tamen quoniam Eccleſia inhabilitat Fidelem, ut validè cum Infideli contrahat, Matrimonium hoc irritum eſt, Cap. *Cave* 28 Quæſt. 1.; ergo ſimiliter in caſu dicendum eſt, cum eadem ſit ratio.

700. Obji. Impedimentum criminis utpote ab Eccleſia inductum, Cap. *Si quis vivente* 31. Quæſt. 1. non afficit Infidelem; ergo Conjugium illud validum eſt, cum non poſſit Claudicare.

701. Reſp. neg. conſeq. afficit enim Fidelem impedimentum illud, & hoc ſufficit, ad hoc ut invalidum Conjugium efficiatur.

QUÆSTIO VIII.

An Infideli repudiante Uxorem Infidelem, & aliam ducente, ſi poſtea Fidem Orthodoxam ſuſcipiant, ultimum Matrimonium ſit validum?

702. Reſp. Hujuſmodi ſecundum Matrimonium eſſe invalidum. Ratio eſt, quia repudium primæ Uxoris omnino illicitum eſt, & invalidum. Vel enim numquam licuit, eoquia indiſſolubilitas eſt de intrinſeca ratione Matrimonii à Deo inſtituti, Matth. 5. & 19., uti tenent Magiſter Senten. 4. Diſt. 33. S. Bona. ibidem art. 3. Quæſt. 1. & Alii cum ipſis: vel ſi licuit, Deo diſpenſante, uti diſpenſavit cum Polygamis, juxta S. Thom. 1. 2. Quæſt. 120. art. 5. ad 3. Doct. Subtil. 4. Diſt. 33. Quæſt. 3. §. *Sic ergo*; Bellarm. Lib. 1. de Matrim. Cap. 17. & Alios: hoc ſolis Judæis licuit, non cæteris, Deuter. 24. 1. & Malach. 2. 16., nunc

autem

autem à Chriſto Domino Matth. 5. 32. & 19. 9. & Marci 20. 6. pro omnibus omnino ſublatum eſt, dicente Innoc. III. extra de Divor. *Repudium Uxoris Veritas in Evangelio reprobat*; ergo nedum illicitè, ſed etiam invalidè Infidelis primam Uxorem repudiavit, & aliam ſumpſit pariter Infidelem, qua nolente ad Fidem converti, aut pacificè cohabitare, tunc licebit ſecundam Uxorem ad Fidem converſam novo Matrimonio ſibi copulare. Ita Sanchez Lib. 7. Diſp. 73. n. 4. ex Cap. *Gaudemus*, de Divor.

703. Oppones. Licitum eſt Marito Infideli tenere illam ex Uxoribus, quæ ad Fidem convertitur: ſed ſecunda Uxor revera ad Fidem converſa eſt; ergo Matrimonium hoc ſecundum valet, ut habetur Cap. *Si quis* 28. Quæſt. 1. *Si quis Gentilis Uxorem dimiſerit ante Baptiſmum, in poteſtate ejus erit eam habere, vel non habere.*

704. Reſp. Majorem eſſe verâm, quando prima Uxor legitimè ducta renuit converti, vel pacificè cohabitare; ſecus verò, quando legitima Uxore Infideli dimiſſa, ducit aliam Infidelem, etſi poſtea converſam: de hoc ſecundo caſu loquimur in præſenti, qui præfato Canone nequaquam infirmatur, cum ſolummodo velit, prima Uxore nolente converti, poſſe Virum habitare cum ipſa, ſi pacificè velit cohabitare, & etiam dimittere, ſi habitatio cum ea fieri nequeat abſque peccato, nulla deinceps ſumpta Uxore.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

An error Perſonæ irritet Matrimonium priuſquam Conjuges ad veram Fidem convertantur?

705. RESp. Affirmativè. Ducor. Quia error Perſonę, non qualitatis tantummodò, Matrimonium etiam inter Infideles invalidat, utpote juri naturali repugnans, & eſſentiæ Matrimonii adverſum, L. *Si per errorem*, ff. de Juriſdic. omnis Judic. tollit quippe voluntarium, adeoque conſenſum neceſſarium, Leg. *Cum Teſtamentum* L. de juris, & facti ignoran. ergo Matrimonium illud jure Naturæ irritum eſt, uti tradit cum communi Doct. Subtil. 4. Diſt. 30. Quæſt. 1. §. *De Primo*. Nec ſanatur per utriuſque Conjugis ad Fidem Orthodoxam converſionem: Baptiſmus enim rata quidem facit Conjugia jure Eccleſiaſtico, non tamen naturali, & Divino interdicta.

706. Ex hac radice profluit, Matrimonium Infidelis liberi cum ſerva Infideli ignorata, jure Naturæ nullum eſſe, cum error, ut optimè Subtil. loc. cit., impediat conſenſum in ſervum quà talis eſt; ergo, cum error iſte verſetur circa ſubſtantiam contractus, ipſum irritum reddit, uti tenent nedum Scotiſtæ, verum etiam Almainus, Palatius, Sotus, & Alii apud Hiquæum noſt. in Comment. 4. Senten. Scot. Diſt. 30. Quæſt. 1.

707. Obji. Tumquia putans baptizare, aut ordinare Petrum, & tamen baptizans, aut ordinans Paulum, validè facit. Tumquia alii contractus errore Perſonæ non invalidantur, ut V. G. ſi non idem individualiter tradatur equus empto-

emptori, dummodò ſit idem in ſpecie; ergò etiam non invalidatur Matrimonium, ſi loco unius Perſonæ tradatur altera, eaſdem habens qualitates. Tumquia errore non obſtante, ſervatur æqualitas in Matrimonio requiſita, nempe corporum permutatio in ordine ad copulam carnalem; ergo ob errorem in Perſona non annullatur contractus Matrimonialis.

708. Reſp. Ad primum neg. conſeq. Nam in aliis Sacramentis non adeſt ex utraque parte contractus individualis, ſicut in Matrimonio *Do, ut des*, ſed ſufficit intentio recipientis, & conferentis, qui intendens baptizare, aut ordinare præſentem, quicumque ille ſit, validè facit.

709. Ad ſecundum neg. conſeq. Nam intentio ementis non dirigitur ad hunc, ſed ad optimum equum; quo circa, etſi non tradatur idem equus, ſed alius ejuſdem conditionis, valet contractus: at in Matrimonio Perſonæ individualitas attenditur, ad quam dirigitur intentio; & propterea valet primus, non ſecundus contractus.

710. Ad tertium neg. quoque conſeq. Nam ultra æqualitatem corporum, etiam Perſonæ individuum attenditur; quo variato, contractus nullus eſt.

711. Quæres I. An ſervitus ſcita dirimat Matrimonium?

712. Reſp. Negativè, uti definitur Cap. *Si quis ingenuus* 29. Quæſt. 2. *Volenti enim, & conſentienti non fit injuria, neque dolus*, de Reg. Juris in 6. Liber autem voluntarie tradit poteſtatem ſui corporis ſervo, etiamſi ille non poſſit eodem modo tradere, ſed tempore opportuno,

713. Quæres II., An Conjugia Servorum ſint valida, etſi ſervitute ignorata?

714. Reſp.

714. Reſp. valida eſſe; permittuntur à Sacris Canonibus, etiam Domino contradicente, Cap. *Signum eſt*, de Conjug. Servor. Quod vèrò ſit ingnorata, parum refert, cum ignorantia ſervitutis ad nobiliorem ſtatum nequaquam elevet Servum, vel ad deteriorem deprimat; ipſe enim ab Uxore plus exigere non poteſt, quam ipſe præbeat.

QUÆSTIO X.

An impedimentum poſitum à Principe Infideli irritet Matrimonium inter Infideles?

715. Reſp. Affirmativè cum S. Thom. 4. Diſt. 39. Quæſt. unic. quem alii ſequuntur, ut Sotus, Navar. Angleſ. Ratio eſt. Quia Matrimonium apud Infideles Sacramenti dignitate ſpoliatum, eſt contractus merè civilis, & in officium Naturæ inſtitutum; adeoque ſubjacet Legibus civilibus illius Imperii, in quo reperitur, ut optimè S. Tom. 4. còntra Gen. cap. 87., ergo, ſicuti alias Leges in utilitatem Regni condere, ita huic contractui nullitatem opponere poteſt, niſi fiat hoc, vel illo modo à ſe præſcripto, uti fecit Triden. ſeſs. 24. cap. 1. de Refor. Matrim. Teſtium, & Parochi præſentiam ad validitatem præſcribens. Et profectò non apparet, cur Politicus Princeps contractus alios efficere poſſit validos, vel invalidos, non autem contractum Matrimonialem in puro eſſe naturali conſideratum, uti apud Ethnicos reperitur?

716. Obji. Impedimenta ponere Matrimonio ſpectare ad Eccleſiam, ad quam pertinet Sacramentorum adminiſtratio: Matrimonium

autem

autem Sacramentum eſt; ergo invalidè à Principe Infideli Conjugio impedimenta apponuntur.

717. At facile reſpondetur, ad Eccleſiam quidem pertinere apponere impedimenta Matrimonio, ut Sacramentum eſt, non vero ut purus eſt contractus naturalis, qui ſolummodo à Principe ethnico in Matrimonio conſideratur.

718. Inquires 1. An Infideles ſub Principe Orthodoxo viventes Matrimonii Legibus circa impedimenta ſubdantur?

719. Reſp. Quantum ad illa, quæ præcisè ab Eccleſia inducta ſunt, non ſubdi, ſicuti Eccleſiæ ipſi minimè ſubjiciuntur.

720. Petes 2. An Catholicorum Matrimonia ſubdantur impedimentis novis à Principe ethnico, in cujus Ditione vivunt, introductis.

721. Reſp. Negativè. Cum enim ipſi Matrimonium uti Sacramentum ſuſcipiant, non veluti ſimplicem contractum naturalem, ſicuti ipſum Principis Infidelis Imperio minimè ſubjacet ad altiorem ſtatum elevatum, ita ipſi illis impedimentis minimè obſtringuntur, cum circa Sacramenta non Principi Politico, ſed Eccleſiaſtico ſubdantur.

QUÆSTIO XI.

An Affinitas orta ex fornicatione Matrimonium inter Infideles irritet?

722. Reſp. Negativè. Affinitas enim orta ex copula illicita ex Lege naturali non exurgit, cum apud Romanos ethnicos minimè agnoſceretur, L. *Non facile* §. *Affines*. Tum quia nemo inclinatur ad reverentiam exhibendam Fœminæ fornicariæ à Patre cognitæ.

Tum-

Tumquia nullum vinculum amicitiæ inter Fornicantem , & Fornicariæ Propinquos exoritur , ſed potius oppoſitum ; ergo ſolo jure Eccleſiaſtico hujuſmodi impedimentum inductum eſt , quo Infideles minimè obſtricti in ſtatu manentes Infidelitatis , contrahere licitè poſſunt cum Fornicariæ Propinquis , quod Matrimonium , Baptiſmo ſequente , ratum efficitur ; non tamen licet Fideli contrahere cum Conſanguineis Fornicariæ Infidelis : nam ipſe Legibus Eccleſiæ obnoxius eſt .

723. Obji. Affinitas oritur ex carnis conjunctione : at hæc reperitur etiam cum Fornicariæ Conſanguineis ; ergo etiam , illa ſtante , Matrimonium illicitum eſt . Tumquia Canon. *Nec eam* 35. Quæſt. 3. S. Gregor. Mag. aſſerit , abominabilem eſſe , atque criminoſum coitum cum Muliere à Conſanguineo Uxoris cognita ; ergo etiam inter Infideles illicitè , & invalidè contrahitur cum Affine Fornicariæ .

724. Reſp. Falſa eſt maj. Siquidem longè diſpar eſt ratio de Fornicante illegitime coeunte : quamquam enim Fornicator cum Fornicaria fiat una caro , id tamen fit illegitimè ; hinc ſolo jure Eccleſiaſtico inductum eſt hoc impedimentum , & ad ſecundum ſolummodo gradum affinitatis reſtrictum . Quamvis enim hujuſmodi affinitas ſit aliqua conjunctio ; imperfecta tamen eſt , quæ amicitiam , & unionem inter Affines minime inducit . Gregorius verò Magnus ibi expreſsè de Chriſtianis loquitur , apud quos , ſtante Lege Eccleſiaſtica , ſacrilegum , & inceſtuoſum cenſetur miſceri cum Conſanguineis Mulieris à ſe corruptæ , non verò apud Infideles , Infidelitate manente .

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

An Infideles, qui Matrimonium contraxerunt in linea recta, vel tranſverſali affinitatis, poſſint in eo relinqui, ſi converti voluerint?

725. RESp. Affirmativè. Ducor quoad primam Partem; quia impedimentum hoc ſolo jure Eccleſiaſtico inductum eſt, etiamſi ſit in primo gradu, uti plures Doctores propugnant, & ſignanter Subtilis 4. Diſt.41. §. *Ad Quæſtionem*; ergo cum Infideles ante Baptiſmum ſuſceptum Legibus Eccleſiæ minimè obſtringantur, illud Conjugium validum eſt; & proinde etiam poſt ſuſceptum à Conjugibus Baptiſmum ſuſtineri debet, nec Conjuges ſeparari, ac ad novum Matrimonium coarctari.

726. Confir. hoc: Quia quotieſcumque adſunt opiniones probabiles de validitate Matrimonii, pro ejus valore ſtandum eſt, uti pluries Sacra Tribunalia praxi ipſa firmarunt, apud Carden. Criſ. Theol. Propoſ. ab Innocen. XI. damnatarum Diſſert.2. cap.8., eoquia Cauſa Matrimonialis eſt favorabilis, Cap. Final. de Senten. & re Judic., adeoque amplianda, juxta Reg. Juris in 6. odia reſtringenda, favores ampliandi ſunt, cum agatur hic de Matrimonio contracto, non contrahendo: at plerique graves Authores à Sanchez cumulati lib.2. de Matrim. Diſp.66. aſſerunt, per impedimentum affinitatis, ſivè in linea recta, ſivè in tranſverſali in quocumque gradu non dirimi Matrimonium jure naturali, ſed ſolummodò Eccleſiaſtico, ad quod Infideles minimè tenentur, niſi ſint Apoſtatæ; ergo hujuſmodi Matrimonium diſſol-

vi

vi non debet ſi uterque Conjux ad Fidem velit converti, vel ſaltem Infidelis manere cum Fideli citra injuriam Creatoris, vel periculum ſubverſionis in altero Conjuge.

727. Ex his ſequitur Infidelem rem habentem cum Concubina Patris, ſeu præfatæ Fœminæ Matre, Filia, aut Sorore, ſi uterque in Infidelitate verſetur, amboque ante Baptiſma copulentur, poſſe in eodem relinqui. Tumquia affinitas non eſt integra, & perfecta, orta quippe ex fornicatione. Tumquia non deſunt Doctores idipſum affirmantes, etiamſi affinitas perfecta diceretur, ut Rebel. Coninch. & Alii apud Laym. lib. 1. Trac. 10. Part. 4. cap. 6.

728. Obji. Indecens eſt jure ipſo naturali Affines conjungi in linea recta, vel tranſverſali conſtitutos, Levit. 18.; igitur jure Naturæ tale Conjugium irritum eſt.

729. Idipſum ex Sacris Canonibus habetur. Nam Cap. *Æqualiter* 35. Quæſt. 3., & cap. 1. de Conſang., & Affin. dicitur, abſtinendum eſſe à Conſanguineis Uxoris, ſicut à propriis: at à propriis ita abſtinendum eſt, ut ſi Conjugium contrahatur, jure ipſo naturali irritum eſt, ſi contrahatur in linea recta, & tranſverſali in primo gradu; ergo etiam ſi contrahatur cum Affinibus in primo gradu in linea recta, & tranſverſali; ergo &c.

730. Reſp. neg. conſeq. Non enim omnis indecentia jure naturali Matrimonium diſſolvit, ſed ea ſolummodo, quæ fini primario, vel ſecundario ejuſdem opponitur, cujuſmodi eſt in omnium ſententia conſanguinitas in linea recta, & probabiliter etiam in tranſverſali in primo gradu, non autem affinitas ſivè in linea recta, ſivè in tranſverſali.

731. Ad conſ. ne. an. Canones enim adducti

ſolummodò probant, Legé Eccleſiaſtica Conjugium ita irritari inter Conſanguineos, ac inter Affines, quod utique verum eſt, non verò, quod jure naturali eodem modo diſſolvatur, alioquin Summus Pontifex numquam in his gradibus diſpenſare poſſet, quod apertè falſum eſt.

QUÆSTIO XIII.

An inter Ethnicos validum ſit Matrimonium Conſanguineorum in linea recta, & in primo gradu tranſverſali?

732. Reſp. Negativè quoad primam, affirmativè quoad ſecundam Partem.

733. Prima Pars, quam tenet Doct. Subtilis 4. Diſt.4. Quæſt. unic. §. *Secundo* cum Diſcipulis ſuis Hiquæo, Baſſolio, Mairone, & è Recentioribus Bellar. Coninch. Meratio, Vaſquez, & Alii, quos refert Maſtr. noſt. 4. Senten. Diſp. 7. de Matrim. Quæſt. 15. art. 1. oſtenditur. Nam quantum ad primum gradum palam eſt, irritum eſſe hujuſmodi Matrimonium: nedum enim ſæviores, & rudiores Nationes, verum etiam Bruta ipſa cum Genitoribus, aut Filiis congredi carnaliter exhorreſcunt: quantum verò ad cæteros gradus Aſcendentium, ac Deſcendentium, patet: nam in quocumque ex iſtis gradibus ſalvatur origo, & participatio Naturæ, & conſequenter honor, & reverentia paterna; ergo oritur quoque impedimentum jure Naturæ, cum in pudore, & reverentia Parentibus debita fundetur ratio, cur non liceat Filiis cum Parentibus miſceri.

734. Deinde Sacri Canones extendebant olim conſanguinitatem uſque ad ſeptimum gradum,

dum, 35. Quæſt. 2. Cap. *Nullum*, & Quæſt.4. Cap. *Conſanguinitas*, licet ob incommoda inde exorta in linea tranſverſali ad quartum coarctaverit; ergo ſupponunt extendi originem uſque ad illos gradus: idcircò enim collaterales uſque ad quartum extenduntur, quia uniuntur in Stipite.

735. Leges quoque Civiles in jure naturali fundatæ impedimentum aſſerunt adeſſe perpetuum, L. *Nuptiæ*, ac L. *Et nihil* ff. de Ritu Nup., quæ quidem à Sacris Canonibus fuerunt approbatæ ex Alexand.III. Cap. *Ad Sedem* 35. Quæſt.5. & Nicolao I. ad Conſul. Bulgar. Cap.39., ubi res in terminis deciditur.

736. Ratio naturalis idipſum ſuadet. Nam præter deformitatem, quæ ex ſemetipſa apparet in hujuſmodi Conjugiis lineæ rectæ, quam etiam ipſimet Infideles agnoſcunt, nulla ex his publica utilitas exurgit, ob quam poſſint cohoneſtari, cum nullum Regnum pacari debeat ex hoc, quod Neptis quindennis cum Avo octuagenario in Matrimonio conjungatur, aut Filia cum ſuò proximo Parente, quidquid in oppoſitum Sanchez cum Aliis dictitaverit. Legatur Hiquæus noſter in commen. ſuper 4. Senten. Scoti Diſt.40. Quæſt. unic. ubi rem verſat eruditè ſimul, & nervosè.

737. Prob. etiam ſecunda Pars, quam tenet Doctor Subtil.4. Diſt.4. Quæſt.unic., quam præter Suos, uno dempto Brancato Diſt.12. de Matrim., amplectuntur S. Bonavent., Alenſis, Cajetanus, Hurtado, & Alii, quos citant Maſtrius noſter, & Sanchez in hac ipſa Quæſt. Tumquia in Mundi exordio Fratres, & Sorores nupſerunt, quin Deus ſibi diſplicere innueret. Tnmquia exemplum habemus in Veteri Teſtamento 2. Reg. 13. 13., ubi Thamar ſe of-

fert Ammon Fratri ſuo ad Nuptias, quin piaculum ullum ſuſpicaretur. Idipſum in more fuiſſe apud Aſſirios, Lucianus Lib. de Sacrif., apud Romanos S. Gregorius Magnus aſſerit reſpon. ad Auguſt. Monach. in Anglia Epiſcopum relat. Cap. *Quadam Lex*, Quæſt. 3. Tumquia diſpar eſt Fratrum, & Sororum æqualiter inter ſe, & ab eodem Stipite deſcendentium, & ad Parentes habitudo: à poſterioribus enim Natura accipitur, quod non contingit inter ſe, & proinde pudor, & reverentia inter Fratres, & Sorores eſt longè inferioris ordinis ab illa, quę cum Parentibus habetur; ergo hujuſmodi propinquitas non dirimit Matrimonium jure Naturæ, ob quam rationem Sanchez, & Layman, etſi adverſi, adhuc putant, ſi adſit conſuetudo, ſervari oportere apud Infideles natos, eorum Conjugia ſuſtinendo jam celebrata.

738. Obji. Contra primam Partem. Avus, & cæteri Aſcendentes nullum influxum habent circa Nepotem, niſi per accidens, quia nimirum Parentem eorum genuerunt, quod inde oſtenditur; eo quia quo magis protenditur linea Deſcendentium, eo magis ejus conjunctio Sanguinis decreſcere videtur; ergo Matrimonium inter ipſos non eſt ipſo jure Naturæ irritum.

739. Reſp. neg. ant. Cum enim Pater illius Naturam ſuam Nepti communicaverit, ex quo caro ſit Patris ſui, eſt quoque caro Avi ſui uſque dum ad primam cauſam deveniatur. Quamvis autem quo magis protenditur conſanguinitas, eo magis conjunctio Sanguinis decreſcere videatur, adeoque & indecentia ſequens, non tamen omnino tollitur: at inducitur alia major ob longiſſimam diſtantiam ætatis ipſorum contrahentium.

740. Obji. Adverſus ſecundam Partem. In-

Innoc. III. Cap. *Gaudemus*, de Divort. decernit, Infideles ad Fidem Orthodoxam converſos, & Matrimonio copulatos in ſecundo, & aliis conſanguinitatis gradibus inferioribus ſeparari non oportere; ergo cenſet ſeparandos in primo. Tumquia Ariſtoteles 1. Politic. cap. 2. aſſerit, turpiſſima eſſe hujuſmodi Conjugia, & D. Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei in Mundi exordio ſolum ad prolem procreandam licuiſſe. Tumquia etiam nunc barbaræ Nationes illa reſpuunt. Tumquia hujuſmodi Conjugia pudorem, & reverentiam in Fratres, & Sorores tollunt, & idcirco Levit. 18. 24. ſeveriſſimè interdicuntur; ergo hujuſmodi Conjugia jure Naturæ ſunt invalida.

741. Ad Primum ex Innoc. III. neg. conſeq. ſolummodò enim ſequitur, noluiſſe Innocentium rem hujuſmodi, quæ in controverſia erat, decidere, & ſanciviſſe in ſecundo, & inferiori conſanguinitatis gradu Infideles poſſe relinqui, quod utique certum erat. Quem morem Pontifices ſequuntur certa in reſponſionibus ſequentes, ab incertis abſtinentes.

742. Ad Secundum dico hujuſmodi Conjugia eſſe quidem turpia: at non eſſe jure Naturę ipſo facto irrita, quod ſanè nec Ariſtoteles, nec S. Auguſtinus dicunt, alioquin neque in exordio Mundi licuiſſent.

743. Ad Tertium reſp. à barbaris quidem Nationibus minime de facto admitti: at non probatur, non poſſe.

744. Ad Ultimum neg. conſeq. Ille enim pudor, qui inter Fratres, & Sorores reperitur, indecentiam quidem continet, non tamen tantam, quanta inter Patrem, & Filiam, aut Matrem, & Filium apparet: prima enim ſtat cum æqualitatę Conjugium ſequente, non ita

ſecunda. Quod verò ex Levit. 18. 24. adducitur, nimis probat, cum eo capite turpes dicantur multi Propinquorum congreſſus, qui tamen jure naturali minimè Conjugia diſſolvunt; alioquin nullam Eccleſię diſpenſationem admitterent, quod falſum apertè eſt. Itaque indecentiam quidem innuunt, quod ultrò concedimus, ſed non eam, quæ jure naturali Matrimonium irritum efficiat.

745. Quæres I. An Infidelis ſuſcepto Baptiſmate, poſſit cum Mulieribus contrahere, quæ ſibi in infidelitate conſanguineæ, aut affines erant?

746. Reſp. Negativè citra diſpenſationem! Conſanguinitas enim, & Affinitas orta ex copula carnali ſaltem licita, ex natura rei naſcitur, non ex præciſo Eccleſiæ Statuto: adeoque permanent etiam poſt Baptiſmum, quo ſuſcepto, ſicuti Eccleſiæ jurisdictioni ſubduntur, ita contrahere nequeunt in illis gradibus, in quibus ab Eccleſia Matrimonium dirimitur, eſto potuiſſent ante Baptiſma in iis, quæ jure naturali Matrimonium nequaquam diſſolvunt, etiamſi cum Fideli contraxiſſent.

747. Quæres II. An inter Infideles oriatur impedimentum publicæ honeſtatis Juſtitiæ?

748. Reſp. neg. Hoc enim impedimentum ex mero Eccleſiæ Decreto exoritur, ad quod Infideles minimè tenentur. Nam ex Sponſalibus puris non oritur vera propinquitas, ſicuti nec verum Matrimonium, cum ex ſola corporum commixtione legitima oriatur vera Sanguinis propinquitas. Convenienter tamen hujuſmodi impedimentum ab Eccleſia introductum eſt, Cap. unic. de Sponſ. in 6. & Cap. *Literas*, de Sponſal. Impub. quod tamen ad primum ſolummodò gradum quoad Sponſalia extenditur, ex Triden.

den. ſeſs.24. cap.3. non verò quoad Matrimonium ratum, in quo Lex Eccleſiæ ipſum uſque ad quartum gradum, ſicut in conſummato protrahit. Quia nimirum ob Matrimonium ſolummodò ratum, vel ob Sponſalia propinquitas quædam inchoata oritur, ob quam impedimentum poneretur, etſi propinquitas ex Matrimonio rato cum vera fiat traditio corporum, major videatur, quam ex Sponſalibus orta, in quibus ſolummodò promiſſio intercedit.

749. Ob eamdem rationem impedimentum cognationis Legalis inter Uxorem Adoptantis, & Adoptatum, ejuſque Deſcendentes, & inter Filios Adoptantis, & Filios Adoptati exurgens, niſi Adoptatus à poteſtate Adoptantis manu mittatur, Cap.unic. de Cognat. Legal. ad Infideles non extenditur, cum à ſola Eccleſia inductum ſit, ad cujus Leges ſervandas Infideles non baptizati nequaquam obſtringuntur.

750. Quæres III. An Infideles, à quibus interdum Infantem baptizari contingit, cognationem ſpiritualem contrahant?

751. Reſp. Negativè. Cum enim non ex natura rei, ſed ex Statuto tantum Eccleſiæ oriatur, ut optimè S. Thom. 4. Diſt.42. art.1. Quæſt.1. in Corp., afficere nequit Infideles Baptiſmo minimè initiatos; & propterea Infidelis, qui ante Baptiſmum Parvulum baptizavit, poſtea cum ipſo poſt Baptiſmum Matrimonium contrahere poteſt, cum Baptiſmus ſequens non convalidet nullitatem impedimenti ante Baptiſmum.

752. Omnia verò hæc intelliguntur de Infidelibus non baptizatis: Apoſtatæ enim, & Hæretici cum, ſuſcepto Baptiſmate, Legibus Eccleſiæ ſubdantur, etiam hujuſmodi impedimentis ſunt irretiti.

QUÆSTIO XIV.

An poſſit contrahi Matrimonium à Catholicis coram Schiſmaticis ad Fidem Orthodoxam occultandam?

753. RESP. Negativè. Ratio eſt: Quia in illa celebratione fit aliqua in Sacris cum Schiſmatici communicatio, quæ mala eſt. Etſi enim Parochus non ſit Matrimonii Miniſter in probabiliori ſententia, Miniſter tamen eſt Sacræ Cæremoniæ, qua Matrimonium in facie Eccleſiæ celebratur, alioquin non Parochus, ſed alius teſtis vocaretur. Fit quippe implicita Schiſmatis proteſtatio, dum advocatur Schiſmaticus Parochus, ut Sacramento veluti legitimus Paſtor aſſiſtat; ergo illicitè advocatur Schiſmaticus, ut Matrimonio adſit Catholicorum contrahentium.

754. Neque Parochus, ut quis objicere poſſet, eſt merus teſtis, ſed verus Miniſter non quidem Sacramenti, quod à contrahentibus celebratur, ſed Cæremoniæ Sacræ, quæ in facie Eccleſiæ, ejuſque nomine, ut legitimè fiat, adhibetur.

QUÆSTIO XV.

An Matrimonium abſque Teſtibus rogatis ſit validum?

755. RESP. Affirmativè. Moveor. Quia juxta Tridentini Decretum ſeſſ. 24. de Refor. Matrim. cap. 1. Teſtes requiruntur præter Parochum, ut fidem faciant de Matrimonio verè contracto: hoc autem facere poſſunt

etſi

etſi non fuerint rogati, ſed ſpontè, aut caſu advenerint, dummodò viſu, & auditu hujuſmodi celebrationem perceperint, quales eſſent Muſici, qui apud aliquas Regiones, dum Matrimonium celebratur, advocari ſolent, ut Sacramenti cantu decorem augeant.

QUÆSTIO XVI.

An licitum ſit Matrimonium Puellæ Catholicæ cum Hæretico, aut Schiſmatico ſub ſpe futuræ converſionis?

756. Reſp. Juſtâ causâ exiſtente, ac datâ legitima cautione, licere; ſecus minimè.

757. Prima Pars oſtenditur. Nam Schiſmaticus, qui neceſſitate coactus converſionem externam differt, & cautione data, pollicetur, non eſt Schiſmaticus, ſed Catholicus; quatenus ad ſe attinet Schiſmati abrenunciat, cum abjuratio externa ſit ſolummodò ſignum internæ converſionis, & fit, ut Eccleſiæ ſatisfiat, & Fides recta exterius quoque oſtendatur; ergo non peccat Puella contrahens, neque Parochus aſſiſtens, cum Matrimonium cum Catholico, non cum Hæretico, aut Schiſmatico celebretur.

758. Idcirco autem exigitur promiſſio ſcripto exarata, ut ſi Sponſus, Matrimonio celebrato, deficiat, poſſit revinci, ac obtineri divortium, vel etiam diſſolvi Matrimonium, ſi conſummatum non fuerit, & Puella velit Solemnem Profeſſionem in Religione approbata emittere.

759. Secunda quoque Pars conſtat. Non enim facienda ſunt mala certa, ut eveniant bona incerta: at conjungi in Matrimonio cum

Hæretico, aut Schiſmatico aſſiſtere Ritu Catholico malum eſt, cum uterque, ſive Puella, ſive Sacerdos peccato alterius cooperetur; ergo utrumque illicitum eſt.

760. Nec ſpes futuræ converſionis juvàt: ſi enim efficaciter vellet Schiſmaticus converti, non differret, cum nullam legitimam ſupponamus cauſam differendi converſionem; ergo non adeſt vera voluntas converſionis; ergo &c.

761. Opponitur, ſpem converſionis futuræ non tollere Hæreſim præſentem, aut Schiſma: illicitum autem eſt Puellæ Catholicæ cum actuali Hæretico, aut Schiſmatico Matrimonium de præſenti contrahere; ergo &c. & Parocho illud approbare; ergo uterque peccat.

762. Reſp Nec Hæreſim, vel Schiſma de præſenti dari in petente Conjugium cum Catholica Virgine, cum paratus ſit Hæreſim, & Schiſma abjurare etiam externè, niſi adeſſet impedimentum, cujus argumentum eſt ſcripta cum jurejurando promiſſio. Si tamen fœdifrage, contracto Matrimonio, propoſitum mutaret, poſſet, ſi Matrimonium eſt ſolummodo ratum, ingredi Religionem, ſi conſummatum, perpetuum petere divortium.

QUÆSTIO XVII.

An validum ſit Matrimonium coram Parocho Schiſmaticho, ſi Catholicus deſit?

763. Reſp. Affirmativè, ut habemus deciſum à S. Rom. Inquiſit. 18. Decembris 1614. apud Pignatel. Tom. 8. Conſul. 62.

764. Ratio eſſe poteſt: Quia Schiſmatici, & Hæretici etſi ob Hæreſim, vel Schiſma Beneficiis, & omni juriſdictione ſint privati, revera

ra tamen, quouſque privationis feratur ſententia, retinent poſſeſſionem, & titulum Beneficii, quod etiam de excommunicato non tolerato aſſerit Sanchez lib.3. de Matrim. Diſp.21.; ergo ſunt veri Parochi, adeoque validè Matrimonio poſſunt aſſiſtere, quin irritum fiat. Qua doctrina cadit objectio, quæ in oppoſitum fieri poſſet.

QUÆSTIO XVIII.

An validum ſit Matrimonium clandeſtinum, ubi publicatio Tridentini ignoratur?

765. RESP. Si in eo loco mos antiquus vigeat Matrimonia nulla celebrandi citra Parochi aſſiſtentiam juxta Cap. *Nos Fratres*, 31. Quæſt. 5. etiamſi publicatio Tridentini ignoretur, aut de ipſa dubitetur, Matrimonium illud cenſendum eſſe invalidum; ſecus, non.

766. Hujuſmodi Aſſertio habetur ex Sacra Congreg. Concilii in una Boſnen. 14. Aprilis 1611. apud Pignatel. Tom. 5. Conſul. 69. ubi de hoc interrogata reſpondit: *Si in ea regione Decretum Concilii Cap.* 1. *Seſſ.* 24. *de Refor. Matrim. obſervari conſuevit, nulla eſſe Matrimonia, in quibus contrahendis Parochus non fuit adhibitus.*

767. Ratio Primæ Partis eſt. Quia ex eadem Congreg. in una Panor. 16. Julii 1611. obſervantia Decreti facit præſumptionem publicationis, cum ſimus in Lege poſitiva; ergo ſi in aliquo loco vigeat obſervantia Decreti Tridentini Matrimonia clandeſtina irritantis, etiamſi ignoretur publicatio Matrimonium clandeſtinè celebratum invalidum cenſendum eſt.

768. Secunda quoque Pars conſtat. Nam

ante Decretum Tridentini Matrimonia clandeſtina valida erant, etſi ſemper in Eccleſia deteſtata; ergo conſtare debet de publicatione Decreti irritantis, cum in dubio jura validitati faveant: at in dubio de publicatione Decreti Tridentini, ejuſdem obſervantia minimè vigente, nulla datur præſumptio, aut argumentum publicationis ejuſdem; ergo ſupponendum eſt non publicatum; adeoque Matrimonium clandeſtinum ſub tali neſcientia, vel dubietate contractum, ut validum ſuſtinendum eſt.

769. Ad argumentum in oppoſitum, nempe Matrimonium illud contra formam Tridentini celebratum eſſe; ergo invalide: ingnorantia enim publicationis, vel ejus dubium nihil ad validitatem facit, ſi reipſa non eſt publicatum, licet excuſet à pœna per Legem inflicta.

770. Reſp. neg. conſeq. Ignorantia enim multum facit. Quamvis enim, ſi Concilium fuerit publicatum, etſi ignoretur, Matrimonium ſit invalidum, præſumptio tamen orta ex obſervantia Decreti facit conſtare de publicatione Decreti; adeoque etiam de Matrimonii invaliditate, quod non contingit, ſtante ſimplici ignorantia, vel dubio, quo ſtante, etſi privatâ ſcientiâ publicatio ſciretur, quia juridicè probari non poteſt, Matrimonium minimè diſſolveretur.

QUÆSTIO XIX.

An liceat Parocho Catholico Schiſmaticorum Conjugiis aſſiſtere?

771. RESP. cogente neceſſitate licere; ſecus, non.

772. Prima Pars ſuadetur. Nam Eccleſia

in

in tali caſu permittit Catholicis nubere cum Hæreticis, aut Schiſmaticis; ergo etiam permittit Parocho in tali caſu aſſiſtere, cum abſque Parocho Matrimonia ex Decreto Tridentini ſint invalida; ergo ſicut licitum eſt ex gravi motivo nubere cum Hæreticis, aut Schiſmaticis, ita licitum eſt Parocho aſſiſtere.

773. Secunda quoque Pars patet. Nam illicitum eſt citra neceſſitatem communicare cum Schiſmaticis, aut Hæreticis in re Sacra; Parochus autem aſſiſtendo Matrimoniis hujuſmodi, communicat citra neceſſitatem in re Sacra cum Sponſis Hæreticis Ritu Sacro, & benedictionem impendendo aſſiſtit, etſi revera Sacramentum nequaquam miniſtret; ergo peccat graviter, ſicuti peccant ipſimet Conjuges contrahendo.

774. Obji. contra ſecundam Partem. Parochus nullam miniſterialem erga hujuſmodi Sacramentum à Conjugibus ipſis miniſtratum actionem exercet; ergo nullatenus peccat.

775. Reſp. neg. conſeq. Delinquit enim graviter non Sacramentum conficiendo, ſed Ritum Sacrum exercendo, & benedictionem Schiſmaticis citra neceſſitatem tribuendo.

776. Quæres, An liceat vocare Teſtes Hæreticos, aut Schiſmaticos, Parocho Catholico Matrimoniis aſſiſtente?

777. *Reſp.* In iis caſibus, quibus licitum eſt contrahere cum Hæreticis, licere quoque Teſtes Schiſmaticos, aut Hæreticos adhibere, ſi Catholici deſint, uti docent Henriquez, Coninch., & Alii, quos citat, & ſequitur Laym. lib.5. par.2. cap.4. Theol. moral. Eoquia Tridentinum nullam facit Teſtium diſtinctionem. Nec refert, Hæreticos, aut Schiſmaticos eſſe infames; in caſu enim favorabili,

qua-

qualis eſt Matrimonialis, etiam inhabiles admittuntur, uti fit in cauſa Fidei, Cap. *In Fidei* de Hæret. in 6. & ſuppletur defectus integritate Parochi, vel conſenſu Partium advocantium, Gloſſ. in Authen. de Teſt. §. *Neque igitur.*

QUÆSTIO XX.

An liceat tranſire pro Matrimonio contrahendo ad Loca, ubi Tridentinum non eſt publicatum?

778. Reſp. Si præciſè fiat tranſitus pro celebrando Matrimonio, non eſſe illud validum: ſi vero Locus, ad quem tranſeunt, ſit Parochia viri, aut Mulieris, poſſe ſuſtineri.

779. Prima Pars patet. Quia Parochia, in qua Matrimonium contractum eſt, non eſt domicilii, ſed ſimplicis, & accidentalis habitationis: ad validitatem autem Matrimonii requiritur, domicilium à Conjugibus fixum fuiſſe, cum Tridentinum requirat proprii Parochi aſſiſtentiam, qui non eſt niſi domicilii, non vero originis, uti firmat Abbas in Cap. *Extirpandæ*, de Præbend. §. *Qui vero*, Archidiac. in Cap. *Ubicumque*, Quæſt.2., & alii apud Pignat. Tom.5. conſul.59.; ergo &c.

780. Alterius, Conjuges hi Matrimonium in fraudem Legis contraxerunt, Locum data opera adeuntes, ubi Tridentinum non eſt publicatum: in iſto autem caſu non valere Matrimonium abſque Parocho, & Teſtibus, etſi Tridentinum publicatum non ſit, Sac. Congreg. Concilii in terminis decidit die 4. Februarii 1580. & adeſt ratio: fraus enim nemini debet patrocinari, de dolo, & contuma. Cap. *Ex Literis*, Cap. *Ex tenore*, de reſcrip.; ergo Conjugium hoc invalidum eſt.

781. Se-

781. Secunda quoque Pars evincitur. Nam Matrimonium celebratum in Parochia Viri, ubi non eſt publicatum Tridentinum, etſi fiat abſque forma Decreti ejuſdem, adhuc validum eſt: Parochus enim Viri, ut à Mulieris Parocho diſtinguitur, Matrimonio aſſiſtere poteſt, ex Sac. Congreg. Concil. in una Tolet. apud Pignatel. Tom. 5. conſul. 79. num. 13., & firmat Sanchez lib. 3. de Matrim. cap. 17. Navar. in Manual. cap. 25.; ergo etiam validum eſt, ſi celebretur in Parochia Mulieris, in qua minimè Decretum Tridentini fuit publicatum, nec videtur ratio, cur potius in Parochia Viri Matrimonium ſit publicatum, quam in Parochia Mulieris, cum in utraque publicatio minimè requiratur, ex Sac. Congreg. præfata apud Pignatel. loc. cit.; ergo Matrimonium hoc validum eſt ſive in Parochia Viri, ſive Mulieris, Tridentino ibidem minimè publicato.

782. Obji. contra primam Partem: Tridentinum requirit ad hoc, ut Decretum ſuum obliget, publicationem Decreti intra dies triginta; ergo validum eſt Matrimonium, ubi non eſt publicatum, etiamſi Conjuges ad Locum illum data opera acceſſerint extra propriam utriuſquè Parochiam, vel proprio Parocho renitente.

783. Reſp. neg. conſeq. Id enim accidit in fraudem Legis, quæ iniquitati minimè patrocinatur; ſi id caſu accidiſſet, utique ſuſtineretur: at minimè, ſi contigit perfidiâ ipſorummet Conjugum, ac Parochi renitentia ex juſtis motivis prodiit.

784. Obji. contra ſecundam Partem. Tridentinum requirit fieri Conjugium coram proprio Parocho; ergo requiritur Parochus utriuſque Conjugis, vel ſaltem ejuſdem conſenſus; ergo

ergo ad validitatem Conjugii non ſufficit celebrari in Parochia alterutrius, ſed requiritur etiam aſſiſtentia, vel licentia alterius Conjugis Parochi.

785. Reſp. neg. conſeq. Tridentinum enim vult unum Parochum adeſſe, ſivè Viri, ſivè Mulieris, ſivè utriuſque, ut ex parte Eccleſiæ aſſiſtat, & teſtificari poſſit de Matrimonio contracto: hunc autem eſſe Eccleſiæ ſenſum, ejuſdem praxis demonſtrat.

786. Petes I. An Advenæ, & Peregrini tranſeuntes per Loca, ubi Tridentinum eſt publicatum, validè Matrimonium abſque Parocho, & Teſtibus contrahant.

787. Reſp. Invalidè contrahere, etſi in Patria ſua Tridentinum non ſit publicatum. Advenæ enim, & Peregrini, tametſi Legibus peculiaribus Locorum, per quæ tranſeunt, minimè obſtringantur, juxta plures Doct., quos congerit Maſt. noſt. Diſp. 2. Quæſt. 4. art. 4. Theol. Moral., tenentur tamen ſtare Legibus dantibus ſolemnitatem contractibus juxta ſtylum Patriæ, per quam tranſeunt; ratione quippe contractus ſortitur quiſque Forum in Loco contractus, Cap. Final. de Foro Compet.: contractus autem Matrimonialis fit in Loco, ubi eſt in uſu ſolemnitas Tridentini, ibidem recepti; ergo contrahentes ſub pœna irritationis ad illam ſolemnitatem tenentur, uti cum multis arbitratur Sanchez de Matrimonio Diſp. 18. num. 10.

788. Secus dicendum eſſet, ſi in Patria Tridentinum ſervaretur, non autem in Locis, per quæ tranſeunt: tunc enim clandeſtinè Matrimonium citra fraudem celebratum, verè ſubſiſteret.

789. Petes II. An Captivi apud Infideles aut

aut Hęreticos valide Matrimonium contrahant absque Parocho, & Teſtibus?

790. Reſp. Captivos apud Infideles non baptizatos validè contrahere, cum ibi Tridentinum nequaquam ſit canonicè promulgatum, quod quidem contingit etiam apud Apoſtatas, qui à longiſſimo tempore ab Eccleſia receſſerunt.

791. Idipſum de Hæreticis dicendum antiquiſſimis; apud enim recentiores facilis eſt de publicatione præſumptio, etſi peccarent contrahentes ſinè Parocho, & Teſtibus, quoties poſſent habere; violarent quippe graviſſimum Eccleſiæ Præceptum.

792. Petes III. An Sacerdote Regulari non Parocho in Locis Miſſionum, ubi Tridentinum publicatum eſt, Matrimonium celebrante, quod differre non valeat, eoquia deeſſet Parochus, nec haberi poſſet licentia ab ipſo, vel Epiſcopo peti, Conjugium eſſet invalidum, aut illicitum.

793. Reſp. Validum eſſe, & licitum. Adeſt quippe licentia Parochi, & Epiſcopi, non quidem expreſſa, ſed rationabiliter præſumpta, quæ ſufficit in caſu noſtro, cum Tridentinum licentiæ qualitatem requiſitam minimè exprimat, ſed in genere loquitur. Sufficere verò præſumptam, colligo, ex eoquia ad miniſtrandam Extremam Unctionem, & Euchariſtiam ægrotis non minùs requiritur licentia Parochi, quam ad Matrimonium, ex Clem. de Privil. & Lateran. V. ſeſs. 11. in Bulla Leonis X. *Dum intra mentis arcana*, cum tamen ſciamus, abſente Parocho, vel ea Sacramenta irrationabiliter renuente conferre, poſſe Regulares eadem in tali caſu miniſtrare, ex Cajet. V. *Excommunicatio* Cap. 64. Henriquez Lib. 5. Cap. 13.

13. Lugo de Sacräm.Euchariſ. Diſp. 18. ſec. 13. alios congerentibus, quia nimirum licentia in tali caſu præſumitur; ergo idipſum de Matrimonio in Locis Miſſionum celebrando.

794. Et profectò durum nimis videtur, & ab Eccleſiæ benignitate alienum, Catholico inter Hæreticos, aut Infideles degente, & periculo gravi incontinentiæ laboranti, vel aliis juſtis motivis ad Matrimonium compulſo, non poſſe illud celebrare ob defectum expreſſæ licentiæ Parochi, aut Epiſcopi difficulter ob diſcrimina mortis inveniendi. Quæ ratio inter Catholicos non militat.

QUÆSTIO XXI.

An Ethnicus ad Fidem Orthodoxam converſus poſſit, Uxore parata converti, vel citra converſionem pacificè inhabitare, Religionem ingredi, atque in ea profiteri?

795. RESP. Non poſſe Neophitum aſſumere ſtatum Regulare, Uxore ſua parata converti; benè verò ſi renuat, etiamſi pacificè velit cohabitare citra injuriam Creatoris.

796. Prima Pars oſtenditur. Nam illicitum eſt ad Religionem convolare, atque in ea profiteri, Conjugio conſummato valido exiſtente, adeout Conjux invitus poſſit alterum Conjugem à Clauſtro revocare, ex Lateran. III. Appen. Tit. de Conjug Cap. 2., & Diſt. Cap. *Feria*, & Cap. *Agathoſa* 27. Quæſt. 2. Conjugium autem conſummatum Infidelium validum eſt, & omnino indiſſolubile, ſi uterque ad Fidem Orthodoxam convertatur, Cap. *Quanto*, de Divor.; ergo, ſi velit alter Conjux converti, qui

qui prior converſus eſt, ad Religionem tranſire non poteſt, ſicuti nec aliud contrahere Matrimonium.

797. Secunda quoque Pars probatur, quam tenent Sanchez, Coninch. Diana, & Alii apud Maſtrium noſt. Diſp. 1. Quæſt. 6. art. de Matrim. Nam etſi Uxor Infidelis ſit parata convivere abſque injuria Creatoris, & perverſione alterius Conjugis, adhuc tamen Infidelis perſeverat; ergo, ſicut probabiliter Viro converſo alteri Mulieri Fideli nubere fas eſt, ex Innocentio III. Cap. *Gaudemus* de Divor; ita licebit eidem ingredi Religionem, ibique ſolemnem emittere Profeſſionem. Hoc quippe Fidei privilegium eſt, ne Fideles cum Infidelibus miſceri compellantur, quod diſplicebat valdè Apoſtolo 2. Cor. 6.

798. Obji. contra primam Partem. Tum quia nolente Uxore converti ab Infidelitate, Matrimonium non eſt ratum, & ſcindi poteſt nubendo alteri Mulieri, 28. Quæſt. 2. Cap. *ſi Infidelis*; ergo etiam Uxore non adhuc converſa, etſi parata converti, idipſum licebit; ergo etiam nubere poteſt Deo alter Conjux per ſolemnem Profeſſionem. Tum quia Matrimonium ratum non conſummatum diſſolvitur ingrediendo Religionem, atque in ea profitendo, ex Triden. ſeſs. 24. cap. 6.; ergo eadem Profeſſione ſolemni diſſolvi poteſt Conjugium Infidelis converſi; Matrimonium quippe Fidelium ſtrictius vinculum eſt, Matrimonio Infidelium, quod eſt ſimplex contractus civilis.

799. Ad primum in oppoſitum negatur ſecunda conſeq. Nam ſi Conjux velit converti, tollitur impedimentum, nempe Fidei diverſitas; habitaque converſione, ac recepto Baptiſmate, Matrimonium fit omnino indiſſolubile:

bile: quo circa fit injuria Uxori Religionem amplectendo, dum, ſtante converſione, nullum eſt motivum ab illa diſcedendi: Textus autem allatus Cap. *ſi Infidelis*, loquitur de Muliere in Infidelitate manente, non autem de converſa, aut parata ad converſionem.

800. Ad ſecundum neg. conſeq. Quamvis enim Conjugium Fidelium ratum ſit Sacramentum, & unionem Chriſti cum ſua Eccleſia repræſentet, non tamen ita firmum eſt ut conſummatum, præfatam conjunctionem Chriſti perfectè repræſentans, ut optimè Innoc. III. Cap. *Debitum* de Bigam. Hinc Matrimonium ſolummodo ratum, non verò conſummatum ex diſpenſatione Romani Pontificis diſſolvi ex graviſsima cauſa poteſt, ex Poncio, Maſtrio, Hiquæo, Brancato ex noſtris, ac multis Recentioribus apud Sanchez Lib. 12. de Matrimonio Diſp. 14.; diſſolutione enim Conjugii tantum rati, nemini fit injuria, non adhuc corporum ſumpta poſſeſsione, & in ſua puritate manentium: bene verò diſſolutione Matrimonii conſummati.

801. Obji. contrà ſecundam Partem. D. Paulus 1. Cor. 7. 12. præcipit Fideli, ne ab Infideli Conjuge diſcedat, inquit enim: *Si quis Frater Uxorem habet Infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Idipſum dicitur ibidem v. 14. Uxori reſpectu Mariti, & adducit rationem, quia nimirum: *Sanctificatus eſt Vir Infidelis per Mulierem Fidelem, & ſanctificata eſt Mulier Infidelis per Virum Fidelem*; ergo, volente uno Conjuge pacificè habitare, nequit alter ad Religionem tranſire.

802. Ulterius Innoc. III. Cap. *Quanto*, de Divor. diverſitatem ſolummodò Fidei, aut

con-

contumeliam Creatoris ponit pro motivo diſſolvendi Matrimonium Infidelium: at in caſu noſtro neutrum ex his motivis adeſt, cum Uxor Infidelis abſque contumelia Creatoris ſit parata inhabitare; ergo Matrimonium ſubſiſtit, ac proinde Vir ad Religionem tranſire nequit, invita Uxore, ut plerique tenent apud Dianam reſol. 253.

803. Reſp. neg. conſeq. D. enim Paulus loc. cit. ſolummodò poteſtatem Conjugi converſo tribuit manendi cum Infideli, ſi pacificè velit cohabitare propter rationem in Argumento adductam, non vero præcipit cohabitare, dummodo reipſa converti non velit: ſubdit enim Paulus 1. Cor. 7. 15. *Quod ſi Infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti ſubjectus eſt Frater, aut Soror in hujuſmodi*; ergo ſicuti non tenetur ſecum in Conjugio manere, ex Auguſ. relat. 28. Quæſt. 1. Cap. *Si enim*, ita tranſire quoque ad Religionem poteſt.

804. Innocentius autem III. intelligendus eſt non modo de injuria explicita, ſed etiam implicita Creatoris, qualis eſt nolle converti ad Fidem Orthodoxam, ad hoc ut Matrimonium diſſolvi queat, etſi requiratur neceſſario explicita, ut Conjux Fidelis ab Infideli diſcedere compellatur, ut habetur ex Ambroſ. cit. Cap. *Si Infidelis* 28. Quæſt. 2. ait enim: *Qui in Infidelitate perſeverat, non debetur ei reverentia Conjugis, qui horret Authorem Conjugii*.

QUÆ

QUÆSTIO XXII.

An ſi Infidelis ante Baptiſmum, habitis Sponſalibus, & copula carnali cum Muliere Infideli, ſuſcepto Baptiſmate nubat alteri Fideli, Matrimonium hoc validum ſit?

805. RESP. Affirmativè cum Brancat. noſt. de Matrim. Diſp. 13. art. 9. Ratio autem eſt: Nam Conjugium hoc conſtat Materia, & Forma, nempe conſenſu Conjugum ſenſibiliter expreſſo, mutuoque acceptato, quo Matrimonium efficitur Lege Divina, de Sponſal. Cap. *Tuæ Fraternitati*, & quidem coram Parocho, & Teſtibus jure humano, Trident. ſeſs. 24. de Refor. Matrim. Cap. 1.; ergo eſt verum, & proprium Matrimonium, non præſumptivè tantummodò, ſed verè, & perfectè: tumquia copula carnalis adjuncta Sponſalibus, etſi verum Matrimonium eſſet, cum tamen in caſu noſtro inter Infideles verſetur, non eſt ratum, & proinde à poſteriori inter Fideles faciliùs proſcindendum.

806. Obji. Sponſalia cum copula carnali tranſeunt in verum, & proprium Matrimonium; copula enim æquivalet conſenſui de præſenti, cum ſupponatur ex affectu maritali poſt Sponſalia prodiiſſe, de Sponſal. Cap. 15. *Qui Fidem*: Matrimonium autem hoc, quod ante Baptiſmum ratum non erat, per ſubſequens Baptiſma ratum factum eſt; ergo validum erat, adeoque ſecundum Matrimonium eſt omnino irritum, cum ſupponat aliud validum.

807. Reſp. Majorem eſſe falſam. Etſi enim ante Tridentinum Sponſalia cum copula carnali verum cenſeretur Matrimonium ob præſum-

ſumptionem conſenſus mutui maritalis exterius expreſſi, qui ratione copulæ poſt Sponſalia ſupponebantur accedere, poſt tamen ipſum hujuſmodi ceſſat præſumptio: Concilium enim requirit verum, & proprium conſenſum ex utraque parte exterius elicitum, qui ſanè priùs non præſtabatur, niſi æquivocè, & præſumptivè. Minor quoque Argumenti incerta eſt, Matrimonia nimirum Infidelium ob præciſam Baptiſmi ſuſceptionem rata fieri; plures enim graviſſimi Doctores, quos dat Sanchez Lib. 2. de Matrim. Diſp. 9., & Maſt. noſt. 4. Senten. Diſp. 7. Quæſt. 1. art. 3. Dub. 2. exiſtimant, vel nullo modo fieri poſſe Sacramentum; vel ſaltem novum contractum requiri de præſenti, integram verò Matrimonii indiſſolubilitatem non ex Sacramento oriri, ſed ex ipſamet natura Conjugii: converſionem autem ad Fidem tollere ſolummodò impedimentum plenæ indiſſolubilitatis, nempe Infidelitatem, qua ſtante, nolebat Deus in favorem Fidei, Conjugium eſſe omninò indiſſolubile.

QUÆSTIO XXIII.

An Catechumeno nubente Mulieri Catechumenæ nolenti citra injuriam Creatoris cum ipſo vivere, habitoque ab ipſa Filio, ſuſcepto Baptiſmo, alteram baptizatam ducente, primum, vel ſecundum Matrimonium ſubſiſtat?

808. RESp. ſecundum ſubſiſtere, non primum. Ducor. Quia Matrimonium inter Infideles nec omnino indiſſolubile, nec Sacramentum eſt, Cap. *Gaudemus*, de Divor. Catechumeni verò non adhuc Baptiſmate initiati, verè Infideles ſunt, cum non adhuc perfectè

ſectè credant, nec Eccleſiæ Fidelium aggregati, nec Baptiſmum, qui eſt Fidei ſolemnis Profeſſio, quoque Chriſtum etiam exteriùs induunt, ſuſceperunt; ergo Conjugium illud primum non omnino indiſſolúbile erat; ergo, recedente Uxore à Baptiſmo, & alia ſuſcepta Fideli, poſterius Conjugium validum eſt, & omnino indiſſolubile, cum revera inter Fideles baptizatos ſit celebratum.

809. Oppones. Catechumeni Chriſti Religionem colentes ſunt Fideles; ergo Conjugium inter ipſos celebratum eſt omnino indiſſolubile; adeoque ſecundum Conjugium eſt irritum, & inane. Nec obſtat, à Catechumena Maritum Catechumenum fuiſſe deſertum: nam etiam Baptizatæ Viros, & Fidem Orthodoxam relinquunt, nec tamen Matrimonium diſſolvitur, ex Triden. ſeſs. 24. Can. 5.

810. Reſp. Catechumenos, quantumvis juſtificatos, etſi credentes, non eſſe verè Fideles, & corpori Eccleſiæ inſertos; ad hoc enim requiritur, quod verè, non autem ſolummodò in voto Baptiſmum ſuſcipiant, cum Baptiſmate careant, quod eſt Fidei Teſſera, neque ut tales agnoſci ab Eccleſia; adeoque nec eorum Conjugia ſunt omnino indiſſolubilia, quod ſanè de Baptizatis dici nequit, etſi Fidem Orthodoxam deſeruerint.

QUÆ-

QUÆSTIO XXIV.

An Matrimonium Hæretici Latini cum Muliere Græca coram ſimplici Græco Presbytero celebratum ſit validum?

811. RESp. Si apud Urbem Mulieris Græcæ Tridentinum minimè ſit publicatum, vel facultatem à Parocho ſuo habuit nubendi, mediante Presbytero, Matrimonium hoc eſſe validum.

812. Prima Pars patet. Nam ubi Tridentinum non eſt promulgatum, Matrimonium manet in eo ſtatu, in quo erat ante ipſum: ante autem ipſum Matrimonia clandeſtina valida erant, ex ipſomet Triden. ſeſs. 24. Cap. 1. ergo, ſi in Loco, ubi Hæreticus Latinus nubit Mulieri Græcæ, præfatum Concilium non eſt promulgatum, hujuſmodi Conjugium validum eſt.

813. Secunda quoque Pars liquet. Nam ad validitatem Matrimonii requiritur ex præfato Tridentino loc. cit. præſentia Parochi, aut alterius Sacerdotis de licentia ejuſdem; ergo ſi Parochus Græcus ſimplici alteri Presbytero facultatem præbuit Matrimonio aſſiſtendi, ſi cætera non deſint, etſi Tridentinum fuerit ibi promulgatum, adhuc illud Conjugium validum eſt, quamvis Epiſcopus id prohibuiſſet ſivè Parocho, ſivè Sacerdoti illi, cum hujuſmodi authoritas in dignitate Parochi fundetur, quam Epiſcopus tollere nequit, & ita decidit Fagnan. in Cap. *Litteræ*, de Matrim. Contrac. contr. Interdic. Eccleſ.

814. Si autem Tridentinum fuerit quidem promulgatum, ſed non acceptatum, adhuc

Lex Matrimonia clandeſtinà annullans ſuſtinetur, cum annullatio hæc à poteſtate Eccleſiæ prodierit in utilitatem publicam; adeoque acceptatione non indiget.

315. Nec officit hujuſmodi Conjugium Mulieris Catholicæ Græcæ cum Hæretico vetitum eſſe: hæc enim Matrimonia interdicuntur quidem ab Eccleſia, non tamen irritantur, ſicuti irritantur Conjugia cum Infidelibus ex praxi, & conſuetudine Eccleſiæ inhabilitatem inducente, ut optimè Subtil. 4. Diſt. 39. Quæſt. unic.

QUÆSTIO XXV.

An Matrimonium in Locis Hæreticorum, aut Infidelium coram tribus Teſtibus, abſque Parocho ob metum perſecutionis abſente, celebratum, ſit validum?

816. Reſp. Affirmativè cum Laym. Lib. 3. Trac. 10. Par. 2. Cap. 4. n. 7. Chapeaville Cap. 6. Quæſt. 16. Habemus hoc in terminis à Sac. Congregatione Concilii deciſum 1663. apud Paſtoral. Miſſionar. Trac. 13. de Matrim. art. 2. ubi Decretum ipſum exhibetur.

817. Ratio autem eſſe poteſt. Quia Catholicis inter Hæreticos, aut Infideles degentibus veriſimile non eſt noluiſſe Tridentinum proſpicere, & Matrimonium omnino denegaſſe, nedum ad prolis procreationem, verum etiam in remedium incontinentiæ à Chriſto Domino inſtitutum, etſi ſecundariò, & ex indulgentia ex 1.Cor.7.6. ac docent Sanctus Bona.4. Diſt. 26. Par. 7. Quæſt. 1. Doct. Subtil. 4. Diſt. 26. Quæſt. unic. cum Diſcipulis ſuis; ergo ſivè

abſint

abſiat Parochus, Epiſcopus, aut Vicarius, à quibus licentia petatur, ſivè ita lateant, ut inveniri non poſſint, adhuc Matrimonium validum eſt, cum ſubſtantialia interſint, nempe utriuſque Conjugis expreſſus conſenſus, nec ſolemnitate careat ad ipſum Conjugium probandum neceſſaria, ideſt duobus, vel tribus Teſtibus idoneis.

818. Obji. Hujuſmodi Matrimonio deeſſe Formam ſubſtantialem appoſitam à Tridentino cum particula irritante, nempe præſentiam Parochi, vel alterius de ejus licentia; ergo, etſi cogat neceſſitas, adhuc illud Matrimonium irritum eſt, cum etiam inter Catholicos interdum Parochus, & Epiſcopus inveniri nequaquam poſſint, nec propterea Matrimonia clandeſtina validè fiunt.

819. Reſp. neg. ant. Quamvis enim deſit Parochus aut alius de ipſius licentia, adeſt tamen Forma ſubſtantialis à Concilio intenta ex parte Eccleſiæ, nempe Teſtes, quibus tollitur Conjugii clandeſtinitas, cum per ipſos optimè poſſit probari. Idcirco autem inter Catholicos abſentia Parochi, aut Epiſcopi, à quibus facultas petatur, Conjugium non ſanat, quia merè per accidens eſt, quod ſanè inter Ethnicos, aut Hæreticos nequaquam dici poteſt, nam aut nulli ſunt erecti Epiſcopatus, vel Parochiæ, aut omnino vaſtati, aut extincti, Parochique, & Epiſcopi expulſi, ſolique latenter manent Apoſtolici Miſſionarii in ærumnis vitam protrahentes.

QUÆSTIO XXVI.

An Matrimonium Ethnici carnaliter Filiam Uxoris ſuæ ex alio Conjuge ſuſceptam cognoſcentis, ſi ab eodem, interfecta Uxore, ut Filiam ſumeret, eam ſibi Conjugio copulet, cum ſeparari nolint, ſuſtineri queat, ut ad Baptiſmum admittantur?

820. RESp. Poſſe ſuſtineri, Conjugeſque ad Baptiſmum admitti, etſi nolentes ſeparari. Ducor. Nam omnia Conjugia Infidelium valida ſunt, quæ jure Divino, aut naturali minimè dirimuntur, etſi Eccleſiæ Decretis ſint interdicta: Cap. *Gaudemus*, de Divor. at nullum ex impedimentis adverſus præfatum Matrimonium objicibilibus illud dirimit jure naturali, aut Divino: non quidem occiſio Uxoris animo nubendi Adulteræ; hoc quippe merè Eccleſiaſticum impedimentum eſt, ex S.Th. 4. Diſt.35. Quæſt.1. art.2., Doct. Subtil. 4.Diſt. 35. Quæſt. unic. §. *Tertium*, nec S. Bonav. refragatur ibidem Par.2. Quæſt.2. Non Inceſtus: ille quippe inducit ſolummodò affinitatem cum Matre, adeoque impedimentum ipſam ducendi, non verò Filiam, cum qua Vir adulteratus eſt: non Affinitas in primo gradu in linea Deſcendentium: hæc enim, etſi jure Divino in Lege Veteri Matrimonium dirimeret, non tamen jure novo Evangelico, cum nullus Textus adduci poſſit, ex quo evidenter deducatur: non jure naturali; nam etſi impediat contrahendum inter Fideles, non tamen dirimit contractum inter Infideles, ex Doct. Subtil. 4. Diſt.41. Quæſt. Unic. §. *Ad Quæſtionem*, & firmat expreſsè Aurelian. III. cap.10. ubi in terminis res deciditur;

tur; ergó eum Conjugium hoc non ſit jure naturali, aut Evangelico irritum in caſu propoſito ſuſtinendum eſt ut validum.

821. Secunda quoque Pars eſt perſpicua. Nam nolentes ab hoc Matrimonio reſilire, nequaquam ſunt ad Baptiſmum indiſpoſiti; ergo tametſi ſeparari nolint, adhuc ad Baptiſmum ſunt admittendi.

822. Obji. Impedimentum criminis, non tantum impedit contrahendum, ſed etiam dirimit contractum Conjugium, Cap. *Laudabilem* de Converſ. Infidel. & Affinitas in linea recta jure Naturæ videtur Matrimonium dirimere 3. Quæſt. 10. Cap. *Si qua Mulier*; ergo, niſi velint ſeparari, admitti ad Baptiſmum nequeunt hujuſmodi Conjuges, cum Matrimonium illud jure naturali irritum ſit.

823. Reſp. Canones hujuſmodi impedimenta inducentes criminis, & affinitatis, obſtringere Chriſtianos, non autem Infideles non baptizatos, ac proinde inter eos contractum nequaquam dirimere Matrimonium: quamvis enim aliquam turpitudinem inducant, non tamen ipſo jure naturali ea Conjugia efficiunt invalida, niſi in caſu, quo unus ex Contrahentibus eſſet Apoſtata baptizatus, & idcirco Legibus Eccleſiæ ſubjectus, quo caſu ſeparari deberent, Cap. *Laudabilem*, de Converſ. Conjugat.

QUÆSTIO XXVII.

An Matrimonium inter duos Chriſtifideles celebratum, ſtante metu perſecutionis, abſque Teſtibus, cum ſoli Infideles vocari poſſent, ſit validum?

824. RESP. Conjugium hoc eſſe invalidum, niſi Miſſionarius, & Socius ipſius gerant vicem Teſtis.

825. Prima Pars eſt certa. Nam Triden. ſeſs.24. cap.1. de Reform. Matrim. ad Matrimonii validitatem Parochi ſimul, & Teſtium præſentiam requirit: Sac. autem Congreg. Concilii Quæſt.25. adducta, tametſi Parochi præſentiam in Locis Miſſionum non cenſeat omnino neceſſariam, poſtulat tamen ſaltem duorum Teſtium præſentiam; ergo in nullo caſu validum eſt abſque Teſtibus celebratum Matrimonium.

826. Secunda quoque Pars oſtenditur. Nam Miſſionario, ac ejuſdem Socio Teſtium vicem gerentibus, ut à Parocho contradiſtinguuntur, ac Conjugio aſſiſtentibus, ſi alii deſint, menti Sac. Congregationis ſatisfit, duos ſaltem Teſtes in Locis Miſſionum, ubi Parochus latet, requirentis; ergo in tali caſu Matrimonium validum erit, non verò quando Miſſionarius Parochi vicem gerit, cum Parochus à Teſtibus ex mente Concilii omnino diſtingui debeat; niſi aliud Sacra ipſa Congregatio declaraverit.

827. Obji. Matrimonium coram ſolo Parocho celebratum non eſt clandeſtinum: coram enim publica Poteſtate celebratum eſt.

828. Confir. Sac. cit. Congreg. permittit coram duobus Teſtibus in Locis Miſſionum, abſque

abſque Parocho Matrimonium celebrari ; ergo etiam permittit coram Parocho abſque Teſtibus : nam æquè publicum eſt Conjugium coram Parocho, qui Eccleſiam ipſam repræſentat, & aliorum Sacramentorum probat juridicè collationem, quam coram duobus Teſtibus, qui gerunt vicem Perſonæ privatæ.

829. Reſp. Tale Matrimonium in ſenſu Tridentini clandeſtinum eſſe, non ſolam Parochi, ſed etiam Teſtium præſentiam requirentis, ut juridicè probari queat, etſi in alio ſenſu aliquo pacto dici poſſit publicum publici Miniſtri authoritate firmatum.

830. Ad Confir. neg. conſeq. Nam Parochus ſe habet, non ut Teſtis, ſed ut Miniſter Sacramenti : Teſtes verò ſe habent ut extranei Sacramento, & propterea requiruntur à Tridentino ad probationem Matrimonii contracti coram Parocho, qui Teſtis quidem eſſe poteſt, & quidem omni exceptione major, uti in Baptiſmo, cæteriſque Sacramentis contingit; at quia aliquo pacto Matrimonium ipſum ingreditur, idcirco ultra ipſum Teſtes à Tridentino requiruntur, ut omni fraudi ſceleſtorum hominum occurratur per evidentiſsimam probationem.

QUÆSTIO XXVIII.

An Matrimonium clandeſtinum contractum à Vago ubi Tridentinum publicatum eſt, coram Miſſionario, ſed inconſulto Vicario Apoſtolico, invalidum ſit, & illi aſſiſtens lethaliter delinquat?

831. Reſp. Quoad utramque Partem affirmativè.

832. Prima Pars, quam tenet Brancat.

noſt. de Matrim. Diſp.22. art.5. evincitur. Nam Vagi legibus obſtringuntur Locorum, per quæ tranſeunt, dantibus ibidem contractibus ſolemnitatem, & validitatem, ſicut privilegiis gaudent, ut optimè Sanchez lib.3. de Matrim. Diſp.18., & deducitur clarè ex Cap. Final. de Foro Compet. ubi habetur, neminem ſortiri Forum in aliquo Loco, niſi ratione domicilii, delicti, aut contractus: hinc ſervare tenentur rerum venalium pretia, cæteraque omnia, quæ pro Reipublicæ tranquillitate ſancita ſunt, alioquin poſſent ubique peccare impunè: præſentia autem Parochi, & Teſtium, ſtante publicatione Tridentini, eſt quædam ſolemnitas, quæ dat vim contractui Matrimoniali, itaut citra ipſam eſſet omnino invalidus, adeoque ad ipſius obſervantiam tenentur; ergo, ſi Matrimonium abſque Parocho, & Teſtibus contrahant, invalidum omnino dicendum eſt.

833. Ulterius Tridentinum loc. cit. rigidè Parochis præcipit, ne facilè Vagos ad Conjugium admittant, niſi priùs eorum qualitates, ſtatum, & conditionem diligenti examine inveſtigaverint: hoc autem fruſtra fieret, ſi Matrimonia clandeſtina eſſent valida, ubi Concilium eſt promulgatum; ergo ex mente Concilii ipſi quoque in decreto fuere comprehenſi, imò præcipuè intenti.

834. Deinde Vagi Parocho ſubduntur, quem elegerunt in cæteris Sacramentis; ergo ipſi quoque ſubduntur ratione Matrimonii relate ad Locum, per quem tranſeunt; ergo abſque ſolemnitate Diœceſis, per quam tranſeunt, Matrimonium eorum irritum eſt, ſi in ea Tridentinum ſit publicatum, cujus Lex omnes Fideles obſtringit, cum ſit Oecumenicæ Synodi neminem excipientis, omnia Conjugia abſ-

que

que Parocho, & Teſtibus, ubicumque fuerit promulgata, proſcribentis.

835. Secunda quoque Pars conſtat ex Textu Concilii ſeſs.24. cap.7. de Reform. Matrim. ubi graviter Parochis injungit, ne Vagos admittant ad Matrimonium, neque illi interſint, Ordinario inconſulto, ob graviſſima motiva, quæ ibi adducit. Quoties autem Lex etiam humana materiam gravem tangit, obligat ſub mortali, ex communi apud Sanchez lib. 1. Oper. Moral. cap.4. num.4.; ergo graviter delinquunt Parochi Vagorum Matrimonia admittentes, Ordinariis inconſultis; ergo lethaliter, quoque delinquunt Apoſtolici Miſſionarii Vagos admittentes ad Matrimonia, Vicario Apoſtolico inconſulto.

836. Obji. Contra primam Partem. Vagi Legibus determinati Loci, per quem tranſeunt nequaquam obſtringuntur; ergo neque tenentur Lege Tridentini propria illius Loci, in quo promulgatum eſt, adeoque Matrimonium clandeſtinum Vagi ſubſiſtit.

837. Reſp. Ant. eſſe incertum cum Suarez, Salas, Lorca, & Alii apud Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp.7. Quæſt.4. art.4. num.121 oppoſitum ſentiant. Cęterum neg. conſeq. Nam Lex Triden. non eſt peculiaris illius Loci per quem Vagus tranſit, ſed univerſalis Eccleſiæ, & ideo præciſè alicubi non obligat, quia non eſt promulgata: hoc autem impedimentum ceſſat in Loco, ubi Vagus Matrimonium contrahere intendit, ſtante ibi authentica publicatione, & viridi obſervantia, qua manente, Conjugium illud invalidum eſt.

338. Obji. Contra ſecundam Partem. Vagi eligere queunt Parochum, quem maluerint in Sacramentis ſuſcipiendis apud Baſil. Ponce de

Imped. Matrim. cap. 26.; ergo etiam quoad Conjugium celebrandum; ergo ſicut in cæteris Sacramentis miniſtrandis non opus eſt peculiari Epiſcopi facultate, ita nec apud Miſſiones opus eſt pro Matrimonio celebrando authoritate Vicarii Apoſtolici.

839. Confir. Tridentinum ſeſs. 24. cap. 4. ubi præcipit Parochis, ne Vagorum Matrimonia citra ſcitum Epiſcopi celebrare audeant, nullam tranſgreſſoribus pœnam imponit; ergo nullum in tranſgreſſione adeſt lethale peccatum, ex pœnæ enim taxatione colligitur, an Legiſlator ſub mortali obſtringere voluerit.

840. Reſp. neg. conſeq. adeſt enim ratio peculiaris in Matrimonio, cur celebrari nequeat, Epiſcopo inconſulto, ne ſcilicet homines ignoti ſub ſpecie Matrimonii contrahendi, vivente prima Uxore, aliam ſumant, & ſic Poligamiſmus ſenſim inducatur. At ſi Vagus eſſet notus Parocho, & Incolis Loci, ubi Matrimonium celebrandum eſt; aſſerit Coninch. Tom. 2. de Sacram. cap. 26. non opus eſſe Epiſcopo Conjugium ſignificari, fine Legis ceſſante.

841. Ad Confir. neg. conſeq. Etſi enim ex gravitate pœnæ impoſitæ arguatur mens Legiſlatoris obſtringere ſub peccato volentis: attamen ex negatione pœnæ non arguitur negatio voluntatis obligandi ſub peccato, cum ex verbis ipſis, & ratione, ac motivo Legem condendi, poſſit innoteſcere, ex Sanchez lib. 6. Quæſt. Moral. cap. 4., & Maſt. noſt. Theol. Moral. Diſp. 2. Quæſt. 5. art. 2. Motivum autem Legis Tridentini exigentis facultatem Epiſcopi pro Matrimoniis Vagorum celebrandis, graviſſimum eſt, ne ſcilicet plures Uxores uni Viro copulentur, etiamſi ſolus Vir ſit Vagus.

QUÆ-

QUÆSTIO XXIX.

An, ubi Tridentinum non eſt promulgatum, Sponſis nolentibus coram Parocho Matrimonium contrahere, atque ab eo Benedictionem accipere, poſſit Miſſionarius Abſolutionem impendere Sacramentalem quouſque reſipiſcant?

842. Reſp. Non poſſe. Ducor. Quia Sponſi hujuſmodi ſunt indiſpoſiti: verſantur quippe in actuali peccandi voluntate, nolentes Decretis Eccleſiæ obtemperare clandeſtina Conjugia ſeveriſſimè vetantis, ut patet ex Lateran. III. Part. 5. cap. 13., ex Later. IV. cap. 51. Londin. I. cap. 21. Tolet. XXII. cap. 17.; ergo incapaces ſunt Sacramentalis Abſolutionis, & veluti Ethnici, & Publicani merentur ab Eccleſia repelli.

843. Obji. Ubi non eſt publicatum Tridentinum Fideles non tenentur Legi ipſius clandeſtina Conjugia annullantis; ergo non peccant clandeſtinè contrahendo; ergo neque peccant nolentes ſe Parocho ſiſtere ad Conjugium celebrandum; adeoque malè à Sacramentis repelluntur.

844. Reſp. neg. ant. Tenentur enim non ſolum vigore aliorum Eccleſiæ Decretorum, ſed etiam ipſiuſmet Tridentini, qui cæteras Leges Eccleſię minimè abrogavit, ſed ſolummodo addidit contractui nullitatem, quæ antea non habebatur. Itaque clandeſtina Matrimonia, ubi Tridentinum non eſt promulgatum, valida quidem ſunt, ſed illicita. Objectio convincit ſolummodò, hujuſmodi Conjuges valide feciſſe, non tamen licitè, quod utique conceditur.

QUÆSTIO XXX.

An Matrimonium in Locis Miſſionum, ubi Tridentinum eſt promulgatum, ſine præviis publicis denuntiationibus celebratum, ſit validum, & licitum?

845. RESP. Validum eſſe, non tamen licitum, niſi in caſu, quo non eſſet ad Epiſcopum acceſſus, & graves urgerent cauſæ omittendi. Quoad primam, & ſecundam Partem, eſt communis: tertia verò eſt Sanchez lib. 3. de Matrim. Diſp.10. num.3.

846. Prima Pars patet. Nam Tridentinum, à quo ex profeſſo agitur de clandeſtinis Conjugiis, ut eorum incommodis occurreret, nullam continet invaliditatem in hujuſmodi omiſsione. Non enim ex natura contractûs Matrimonialis provenit, cum abſque ipſis inter Infideles ſubſiſtat. Neque ex ratione Sacramenti: Chriſtus enim Dominus Conjugii ut Sacramenti Inſtitutor eas minimè appoſuit, ſed ſolummodò contractum civilem extulit ad dignitatem Sacramenti. Neque ab Eccleſia: nam ante Lateran. IV. eſſe in uſu non videbantur: ipſum verò præcipit quidem eas præmitti, non tamen declarat, Conjugium irritum fore, ſi ſecus fiat: Tridentinum verò de Refor. Matrim. cap.1. Lateranenſis Decreta renovans irritat quidem Matrimonia abſque Parocho, & Teſtibus celebrata, non tamen abſque denuntiationibus; ipſas quippe prudentiæ Epiſcopi relinquit præſcribendas, vel omitti permittendas; ergo denuntiationes ad validitatem Matrimonii minimè ſunt neceſſariæ, uti à Sac. Congreg. Concil. 23. Februar. 1630. in una Me-

Mediolan. declaratum eſt apud Sellicum in Se-lec. Canonic. cap. 16. num. 16.

847. Secunda Pars ita ſuadetur. Mandata Eccleſiæ Univerſalis in materia gravi ſub lethali obſtringunt, Clem. de Hæret. Cap. *Ad Noſtram*: ipſa verò tam in Lateran. IV. cap. 5., quam in Triden. ſeſs. 24. cap. 1. de Refor. Matrim. graviter præcepit, hujuſmodi fieri denuntiationes; ergo cum ſimus in materia graviſsima, ne ſcilicet Conjugia celebrentur invalida ob impedimentum dirimens, quod interdum latere poteſt, illicitum eſt Parochis, aut Parochialia exercentibus citra magnam cauſam illas omittere, omittenteſque lethaliter delinquunt; exponunt quippe Sacramentum periculo fruſtrationis, & in utroque Conjuge diuturni concubinatus.

848. Tertia denique Pars oſtenditur. Quidquid in oppoſitum Brancat. noſt. reclamet Diſp. 22. de Matrim. art. 18. Nam de Eccleſiæ pietate non eſt præſumendum, velle neceſsitati urgenti occurrere, remedium præſcribendo phyſicè, aut moraliter impoſsibile: at in Locis Miſsionum multoties aut nullus eſt Epiſcopus, à quo peti diſpenſatio queat, aut ad ipſum dari acceſſus moraliter nequit; ergo in tali caſu ceſſat obligatio, aut licebit Miſsionario, vel Parocho ex præſumpta diſpenſatione eas omittere.

849. Obji. Contra primam Partem. Clandeſtina Conjugia ſunt invalida poſt Tridentinum: at celebrata citra denuntiationes clandeſtina ſunt; & propterea fuerunt imperatæ Lateran. IV. Cap *Si Inhibitio*; ergo abſque ipſis Conjugium invalidum eſt: *Quæ enim contra jus fiunt, utique pro infectis habentur*, de Reg. Jur. in 6.

850. Confirm. Nam Tridentinum ſeſs. 24. de Refor. Matrim. eodem contextu ſermonis

jubet

jubet fieri denuntiationes, quo præſcribit Parochi, & Teſtium præſentiam: ſed iſta duo ſunt neceſſaria ad validitatem Conjugii; ergo etiam eodem modo ſunt neceſſariæ denuntiationes.

851. Reſp. Conc. maj. neg. min. Quamvis enim deſint denuntiationes, Conjugium non eſt clandeſtinum, ſed publicum, cum in facie Eccleſiæ fuerit celebratum: denuntiationes autem non ad Matrimonium ipſum immediate referuntur, ſed potius ad impedimenta, quæ ipſum aut retardare, aut annullare poſſunt, quæ aliunde queunt agnoſci.

852. Ad Confir. neg. conſeq. Nam etſi eodem contextu onus denuntiationum, & celebrandi coram Teſtibus, & Parocho Matrimonium exprimatur, fit tamen verbis omnino diverſis. Nam denuntiationes deſcribuntur per modum puri Præcepti, relicta Ordinario, ſi opus fuerit, diſpenſandi facultate: at præſentiam Parochi, & duorum ſaltem Teſtium ita requirit, ut ſi ſecus fiat, Matrimonium ſit invalidum.

853. Adverſus ſecundam Partem objicitur. Denuntiationes ſunt quid Matrimonio extrinſecum, & quoad ſolemnitatem, eo modo, quo Paranimphi ab Evariſto Papa adeſſe jubentur: at omiſſio iſtorum nullam culpam involvit, cum à praxi Eccleſiæ jam receſſerint; ergo etiam omiſſio denuntiationum nullam culpam inducit.

854. Confir. Ideo ſunt denuntiationes, ut impedimenta detegantur futuri Matrimonii: at iſta poſſunt detegi citra denuntiationes, cum Catholici more humano viventes optimè inter ſe dignoſcantur, et ſi adſint impedimenta, probe valent aperiri; ergo &c.

855. Reſp. Denuntiationes non eſſe meram ſolemnitatem, ſicut Paranimphi oblatio quoad

ad Sponſos: jam enim viſum eſt, quanta ſit earum neceſſitas, idcirco oblatio Paranimphi in deſuetudinem abivit, non item denuntiationes.

856. Ad Confir. Reſp. Min. eſſe falſam, cum videamus in ipſomet gremio Eccleſiæ impedimenta plura neſciri, ea præcipue, quæ jure Eccleſiaſtico inducta ſunt: hoc autem Catholicis inter Hæreticos, aut Infideles verſantibus magis contingere poteſt, uno cum altero non adeo frequenter conſuetudinem habentibus;impedimenta vero Juris Eccleſiaſtici longè facilius occultari queunt; adeoque &c.

857. Quæres I. Quænam ſint cauſæ, ob quas omitti, præmiſſa diſpenſatione, denuntiationes poſſint?

858. Reſp. Plures eſſe, quas refert Bran cat. noſt. diſp.22. de Matrim. art.16. Prima eſt probabilis ſuſpicio, Matrimonium malitiosè impeditum iri, ut monet Trident. ſeſs. 24. cap.1. de refor. Matrim. Secunda, dum Concubinarii contrahunt, qui communi opinione conjugati habebantur, ut eorum famæ parcatur. Tertia, quoties tempore interdicto Matrimonium celebrandum eſt, Sponſis aliundè fornicaturis. Quarta, quoties Matrimonium in facie Eccleſiæ celebrandum eſt cum impedimento dirimente occulto. Quinta, quoties Concubina ſumitur in legitimam Uxorem, cujus fama, filii, ac bona periclitarentur, & Conjugium in articulo, vel periculo mortis celebrandum eſt. Sexta, cum Vir, & Mulier concumbentes inveniuntur, ipſi vero dicunt ſe conjugatos eſſe: hoc autem flagitium pateſieret. Septima, quoties timetur Matrimonium injuſtè impeditum iri ob pravos fines aquirendi hereditatem, aut poſſeſſam detinendi. Multæ aliæ cauſæ ſunt, quæ apud Doctores poſſunt videri.

859. Quæ-

859. Quæres II. An ſi conſtaret evidenter, nulla inter Sponſos impedimenta verſari, omitti deberent denunciationes, vel ſaltem ab Epiſcopo diſpenſari?

860. Reſp. Denuntiationes etiam in hoc caſu præmitti oportere: finis enim Legis ob caſum particularem non fruſtratur; adeoque neque ceſſat obligatio ejuſdem. Poſſet quidem Epiſcopus diſpenſare: at neque cogitur, neque congruum eſt, niſi adſit aliqua peculiaris circumſtantia ad diſpenſationem inducens.

QUÆSTIO XXXI.

An ob metum Infidelium, aut Hæreticorum denuntiationes fieri extra Eccleſiam poſſint citra ullam noxam diebus ferialibus, & ſingillatim ſingulis Fidelibus, & privatim in Domo?

861. RESP. Poſſe. Nam denuntiationes præmittere in Eccleſia coram Populo, ac diebus Feſtivis mera ipſius Præcepti circumſtantia eſt, non ſubſtantia; ergo cogente vera neceſſitate, qualis eſt recenſita in Miſſionibus, poſſunt omitti, cum finis Præcepti, nempe detegendi occulta impedimenta, æquè habeatur, Matrimonium futurum ſignificando ſingulis privatim, ac publicè, & collectivè in Eccleſia.

862. Et ſanè non videtur ratio, cur ex juſto motivo denuntiationes ipſæ quoad ſubſtantiam omitti poſſint, juxta prudentiam Epiſcopi, non autem circumſtantiæ denuntiationum. Motivum autem ſupponimus juſtum, metus ſcilicet Infidelium, qui ex congregatione Populi conſpirationes adverſus ipſos facilè ſuſpicantur.

863. Obji-

863. Obji. Tridentinum jubet fieri denuntiationes in Eccleſia diebus Feſtivis, & coram Populo; ergo peccat Miſſionarius Matrimonium aliâ formâ, quam præſcriptâ à Concilio futurum proclamans, cum ſimus in re graviſſima, & Miſſionarius publicam Parochi perſonam gerat.

864. Reſp. neg. conſeq. Quamvis enim Tridentinum ita fieri jubeat, non tamen ſi ex juſta cauſa aliter fiat, reprehendit, ſed relinquit arbitrio, & prudentiæ Paſtoris: maximè quia in caſu noſtro non omittuntur proclamationes, ſed ſolummodo modus ipſarum variatur, & quidem neceſſitate compellente, nec Epiſcopo ita facilè invento; publicam quoque authoritatem exercet Miſſionarius privatim de futuro Matrimonio admonens Fideles, at non publicè: eo pacto, quo Parochus facit, dum privatim in domo ſua baptizat, vel abſolvit.

QUÆSTIO XXXII.

An Chriſtifidelis inter Ethnicos, aut Hæreticos degens Matrimonium abſque Miſſionarii Benedictione conſummans delinquat?

865. Reſp. Delinquere ſi nullam Benedictionem acceperit; non verò ſi omiſit ante conſummationem.

866. Prima Pars evincitur. Nam Præceptum Eccleſiæ ſub peccato obſtringit, cum ipſi ſit obtemperandum 25. Quæſt. 1. Cap. *Confidimus*: at Eccleſia præcipit Sponſis ſumere Benedictionem à Sacerdote ſive ante, ſive poſt conſummatum Matrimonium, ut patet Cap. *Aliter* 30. Quæſt. 5. Cap. *Conſultationi*, de Sponſal.

Cap. *Conſanguineorum* 3. Quæſt.4. ; ergo delinquit, qui Matrimonium conſummat, & omittit petere Benedictionem.

867. Secunda quoque Pars, quæ eſt Sanchez lib.3. de Matrim. diſp.12. Brancat. noſt. diſp.41. de Matrim, & Aliorum, quos cumulant, oſtenditur. Nam Triden. ſeſſ.24. de refor. Matrim. cap.1. cum mandatum de faciendis in Eccleſia denuntiationibus ad normam Lateran. IV. præmiſiſſet, ſubdit: *Præterea Sancta Synodus hortatur, ut Conjuges ante Benedictionem Sacerdotalem in Templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent*, ideſt ad carnaliter ſe commiſcendum; ſi autem adeſſet Præceptum hujuſmodi Benedictionis ante conſummationem petendæ, non hortaretur, ſed abſolutè juberet præmitti, ſicut mandat præmitti denuntiationes; ergo ſupponit non adeſſe ullum peccatum, ſi omittatur, quod tamen in Miſſionum locis adeſſe poſſet ratione ſcandali, cum Apoſtolicus Miniſter, & Ritus Eccleſiæ conſuetus videretur contemni, etſi omiſſio ex contemptu minimè oriretur.

868. Obji. Contra primam Partem, Cap. *Noſtrates*, 30. Quæſt.5. dicitur, omiſſionem Benedictionis, & aliarum ſimilium ſolemnitatum, quæ ibi enumerantur, non eſſe peccatum, & Cap. *Qualis debeat*, Benedictio cum oblatione per Parentes, exhibitione arrhæ, & aliis ſimilibus recenſetur, quorum omiſſio ſecundum Omnes non eſt peccaminoſa; ergo omiſſio Benedictionis nullum peccatum involvit.

869. Reſp. neg. conſeq. Solummodò enim ex illis Canonibus eruitur non peccare Conjuges, ſi ante conſummationem Matrimonii Benedictionem non petant, non verò ſi abſolutè, conſummato etiam Matrimonio, omittant.

870. Obji.

870. Obji. II. Cæteræ ſolemnitates Nuptiales, ut oblatio per Paranimphos, velatio nuptialis, & aliæ hujuſmodi abſque peccato omittuntur ex Eccleſiæ praxi; ergo etiam citra noxam omitti poteſt Benedictio Sacerdotalis.

871. Reſp. neg. conſeq. Nam citatæ ſolemnitates Matrimonii conſummationem præcedunt, nec ab Eccleſia videntur inſtitutæ, ſed ſupponuntur: at Benedictio Sacerdotalis ſaltem poſt Matrimonii conſummationem Ritus eſt antiquiſſimus ab Eccleſia inſtitutus, quo Matrimonium ex parte Eccleſiæ ſacratur, & ipſius praxi comprobatur; adeoque ſine noxa omitti non poteſt.

872. Obji. Adverſus ſecundam Partem. Sacri Canones hujuſmodi Benedictionem præcipiunt, Cap. *Conſanguineorum* 3. Quæſt. 4. & alibi paſſim; ergo peccant Sponſi eam omittentes.

873. Reſp. Canones in genere loqui de Benedictione, quam Sponſi à Sacerdote petere debent ſivè ante, ſivè poſt conſummationem; non verò præcisè, ſic enim Canones illos intelligit Tridentinum; alioquin non hortaretur, ſed mandaret ante ſumere.

874. Obji. II. Omittens denuntiationes in Eccleſia, etſi ſint puræ ſolemnitates, delinquit, eo quia ſunt ab Eccleſia præſcriptæ; ergo etiam delinquit omittens petere Benedictionem ante Matrimonii conſummationem.

875. Reſp. neg. conſeq. Nam denuntiationes non ſunt puræ ſolemnitates: requiruntur quippe ut Matrimonii impedimenta detegantur: at Benedictio pura eſt ſolemnitas ab Eccleſia præſcripta ſivè ante, ſivè poſt conſummationem Matrimonii.

QUÆ-

tativè Parochus; ergo qualeſcumque ſint Contrahentes, adhuc Matrimonium illud invalidum eſt: nam etiam Vagi, etſi nulli Parocho determinato quoad Matrimonium alligentur, is tamen quem præter Teſtes Conjugio præſentem eſſe ex Tridentini Decreto neceſſe eſt, Parochus eſſe debet Loci, vel domicilii, qualis profecto Miſſionarius ille non eſt.

878. Secunda Pars eſt perſpicua. Nam Vagi Matrimonium contracturi eligere ſibi Parochum poſſunt, quem maluerint, proprio abſente, ex Laym. Lib. 5. Trac. 10. Par. 2. Cap 4. Sanchez de Matrim. Lib. 3. Diſp. 19. at in caſu noſtro abeſt Parochus, vel ejus Vicemgerens; ergo eligere poſſunt alium Parochum, aut Parochi munere fungentem, etſi in alio Loco: talis eſt Miſſionarius ille tranſiens; ergo Matrimonium coram ipſo, & Teſtibus celebratum, validum eſt.

879. Tertia Pars conſtat. Advenæ enim, & Peregrini ex quo in Loco aliquo domicilium figunt, etſi poſteriores non diù manſuri, Forum ſortiuntur in loco, ubi morantur, de Foro competenti, Cap. ult., ergo Matrimonium contracturi Parochum Loci advocare debent, vel eum, qui ejuſdem Vices gerit, ut Matrimonio aſſiſtat: at Miſſionarius alteri Miſſioni Præfectus, nec eſt Loci Parochus, nec ejuſdem vicibus fungitur; ergo Matrimonium coram eo contractum invalidum eſt. Quod enim Paſtor Loci abſit, non efficit, poſſe coram alio contrahi, cum ex Tridentino proprius Sponſorum Parochus requiratur.

880. Quarta Pars manifeſtè apparet. Miſſionarius enim nulli Loco ſpecialiter deputatus nec Parochus eſt, nec vicem Parochi tenet; ergo in nullo caſu Conjugium validum eſt, eo

præ-

885. Reſp. neg. conſeq. Præſentia enim Sacerdotis non tantum, ut de Matrimonio contracto teſtari poſsit, à Tridentino requiritur, ſed etiam, ut nomine Eccleſiæ Conjugium ſanctificet, & approbet: hinc Parochus præcipitur adeſſe, ut à Teſtibus contradiſtinguitur.

886. Quæres I. An Sacerdos non Parochus poſsit Nuptias benedicere?

887. Reſp. regulariter loquendo negativè; requiritur quippe Parochus ipſe, ſaltem Alterutrius ex Conjugibus, vel Ordinarii facultas, ex Triden. Cap. de Refor. Matrim. & quidem inter Miſſarum ſolemnia fieri debet, ac in Eccleſia, etſi in Locis Miſsionum, ubi clanculatim Sacramenta miniſtrantur, non ſemper hoc videatur neceſſarium, ex Sac. Congregationis Decreto apud Aldan. in Compend. Canonic. reſol. Lib. 2. Tit. 3.

888. Quæres II. An Miſsionarius ignorans Idioma eorum, quos in Conjugio copulare debet, Interprete uti poſsit: quod de Teſtibus quoque inquiritur?

889. Reſp. Affirmativè. Nam Alex. III. Cap. ex *Literis* de Sponſal. concedit id Sponſis, quorum unus ignorat idioma alterius; ergo idipſum Parocho conceditur; qui eorum conſenſum haurire debet: Teſtibus verò, ut ipſum conſenſum intelligant, & de ipſo fidem poſsint præſtare juridicam.

890. Quæres III. An in Locis Miſsionum Matrimonia fieri poſsint Oratoriis, & Domibus privatis?

891. Reſp. Affirmativè. Nam in hujuſmodi Locis Templa, & publica Oratoria deſunt, ut publicè fiant ob Infidelium, & Hæreticorum inſectationes; ergo fieri poſſunt in Domo privata, ubi cætera quoque privatim Sacramenta

menta miniſtrantur, vel in domicilio ipſorummet Conjugum, ſi aliud abſque periculo fieri nequeat.

QUÆSTIO XXXIV.

An, omiſſis metu Infidelium, aut Hæreticorum Denuntiationibus, liceat Miſſionario Matrimonium Sponſis denegare ob impedimentum in Confeſſione, aut ſecreto naturali ab eo ſcitum, ut Vicario Apoſtolico detegat, & reſolutionem accipiat?

892. RESp. Non poſſe à Miſsionario Matrimonium denegari ob impedimentum in ſola Confeſsione ſcitum; benè verò ſi ſecreto tantum naturali innotuerit.

893. Prima Pars patet. Nam in nullo caſu licitum eſt revelare directè, vel indirectè, explicitè, vel implicitè, quæ per Confeſsionem Sacramentalem in notitiam devenerunt, cum ipſa Confeſſarius ſciat, non ut homo, ſed ut Deus, cujus Vices gerit, de offic. Judic. ordin. Cap. *ſi Sacerdos*: at indirectè revelaretur impedimentum dirimens, ſi à Miſsionario ob notitiam in Confeſsione ſolummodò hauſtam Matrimonio aſsiſtentia denegaretur, ex circumſtantiis quippe deduceretur, eam cognitionem ex Sacramentali ſolummodò Confeſsione haberi potuiſſe; ergo revelaretur indirectè Confeſsio, quandoquidem illa denegatio non eſt ſignum æquivocum, ſed univocum inferens cognitionem ex Confeſsione ipſa deſumptam: hinc uti notitia ex Confeſsione hauſta in regimine exteriori illicitum eſt, ex Decreto Clement. VIII. 1591. 26. Martii edito, apud Sanchez de Matrim. Lib. 3. Diſp. 16. Nec quidquam

facit

ſacit Decretum illud pro Regularibus tantummodò emanaſſe: eadem quippe de omnibus eſt ratio, ne ſcilicet Sacramentum Pœnitentiæ apud Fideles odibile efficiatur, cum magno Animarum detrimento.

894. Secunda quoque Pars, quam docet Sanchez Lib. 3. de Matrim. Diſp. 15. & Brancat. noſt. de Matrim. Diſp. 22. art. 22. conſtat, Nam urgentibus duobus Præceptis etiam Divinis, aut naturalibus incompoſſibilibus, illud prævalet, quod fortiùs eſt, & ab eminentiori virtute præſcribitur: at prohibere Matrimonium, ſtante noto impedimento, jubetur ob motivum eminentioris virtutis, ſcilicet Charitatis, ut nimirum concubinatus, aut adulterium Conjugum impediatur; & Religionis, ne ſcilicet Matrimonii Sacramentum invalidè, & illicitè celebretur: ſervare autem ſecretum naturale, ſolius Fidelitatis, & Juſtitiæ mandatum eſt, ne ſcilicet Fama Conjugum lædatur: at Fidelitas, & Juſtitia cedunt Charitati, & Religioni ordinis eminentioris virtutibus: illa quippe virtus Theologica eſt, hæc verò etſi moralis, earum tamen præcipua; ergo non obſtante ſecreto naturali, tenetur Miſſionarius detegere impedimentum Superiori Prælato, & interim à Conjugio celebrando abſtinere: privata enim infamia Conjugum cedit bono publico de Matrimonio legitimè celebrando: hinc habitis publicis denuntiationibus, teneri unumquemque revelare impedimenta Matrimonii, ſiquæ noverit, docet cum communi Maſt. noſt. Diſp. 7. de Matrim. Quæſt. 9. art. 2.

895. Objectiones, quæ fieri poſſunt contra primam Partem, ſolummodo evincunt, poſſe revelari Sacramentale ſecretum, quoties nec directè, nec indirectè peccatum, aut impedi-

mentum proditur: at in caſu noſtro indirectè revelatur, cum aliâ viâ ſaltem in genere, niſi per Confeſſionem Sacramentalem, ſciri non poſſit.

896. Obji. contra ſecundam Partem. Nemo à Sacramentis ob occultum crimen repellendus eſt; ergo neque à Matrimonio ob occultum impedimentum; quod autem ſcitur ſolo ſecreto naturali occultum eſt, cum probari non poſſit: Tumquia Epiſcopus ſciens ſcientiâ privatâ impedimentum dirimens inter Conjuges, Matrimonium impedire nequit, ſed moveri debet ad inſtantiam Partis, Cap. *Cum à nobis* de Teſtib.; ergo etiam Parochus: nam etiam ipſe publicam Perſonam gerit. Tumquia fruſtra impediret, cum unus Teſtis ſemiplenam tantum faciens probationem, nec infirmare contrahendum, nec diſſolvere contractum poteſt; ergo, etſi noverit ſecreto naturali dirimens impedimentum inter Sponſos, adhuc celebrare tenetur Matrimonium.

897. Reſp. Ad primum neg. conſeq. Nam Matrimonium, etſi publicus ſit contractus, quem Dignitas Sacramenti conſequitur, poteſt tamen peti occulte, quo caſu ſicut cæteri indigni occulti poſſent à Matrimonio repelli, dummodo notitia ex Confeſſione non ſit habita: tumquia peccator occultus etiamſi publicè Sacramentum petat, nemini niſi ſibi ipſi nocet: Conjux vero & alteri Conjugi, & proli detrimentum affert; idcirco Parochus ſuſpendere Conjugium debet, & revelare Epiſcopo impedimentum, ut ipſe provideat; quod non ſequitur in aliis Sacramentis, quæ materiâ, & formâ validè conficiuntur, neque ab aliis extrinſecis quoad validitatem ſui dependent.

898. Ad ſecundum neg. conſeq. Nam Epiſco-

ſcopus èſt publicus Judex, ad quem ſpectat cauſarum Matrimonialium diremptio, de Exceſſ. Prælat. Cap. *Accedentibus*; idcirco ut privata perſona impedire Conjugium nequit, ſed ſolummodo ut Judex, Parte audita. Parochus autem in cauſa Matrimoniali minimè Judex eſt; ſed tantum Eccleſiæ Miniſter, & ideo ſuſpendere quidem Conjugium poteſt, non autem impedire, ſed ſolum Superiori Magiſtratui referre, ut ipſe provideat.

899. Ad tertium, quod ſubditur, falſum eſt ant. illa enim delatio Parochi Epiſcopum ſuſcitat ad inquirendum, ex qua inquiſitione aliæ probationes clariores emergent impedimenti, quo probato, Matrimonium nequaquam celebrabitur, aut diſpenſatio obtinebitur.

900. Cæterum: Idem probationis genus non requiritur ad ſolvendum Matrimonium, & ipſum ſolummodò impediendum. Ad hoc enim ut contractum diſſolvatur, cum Conjuges in poſſeſſione verſentur, rigidiſſima requiritur probatio, quæ vincat oppoſitas præſumptionis Juris, & de jure, ex Menoch. de præſump. Quæſt. 63. aliiſque ab eo relatis: hinc unus non ſufficit Teſtis, ſed plures omni exceptione majores, aut indiciis, & adminiculis roborati, de Sponſal. Cap. *Præterea*. At quando agitur tantum de impedimento, Conjugio nondum celebrato, probationes infirmiores ſufficiunt, & unico Teſte probari impedimentum poſſe, habetur ex Alexan. III. Cap. *Super eo*, de Teſt. & Aſſert.

901. Si quis autem inquirat, an Parochus in Miſſionibus degens, nec Vicarium Apoſtolicum nimis diſtantem, aut metu Infidelium latentem convenire valens, nec habens ullum indicium viam pandens inquiſitioni, Conjuges

ges autem pro Matrimonio de præſenti celebrando inſtent, alias ſine ipſo celebraturi, aſſiſtere debeat?

902. Reſp. affirmativè. Moveor. Quia tunc nedum ſimplicis Parochi, ſed etiam Epiſcopi vices gerit, qui non privata notitia, ſed publica cauſam Matrimonialem tractare debet, uti Epiſcopus ipſe ageret. Cum ergò juridicè nihil Matrmonio illi, quod grave ſit, opponatur, ſive denuntiationes præmiſſæ fuerint, ſive omiſſæ, præſentiam ſuam denegare nequit citra Conjugum injuriam jus publicè ad Matrimonium habentium. Secus verò, ſi ab aliis extra ſe ſciviſſet; tunc enim Teſtes haberet, quibus moveri poſſet ad procedendum, etiamſi violato ſecreto naturali impedimentum denuntiaſſent.

903. Si inquiratur ulterius, an Conjuges de futuro ſciſcitanti Parocho, aut Ordinario teneantur ſub mortali culpa impedimentum aperire, tametſi occultiſſimum, & cum ſcelere conjunctum?

904. Reſp. Affirmativè cum Maſt. noſt. Suarez, Sanchez, Caſpenſi, Aliiſque ab eo citatis diſp. 7. de Matrim. Quæſt. 9. art. 2. Quamvis enim nemo crimen ſuum, atque propriam turpitudinem revelare teneatur, niſi probetur, Juris ordine ſervato, Cap. *Inquiſitionis*, & Cap. *Qualiter, & quando* de accuſat; & quidem ſaltem ſemiplenè, itaut in Judicem interrogandi poteſtatem transtulerit, juxta S. Thom. 2.2. Quæſt. 69. art. 1. hoc tamen verum eſt, quoties interrogatio ad punitionem delicti ordinatur, non verò quando dirigitur ad perniciem Animæ præcavendam, & damnum Tertii, vel Reipublicæ vitandum: bonum enim privatum publico cedere debet; mala autem ex Matrimonio cum impedimentis dirimentibus celebrato prodeuntia,

tiâ, longè majorà ſunt, & quidem publicæ utilitati nociva, quam infamia Conjugum, etſi apud omnes diffuſa; adeoque tenentur Conjuges impedimenta etſi occultiſſima, ſcelereque contracta Parocho, aut Epiſcopo flagitanti revelare.

QUÆSTIO XXXV.

An Matrimonium cum Virgine Fideli à Catholico contractum, non obſtante novo impedimento à Principe Infideli, cui ſubduntur, appoſito, validum ſit?

905. RESP. Affirmativè. Videtur eſſe Doct. Subtil. 4. diſt. 24. Quæſt. unic. §. *Statuto*, quem ſequuntur Diſcipuli, ex alienis Laym. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 1. contra Sanchez. & Coninch. ab eo in adverſum citatos.

906. Oſtenditur autem ſic: Princeps Infidelis nulla gaudet authoritate infirmandi Conjugia Fidelium; ergo Conjugium, de quo eſt ſermo validum eſt. Conſeq. patet. Prob. antec. Nam contractus Matrimonialis Fidelium Sacramentum eſt, non merus contractus civilis; ergo non pertinet ad juriſdictionem Principis Infidelis; quod enim tangit Sacramenta, negotium eſt Religionis, ad Eccleſiam ſolummodò pertinens, non ad Principem politicum, multò autem minus Infidelem, ex Apoſtolo 1. Cor. 4. 1. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei.*

907. Confirm. Principes Fideles hujuſmodi impedimenta apponere nequeunt, etſi contractus Matrimonialis ſecundum ſe ſit purè civilis, Cap. *Per tuam*, de Ord. cognit.; ergo multò minus Princeps Infidelis reſpectu Fidelium poterit

terit eadem adjicere : hinc Regnum Galliæ in Concilio Tridentino petiit Matrimonia irritari Filiorum, invitis Parentibus celebrata, non à ſeipſo irritare tentavit, ex Hiſt. Pallavic. Tom. 2. lib. 22. num. 16.

908. Secundò. Cauſæ omnes Matrimoniales etiam inter ipſoſmet Fideles, etiamſi naturam Sacramenti minimè reſpiciant, ſed contractus ipſius naturalis, ut v. g. errorem Perſonæ, metum, conditionem, de quibus agitur in Jure Canonico pluribus in locis, ad ſolos Eccleſiæ Magiſtratus pertinent dirimendæ, ex Lateran. III. in Appen. Tit. *Qui Filii ſint*, Cap. 4. Triden. ſeſs. 24. cap. 12.; ergo etiam adjicere impedimenta dirimentia, privativè quoad cæteros ad Eccleſiam unicè pertinet, cum nulla poſſit aſſignari diſparitas.

909. Et profectò ſi politica Poteſtas hanc in ſe authoritatem agnoviſſet, utique deduceret in praxim : Jura enim ſua Princeps Laicus ſolet inviſtiſſimè tueri; cum tamen videamus cauſas Matrimoniales omnes ab initio naſcentis Eccleſiæ, uſque ad noſtra tempora ab ipſiſmet Principibus coram Sede Apoſtolica fuiſſe dſpoſitas, atque ab eadem, quin ab aliquo pulvis moveretur, deciſas, quarum nonnulla exempla præbet Baron. ad an. Chriſti 864. 897. 1193. & 1196.

910. Tertiò tandem : quidquid ad cætera Sacramenta pertinet, ſive Ritus, ſive cætera alia, Inſtitutionem Divinam minimè tangentia, diſpoſitioni, examinique Eccleſiæ unicè reſervantur; ergo idipſum de Matrimonii Sacramento dicendum eſt; adeoque Conjugium à Fidelibus celebratum non obſtante impedimento à Principe politico, & Infideli, cui iidem ſubduntur appoſito, validum eſt.

911. Obij.

911. Obji. Tumquia Chriſtiani ſubditi Infidelium ab eorum Legibus minimè eximuntur; ergo neque ab illa, qua ſtatuitur impedimentum dirimens Matrimonium. Tumquia Princeps Infidelis poteſt irritare alios contractus civiles, appoſita conditione; ergo etiam Matrimonialem, qui verus civilis contractus eſt. Tumquia Princeps Infidelis poteſt pro ſubditis Infidelibus impedimenta dirimentia ſtatuere; ergo etiam pro Fidelibus, cum ſit idem ſubſtantialiter contractus: Chriſtus enim Dominus in Matrimonii elevatione ad dignitatem Sacramenti contractum Matrimonialem in ſua ſubſtantia intactum reliquit; pertinet autem ad Principem politicum irritarè, vel ſtatuere contractuum naturalium conditiones.

912. Reſp. Ad Primum neg. conſeq. Nam cæteræ Leges intra fines mere politicos, & naturales continentur: idcirco Chriſtifideles quoque Infidelium ſubditos obſtringunt: at apponere impedimenta Conjugio Fidelium, quod ad dignitatem Sacramenti elevatum eſt, eorum poteſtatem tranſcendit; idcirco Leges quoque minimè, quantum ad hoc, Fideles obſtringunt.

913. Ad Secundum neg. conſeq. Nam cæteri contractus in linea mere naturali, & politica verſantur: at contractus Matrimonialis Fidelium habet neceſſariò connexam dignitatem ſupernaturalem Sacramenti, ob quam politicæ jurisdictioni nequaquam ſubduntur.

914. Ad Tertium nego pariter conſeq. Quamvis enim idem ſubſtantialiter contractus permaneat, attamen inter Fideles, cum elevetur ad naturam Sacramenti extrahitur à linea naturali, & in ſtatum ſupernaturalem transfertur, qui prophanę Authoritati nequaquam ſubji-

citur: Chriſtus quidem naturam contractus non mutavit, ſed ipſum ad Sacramenti dignitatem elevando, ab ipſo, ſtante inſtitutione, inſeparabilem, à Poteſtate politica ad Sacram invariabiliter tranſtulit.

QUÆSTIO XXXVI.

An Matrimonium, cui Teſtes, & Parochus inviti aſſiſtunt, abſque ullo ſigno approbationis validum ſit?

915. RESp. Affirmativè, dummodò rectè omnia advertant.

916. Prima Pars conſtat ex Sac. Congreg. Concilii apud Baſil. Pont. lib.5. de Matrim. cap.21. referentem, ad ea interrogata; *An, ſi invitus, & compulſus adſit Parochus, etiam contrahatur Matrimonium, præcedente prohibitione Ordinarii, tale Matrimonium ſubſiſtat?* Reſponſum fuiſſe, *ſubſiſtere*. Pluries quoque idipſum ab eadem deciſum fuiſſe aſſerit Seraph. Deciſ. 129., & 199. apud Pignatel. idem de Teſtibus quoque ſentientem Tom. 5. Conſul. Canon. 60. Cum autem de Parocho, quam de Teſtibus major non ſit ratio, Matrimonium validum coram Parocho invito, validum quoque erit coram invitis Teſtibus.

917. Confir. Nam in Jure Canonico interdum requiritur ad validitatem Actus præſentia ex parte tantummodo intellectus, non autem voluntatis, ut patet ex Cap. *Cum dilecto*, de Elec. ubi dicitur, quod ſit à majori parte Capituli, ſubſiſtere, etiamſi nonnulli contradicant, cum tamen ad validitatem Actus omnium phyſica præſentia, & moralis ex parte intellectus requiratur, & cap.1. de Arbit. ſi ad deciſionem

ali-

alicujus cauſæ preſertim interlocutoriæ, ut contingit, quando Judex Ordinar. recuſatur, tres, aut quinque Arbitri eligantur, majori parte in favorem unius concludente, ſententia hæc ſuſtinetur, cum tamen minor pars, quæ diſſidebat, neceſſario ad validitatem ſententiæ præſens eſſe debet: quo caſu præſens eſt intellectu, non voluntate; ergo etiam Matrimonium poteſt eſſe validum, etiamſi Parochus, & Teſtes ſint præſentes tantummodò intellectu, non autem voluntate, cum hæc præſentia ſufficiat intentioni Tridentini Concilii, ut nimirum de Matrimonio celebrato juridicè conſtet.

918. Secunda quoque Pars patet. Nam Concilium eo loco, quo præſentiam Parochi requirit, nullam verborum proferendorum mentionem facit, & ubi præſcribit Parochis uti verbis, nullam ſecus facientibus particulam irritantem apponit; ergo, etſi taciturnus Matrimonio aſſiſtat, adhuc validum eſt, cum ejuſdem non ſit Miniſter, ſed ipſimet Contrahentes.

919. Obji. Contra primam Partem. Nam ad Conjugii validitatem præſentia requiritur, non purè phiſica, ſed moralis: at hæc non habetur per ſolam aſſiſtentiam intellectus advertentis, ſed etiam voluntatis conſentientis, cum non ſit major ratio de una, quam de altera, ut moraliter agi dici queat; ergo deficiente conſenſu voluntatis invitè præſentis, Matrimonium eſt invalidum, ut eruitur ex L. *Coram Titio* 209. de Verb. ſignif. cum in Jure abſentia, & præſentia ex renitentia voluntatis menſuretur, juxta Bald. L. *Cum non ſolum*: §. *Neceſſitas*.

920. Additur Parochum aſſiſtere nomine Eccleſiæ ut a Teſtibus diſtinguitur; ergo, etſi

non requiratur in Teſtibus conſenſus voluntatis, in Parocho tamen neceſſarius eſt.

921. Reſp. Minorem Argumenti eſſe falſam: advertentia enim per intellectum tantummodò eſt vera præſentia moralis, quam Tridentinum requirit, ut nimirum Matrimonium concludenter poſſit probari, & impediri Polygamia, etſi non ſit moralis ſecundum præſentiam voluntatis: at non in omnibus actibus præſentia moralis etiam ſecundum voluntatem eſt neceſſaria.

922. Ad id, quod additur dico, Parochum aſſiſtere Matrimonio ex parte Eccleſiæ, non quia conſenſum præbeat, ſed ut ex parte Eccleſiæ teſtificetur, Conjugium fuiſſe canonicè celebratum, ad quam teſtificationem ſufficit ejuſdem præſentia moralis ex parte intellectus.

923. Obji. Contra ſecundam Partem. Eodem contextu ſermonis, quo Tridentinum jubet ſub nullitate, Parochum Conjugiis Fidelium adeſſe oportere, explicat etiam quid facere debeat ex parte ſui, aſſiſtendo juxta ſtylum uniuſcujuſque Eccleſiæ; ergo eâdem nullitatis pœnâ, qua mandat Conjuges interrogari, vult quoque Parochum adeſſe: at abſque ejus præſentia Matrimonium nullum eſt; ergo etiam nullum eſt, niſi verba Formulæ proferantur; adeoque ſi taciturnus permaneat illud Cojugium omnino irritum eſt.

924. Confir. Illam Parochi præſentiam Tridentinum requirit, qua non clandeſtinum à clandeſtino Conjugio diſtinguatur: at hæc diſtinctio habetur per pręſentiam Parochi illud ſanctificantis, atque benedicentis, ut in Sacris Canonibus continetur, quæ ſanè benedictio, atque ſanctificatio per verba neceſſariò conficitur; ergo Conjugium à Parocho penitus taciturno validè celebrari non poteſt.

925. Reſp.

925. Reſp. ne. maj. Optimè enim luſtrando Textum Concilii apparet, non eodem omnino contextu poni ordinem Matrimonii celebrandi, ac ejus nullitatem, niſi cum aſsiſtentia Parochi, & Teſtium celebretur: hanc quippe pœnam apponit in ultima clauſula, poſtquam ſeriem ſolemnitatis antecedentis expreſſerat; adeoque nullitas non refertur ad priorem ſolemnitatem, quam intactam reliquit, ſed ad poſteriorem, quam ipſa Sancta Synodus de novo auxit, ut licentia coerceretur eorum, qui ſecundam Conjugem quærunt, eoquia non poſsit probari celebratio prioris.

926. Ad Confir. neg. min. Quamvis enim Tridentinum commendet praxim vĕterem Conjugii celebrandi, & clandeſtinum ante reprobatum reſpuat non veluti invalidum, ſed ſolummodo turpe: attamen non diſtinguitur novo Decreto clandeſtinum à non clandeſtino per defectum tantum benedictionis Sacerdotalis, ſed quia clandeſtinum hujus temporis caret præſentia Parochi, & Teſtium: hanc autem præſentiam non collocat in benedictione, vel precibus, aut aſſenſu verbali, ſed in advertentia ex parte intellectus, ut Conjugium juridicè probari poſsit: quod ſanè fieri poteſt, & ſi Parochus in celebratione Conjugii merè negativè ſe habuiſſet.

927. Petes I. An præſentia Parochi, & Teſtium debeat eſſe ſimultanea.

928. Reſp. Affirmativè cum Ledeſma, Betello, Coninch. & Aliis, quos citat, & ſequitur Barboſa in Collec. Doc. ſeſs. 24. Concil. Triden. cap. 1. de reform. Matrimonii. Ducor autem. Nam Parochus, & Teſtes ideo à Tridentino ad validitatem jubentur aſsiſtere, ut Matrimonium pleniſsimè, & concludenter, tam

ex parte Eccleſiæ, quam ſecundum ſe, ut Polygamiæ faciliùs occurratur, probari queat: at hoc fieri nequit, ſi ſufficeret ſimultas ſucceſſiva: Parochus enim, & Teſtes profectò non viderent, aut audirent integrum, & completum contractum Matrimonialem, ſed solummodò ejuſdem partes, & quidem imperfectè; ergo non poſſent dici, aut teſtari ſe aſtitiſſe integro, vero, completoque contractui Matrimoniali; adeoque fruſtraretur mens Concilii volentis Matrimonium pleniſſimè probari, atque hoc pacto obſtrui os loquentium, ac tentantium iniqua.

929. Nec refert, aliqua delicta, aut actus probari per Teſtes ſucceſſivè videntes, ut fornicatio, Miſſæ auditio, vel celebratio, aut alia ſimilia: hæc enim habent tractum ſucceſſivum, nec à Lege petunt ita exactè probari, ut criminibus faciliùs occurratur: at in caſu noſtro, quia remedium petebatur incommodis futuris, ut nimirum Polygamia vitetur Reipublicæ Chriſtianæ adeo noxia, idcirco ad probandum Matrimonium, probationes eſſe debent adeo evidentes, ut nulli cavillationi locus pateat, quod non contingeret, ſi ſufficeret, Parochum, & Teſtes Matrimonio ſucceſſivè tantum eſſe præſentes.

930. Petes II. An Miſſionarius Parochialia exercens, & impeditus aſsiſtere Matrimonio poſsit alteri Miſsionario, aut Sacerdoti extraneo, & ſub alterius Vicarii Apoſtolici, aut Præfecti ditione conſtituto Facultatem tribuere loco ſui aſsiſtendi?

931. Reſp. Affirmativè. Nam Trident. ſeſs.24. de Refor. Matrim. Cap. 1. nullam limitationem ponit; inquit enim: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Paro-*

Parochi, ſeu Ordinarii licentia &c. ergo ſi eligatur Alienigena, Conjugium validè, & licitè celebratur.

932. An autem hujuſmodi licentia præſumpta ſufficiat, dubium eſt. Sanchez cum aliis Diſp. 35. cenſet, expreſſam eſſe oportere. Ego autem exiſtimo in Locis Miſsionum, ſi Miſsionarius ipſe adiri niſi difficillimè nequeat, ſcandalum autem, aut aliud grave detrimentum ab Hæreticis, aut Infidelibus immineat, ſufficere præſumptam: non enim credibile eſt à Sancta Synodo in hujuſmodi circumſtantiis expreſſam requiri. Extra verò hujuſmodi caſus facultas expreſſa exigitur, ut Concilii mandatum impleatur, præfatas functiones Parochis reſervans.

933. Petes III. An Regulares Parochialia minimè exercentes benedicere poſſint Sponſos poſt Matrimonium, Miſsionario, qui præeſt Miſsioni, aut Vicario Apoſtolico inconſulto?

934. Reſp. Negativè. Tridentinum enim Cap. 1. de Refor. Matrim. diſtrictè præcipit, ne quis Sacerdos Sæcularis, aut Regularis audeat propria authoritate, vel Matrimonium celebrare, vel benedicere Sponſos ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, donec ab Ordinario Parochi abſolvatur, ac tollit omnia privilegia, & conſuetudines in contrarium. Ita tenet Bonac. de Cenſur. Diſp. 3. Quæſt. 7. Punc. 5. Hieron. Boder. reſol. 93.

935. Nec ſufficit licentia præſumpta, ſed requiritur expreſſa, cum Sanctæ Synodi præceptum ſit graviſsimum, & neceſsitas Benedictionis poſt Nuptias tanta non ſit, ut ad hujuſmodi tranſgreſsionem impellat, cum pura ſit ſolemnitas, graviſsimè tamen à Tridentino imperata, etſi excuſaret ignorantia dolo non

æqui-

æquivalens: Concilium quippe utitur verbis: *Auſus fuerit*, quibus indicatur temeritas, ac præſumptio, non ſimplex ignorantia, uti notat Gloſſ. in L. *Si quis in tantam*, L. *Unde ſui*.

936. Petes IV. An Sponſalia clandeſtina ſint valida, aut Matrimonium clandeſtinum vim Sponſalium habeat?

937. Reſp. ad Primum, Affirmativè. Ratio eſt: quia Tridentinum non irritavit Sponſalia clandeſtina, benè verò Conjugium de præſenti, ex quo clandeſtinè celebrato ſequuntur incommoda, quibus, ut occurreret, conditionem appoſuit præſentiæ Parochi, & Teſtium, quæ ſanè ex Sponſalibus clandeſtinis minimè ſequuntur: nam eiſdem promiſſio ſolummodò fit futuri Matrimonii: ipſo verò Conjugio de præſenti fit corporum mutua traditio, & propterea ejuſdem vi Sponſalia quæcumque cum Alia, tametſi jurejurando firmata, diſſolvuntur, Cap. *Sicut* de Sponſal. & propterea ex his etiam repetitis cum pluribus non ſequitur Polygamia, quæ oriretur frequenter ex Matrimonio clandeſtinè celebrato.

938. Reſp. Ad ſecundum, Negativè cum Navar. Lib. 4. Conſil. tit. de Sponſal. Bonac. Diſp. 1. de Matrim. Quæſt. 2. Punc. 8. num.48. Ratio eſt: quia Tridentinum clandeſtina Conjugia ita irritat, ut contractum, in quo Sacramenti ratio fundatur, exſcindat, & deſtruat; ergo non tranſit in Sponſalia: Sponſi enim in ſtatum, in quo erant ante contractum Matrimonium reſtituuntur; tunc autem ad Conjugium non tenebantur ſivè ratione Matrimonii, ſivè Sponſalium: nam priora alia Sponſalia, quibus ut ſatisfieret, Matrimonium contraxerunt, jam effectum ſuum Matrimonii clandeſtini celebratione ſortita ſunt; ergo neque nunc;

cum

cum nihil aliud præter ipſum Conjugium additum fuerit ex ſe omnino invalidum defectu conditionis à Tridentino præſcriptæ.

QUÆSTIO XXXVII.

An Mulier Catholica in Locis Miſſionum degens Virum Apoſtatam à Fide relinquendo, & nolens ad ipſum reverti, niſi prius Catholicam Fidem denuo amplectatur, lethaliter delinquat?

939. Reſp. Ad utrumque negativè.

340. Prima Pars patet. Tumquia Math. 18. jubemur vitare omnes, qui nos inducere ad quodcumque peccatum poſſunt. Tumquia ad Titum 3.11. vitandus eſt Hæreticus, cum ſciamus *quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus.* Tumquia Canones rigidiſſimè commercium quodcumque cum Hæreticis, & Apoſtatis vetant, etiam præſcindendo à periculo ſubverſionis, in pœnam nimirum receſſus à Fide Orthodoxa, & ut rubore ſuffuſi ad ſanam mentem redeant, ut patet Cap. *De illa*, de Divor. & Laodic. Cap. 37. Carthag. IV. Cap. 70. Nec quidquam in Sacris Canonibus magis inculcatur, quam odium adverſus Eccleſiæ Deſertores, quos Innoc. IV. Conſtit. I. *Inconſutilem* vult damnari veluti leſæ Majeſtatis reos. Tumquia incongruum eſt cogi Conjugem Fidelem manere cum Fidei Orthodoxæ Deſertore; qui enim Deo Fidem violavit, Uxori quoque præſumitur violaturus, nec promiſſa ſervaturus vivendi pacificè cum Uxore innocente. Tumquia multa incommoda ex Religionis diverſi-

tate

ſtate oriri ſolent, quibus nedum Familiæ tranquillitas turbatur, verum etiam prolis diſcrimen exoritur, etſi uno Conjuge Fideli, debeant Filii in Fide Orthodoxa educari, juxta Pignatel. Tom. 8. Conſul. 71. hinc non permittuntur baptizari Filii, Parentibus Infidelibus invitis, niſi ab eorum poteſtate avelli queant: quia nimirum in Secta ſua educati, vel Orthodoxam deſerent Religionem, vel eam pravis moribus deturpabunt; ergo Conjux Catholicus poteſt ab altero diſcedere poſt Matrimonium in Hæreſim, aut Apoſtaſiam lapſo, etiamſi pacificè velit cohabitare.

941. Secunda quoque Pars patet ob eadem fundamenta: perſeverant quippe eadem motiva ad primam Partem adducta, uti docetur Cap. *Non ſolum* 28. Quæſt. 1. dicitur enim ibi: *Non ſolum mæchatio eſt illius, qui carnem ſuam coinquinat, ſed etiam, quæ ſimulacrum facit, mæchatur. Quod ſi in his factis perſeverat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli vivere cum illa; ſin autem & tu particeps peccati illius eris.*

942. Obji. contra primam Partem. Conjux Fidelis tenetur cohabitare cum Infideli abſque injuria Creatoris pacificè manere volenti, ex Cap. *Gaudemus*, de Divor. ergo etiam Conjux Catholicus non poteſt diſcedere ab altero in Hæreſim, aut Apoſtaſiam poſt Conjugium lapſo. Tumquia nubentes Apoſtatis, aut Hæreticis in Albania non tenentur ab illis diſcedere, uti à Nobis alibi hæc eadem tangentibus demonſtratum eſt; ergo etiam illicitum eſt recedere à Conjuge poſt Matrimonium in Hæreſim, aut Apoſtaſiam lapſo.

943. Reſp. Ad Primum. Quidquid ſit de antecedente à pluribus in controverſiam vocato,

to,

to, quibus ſavere in ſpeciem videtur Auguſt. Lib. 1. de Adult. Conjug. Cap. 13. relat. 28. Quæſt. 1. Cap. *Sic enim*, neg. conſeq. Infideles enim, & Hæretici in errore nati, atque enutriti, quoniam Fidem Orthodoxam voluntariè nequaquam deſeruerunt, ſicuti minus peccant 32. Quæſt. 4. Cap. *In eo*, ita non merentur pœnam Deſertoribus debitam; adeoque neque Divortio puniendi ſunt.

944. Ad ſecundum neg. conſeq. Nam Hæretici, & Apoſtatæ, quibus Mulieres Albanenſes nubunt, vel ab incunabulis Apoſtaſiam, aut Hæreſim ſuxerunt, vel ante Matrimonium amplexi ſunt: ob quam recedere à Viris non debent, niſi periculum proximum ſubverſionis immineat. In caſu autem noſtro Conjux poſt Matrimonium celebratum in Hæreſim, aut Apoſtaſiam lapſus eſt.

945. Obji. contra ſecundam Partem. Converſus ad Fidem, altero Conjuge manente Infideli, tenetur ad ipſum reverti, dummodò nec ſeductio, nec perverſio in Fide immineat, Cap. *Gaudemus*, de Divor; ergo etiam Conjux Fidelis tenetur reverti ad eum, qui Hæreſi, aut alteri falſæ Sectæ poſt Matrimonium adhæſit; quoties nec perverſio timeatur, nec Chriſto contumelia inferatur.

946. Conf. Conjux Catholicus recedens ab altero, qui in Hæreſim, aut Apoſtaſiam incidit, divortium perpetuum facit: hoc autem illicitum eſt; divortium enim perpetuum eſt pœna, quæ infligi niſi à Judice poteſt per ſententiam, Cap. *Interfectores*, ſicuti diſcedere non poteſt ob adulterium carnale, niſi lata Judicis ſententia, Cap. *Sæculares* 3. Cap. 2.

947. Reſp. neg. conſeq. Tumquia non adeſt idem periculum perverſionis. Tumquia

Con-

Conjugi Catholicæ poteſtatem hanc tribuit Eccleſia vel in pœnam Hæreſis, aut Apoſtaſię poſt Matrimonium inductæ, vel quia hoc pacto ad meliorem frugem redigitur, qui poſt Matrimonium in pravitatem hæreticam lapſus eſt.

948. Ad Conf. falſa eſt min. Fidelis enim divortium ab Infideli facit, donec reſipiſcat, propria authoritate; quod ſi fecerit authoritate Eccleſiæ, ſi perpetuum ſit, etiamſi reſipiſcat, non tenetur Reum Innocens recipere, Cap. *Gaudemus*, de Converſ. Conjug. itaque Infidelis, aut Hæreticus pertinax ſibi debet imputare, non autem Conjugi innocenti, quæ indemnitati ſuæ conſulit maximè in Miſſionibus, ubi Tribunal non adeſt, quo publicè refractarii à Fide Orthodoxa plectuntur.

949. Quæres I. Quibus probationibus opus ſit, ut Uxor divortium efficiat quoad thorum? Quibus quoad domicilium, ſivè Hæreſim, ſivè aliam cauſam ſpectemus?

950. Reſp. Cauſam, ob quam divortio non perpetuo, & quidem propria authoritate unus Conjux repellere à thoro poteſt alterum Conjugem, cohabitatione retenta, debere moraliter eſſe certam, ex S. Thom. 3. Diſt. 35. Quæſt. unic. S. Bona. 4. Diſt. 32. Quæſt. 2. & Aliis, quos cumulat Sanchez de Matrimonio Lib. 10. Diſp. 12. de Reg. enim Juris in 6. *In dubio favendum eſt potius Reo, quam Actori, & potior eſt conditio poſſidentis*; ergo cum reus cenſeatur Conjux à thoro repellendus, Innocens, qui verſatur in dubio, favere tenetur Conjugi, de cujus crimine dubitat; qui enim ſtat in poſſeſſione, & jure debitum petendi, abſque evidenti ratione privari non debet. Dubia vero in meliorem partem ſunt interpretanda, Cap. *Eſtote*, de Reg. Jur. in 6.

351. Ut

951. Ut autem Conjux hæreticus, vel adulter etiam à domicilio ad tempus expellatur, eique cohabitatio denegetur, illæ probationes requiruntur, quas exigunt Canones. In tali enim caſu divortium etſi temporale publicum eſt, & publica pœna afficitur; ergo probatione opus eſt, quæ publicè illum reum convincat: hæc autem eſt illa, quam poſtulant Canones, ut Reus per ſententiam damnetur: nam ſi ſecus fieret, Conjux repulſus reclamaret, ac propterea in integrum à Judice reſtitueretur, ex Innoc. III. Cap. *Literas*, de reſtit. ſpoliat.

952. Quæres II. An Mulier adultera, aut Vir mæchus poſſit abſque publica Judicis authoritate dimitti?

953. Reſp. Si dimiſſio ſit publica, itaut coram Populo appareat, non poſſe citra publicam authoritatem fieri: hoc enim vetant Canones, Cap. *Porrò*, de divor. & Cap. *Multorum*, 35. Quæſt. 6. publica enim pœna à publico Magiſtratu inferenda eſt; nec quiſque in propria cauſa Judex eſſe debet; & propterea hujuſmodi cauſæ Judici Eccleſiaſtico ſunt deferendæ, ex Trid. ſeſſ. 24. de Refor. Matrim. Cap. 20., & tenent S. Thom. 4. diſt. 35. Quæſt. unic. art. 2. S. Bonaventura 4. diſt. 35. Quæſt. 3.

954. Si verò dimiſſio publica non ſit, exiſtimant graviſſimi Doct. apud Sanchez lib. 10. de Matrim. diſp. 12. id fieri à Conjuge propria authoritate poſſe, quoties concludentes habeantur probationes: Innocens enim non tenetur cohabitare cum Conjuge adultero, cujus crimen non eſt omnino occultum, quo caſu à ſolo thoro repelli poteſt, cum Conjugii conditio nempe fides nequaquam impleatur, Cap. *Quemadmodum*, de Jurejurando.

955. Quæres III. An Conjux Fidelis, tenea-

neatur diſcedere à Conjuge fidem Conjugalem notoriè, & pertinaciter frangente?

956. Reſp. Affirmativè ex S. Thom. 4. diſt. 35. Quæſt. unic. art. 2. S. Bonaventura ibidem Quæſt. 1. art. 2. & innuitur Cap. *Sicut crudelis* 31. Quæſt. 1. 34. Quæſt. 1. Cap. *Ego dixi*, Quia nimirum Conjux Fidelis palparet crimen Adulteri, & approbare videretur ipſum retinendo, atque cum ipſo ſe commiſcendo, cum tamen expulſio cum fortaſſe ad pœnitentiam provocaret.

QUÆSTIO XXXVIII.

An duo Conjuges Catholici apud Orientales, quorum unus in hæreſim, alter in adulterium labitur, poſſint per divortium ſeparari?

957. Reſp. Poſſe. Ducor. Quia Hæreſis, & Adulterium carnale ſunt crimina diverſi omnino generis, cum primum Fidei Divinæ opponatur, quæ eſt virtus Theologica: adulterium verò fidei conjugali, quæ virtus eſt purè moralis, & in linea diverſa: ad hoc autem ut ſeparari Conjuges non poſſent, oporteret, utriuſque crimen fidei conjugali opponi; tunc enim cum uterque in eodem genere peccaret, amitteret jus diſcedendi ab altero; ergo cum iſti Conjuges in diverſo genere deliquerint, quorum unumquodque dimiſſionem meretur, nempe Hæreſis, Cap. *Quæſivit* de divor. & Adulterium, Cap. *Quod autem* 22. Quæſt. 1., ergo ob hujuſmodi crimina ſeparari poſſunt.

958. Obji. Duo Conjuges fornicarii non poſſunt ſeparari, vel, ſi ſeparati ſint, coguntur reverti Eccleſiæ Cenſuris, Cap. *Nihil iniquius*, 32. Quæſt. 6., ergo etiam Hæreticus, & adultera

tera

tera ſeparari nequeunt, vel ſeparati reconciliari debent. Probat. conſeq. Nam Hæreſis eſt adulterium ſpirituale longè gravius carnali; ergo ſi duo Adulteri ſeparari nequeunt, aut reconciliari debent, idipſum de Hæretico, & Adultero dicendum eſt.

959. Confir. Sodomita, aut turpitudinis cum Bruto Reus poteſt compenſare cum Muliere adultera, itaut neuter à cohabitatione reſilire valeat, ex communi apud Sanchez lib. 10. de Matrim. diſp. 6.; ergo etiam Hæreticus cum Adultera; videtur enim eadem ratio.

960. Reſp. neg. conſeq. Nam Hæreſis, etſi crimen gravius Adulterio, diverſi eſt generis: fornicatio verò in utroque Conjuge in eadem ſpecie peccati carnalis continetur; & ideo fieri non poteſt compenſatio.

961. Ad Confir. neg. conſeq. Nam Sodomia, & alia hujuſmodi crimina licet non in eadem ſpecie, in eodem tamen genere carnalis peccati continentur: at Hæreſis, & Adulterium carnale toto genere differunt, uti differunt genere Virtutes, quibus opponuntur.

962. Sciſcitabis, An mollities, & actus inhoneſti ſufficienter probati, ſufficiant ad impediendum divortium, quod poſtularetur ab alia Parte?

963. Reſp. Mollitiem, & actus inhoneſtos quoſcumque ſecundum ſe ad divortium minimè ſufficere, eo quia carnem cum alieno nequaquam dividant, ex qua diviſione divortium poſtulatur. Si verò uterque Conjux iiſdem ſuſpicionibus ob actus inhoneſtos cum alieno laboraret, tunc compenſationi locus eſſet. Quoties verò adulterium ex parte unius Conjugis probatur evidentia facti, vel Rei confeſſione, ex parte verò alterius actibus tantummodo impudi-

pudicis etiam proximis, tunc compenſatio fieri non poſſet: nam adverſus unum Conjugem veritas ipſa pateret criminis commiſſi, ex parte verò alterius ſola præſumptio, quæ utique cum veritate ipſa pugnare non poteſt; adeoque neque reconciliatio utriuſque Conjugis exigi valeret.

QUÆSTIO XXXIX.

An juſtè à proprio Conjuge Catholico Uxor dimitti poſſit, quæ ſtricto gladio ab Ethnico impetita ejuſdem timore mortis impudentiæ ceſſit?

964. R Reſp. Affirmative. Ita S. Bonaven. 4. diſt. 35. in expoſit. Text. Magiſt. Palud. & Alii apud Sanchez lib. 9. de Matrim. diſp. 31., quod etiam Brancat. noſt. diſput. 42. art. 6. minimè diſplicet.

965. Ducor autem. Quia Chriſtus Dominus Mat. 5. 32. & 19. 9. & Luc. 16. 18. concedit Viro dimittere Uxorem ob fornicationem, & congruenter ad Legem Chriſti Canones largiuntur de divor. Cap. *Intelleximus*, Cap. fin. de adulter. 3. Quæſt. 5. Cap. *Qualis debeat*, & alibi paſſim: Mulier autem illa, de qua eſt ſermo, verè, & culpabiliter mæchata eſt cum Viro alieno, tametſi metu mortis injuſtè incuſſo; non enim eam violenter aggreſſor oppreſſit, ſed ſolummodo metum incuſſit; ergo, quemadmodum ipſa cum Marito manendi jus amiſit, ita ipſe illud aquiſivit eam dimittendi.

966. Neque ipſam metus mortis excuſat. Nam voluntariè conſenſit, nemine ipſam violenter compellente. Nec major eſt ratio, cur metus mortis imminentis in aliis peccatis non excuſet, ut patet in Martyribus, excuſet autem

tem in adulterio, & fornicatione, quæ mala ſunt ab intrinſeco, & ideo prohibita, quia mala.

967. Si tamen æquitati Maritus ille conſulere vellet, eam recipere charitativè deberet, cum ſupponamus eam facti pudere, oſtenſamque fragilitatem ſummopere eidem diſplicere: quo caſu abſtinere à divortio debet, ſi ante ſententiam Judicis Uxor petat reconciliari, Cap. *Si Vir* de Adult.

968. Obji. Jus Thori minimè in hoc caſu violatum eſt, cum corruptio carnis fuerit involuntaria; ergo etiam Mulier illa pœnâ divortii plecti nequaquam debet. Tumquia Lucretia Romana violenter à Tarquinio Superbo minimè fuit oppreſſa, ſed ſolummodò ab eo minæ eidem intentatæ accuſationis apud Judicem, ſe illam cum ſervo peccantem deprehendiſſe, atque homicidam ſervi inveniſſe, quam tamen S. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei Cap. 8. à crimine adulterii facit immunem, & citatur Cap. *Propoſito*, 28. Quæſt. 5. Tumquia, ubi non eſt dolus, pœnæ ceſſant L. *Nec exemplum* L. *De falſis*. Menoch. conſil. 28. at adulterium commiſſum pro morte vitanda non habet dolum, eo quia non propter cupiditatem alieni thori, ſed ad vitam ſervandam commiſſum eſt. Tumquia Leges poſitivæ non obſtringunt in tali caſu; ergo cum Mulier illa minimè peccaverit, pœna divortii non eſt punienda.

969. Ad Primum neg. ant., & ejuſdem probationem: verè enim illa corruptio fuit ſimpliciter voluntaria, etſi aliqua involuntarietate permixta ſecundum quid, eo pacto, quo mercator, imminente naufragio, merces projicit in mare, quod non contingit in violenter oppreſſis, ut optimè Hieronymus ad Victor. relat. 32. Quæſt. 5. Cap. *Tantum*.

970. Ad

970. Ad Secundum dico cum Gloſſ. Lucretiam verè adulteram Theologicè fuiſſe, Auguſtinum autem eam pudicam appellare non in ſe, ſed relatè ad Sæculi Leges, juxta quas non committitur adulterium niſi dolo, ac omnino liberè, L. *Prima* ff. de Adult. ac propterea Juris civilis evitatur pœna.

971. Ad Tertium dico, majorem eſſe veram de pœna, quæ crimini ut ſupplicium infligitur, & à Poteſtate pure humana præſcribitur, non de illa, quæ non eſt pura pœna, ſed ſequela conditionalis ex defectu conditionis prodiens minimè impletæ, ut in contractibus contingit: divortium autem non eſt pura pœna à Lege inflicta, ſed ſequela adulterii, eo quia non ſit impleta conditio Matrimonii, nempe fides maritalis, etſi metu mali extrinſeci fuerit violata. Cæterum falſa quoque eſt minor: verus enim dolus adſtitit, non quidem legalis, ſed Theologicus, quatenus involvit culpam, quam Mulier potuiſſet, & debuiſſet effugere: in tali enim caſu dolus præſumitur, cum factum fuerit, quod debuerat omitti, L. *Dolus* ff. ad Legem Falcidiam; quod quidem, ſicuti ad peccatum ſufficit, ita ſufficit quoque ad pœnas incurrendas Divino, & naturali Jure ſancitas, cujuſmodi eſt divortium.

972. Petes I. An Mulier prævidens Infidelium irruptionem, à quibus ſcit fore, ut vi opprimatur, renuit tamen periculum effugere, ſi reipſa violenter maculetur invita, poſſit à Marito repelli?

973. Reſp. Non poſſe; quandoquidem, reluctante voluntate, fœdata fuit, ejuſque caro diviſa, uti cum Pluribus reſolvit Sanchez lib. 10. diſp. 5. etſi fortaſſe in cauſa deliquerit, nolens vitare periculum, ſi animo adultero ſubſiſtit.

974. Pe-

974. Petes II. An Chriſtifidelis inter Ethnicos vivens metu necis percitus, permittens Uxorem ſuam ab Infidelibus violari, vel eam ipſis proſtituens, quæ tamen animo libenti Corruptoribus morem gerit, poſſit eam, pacata tempeſtate, repellere, divortio interpoſito?

975. Reſp. Non poſſe repelli. Nam quamvis animo verè adultero Mulier illa ad Procos accedat, & cum ipſis concumbat, etſi revera peccet, & Adultera ſit; non tamen injuriam Marito facit: *Volenti*, enim *& conſentienti non ſit injuria, neque dolus*; de Reg. Jur. in 6. adeoque nec poteſt per divortium repelli, cum ſimpliciter Maritus conſenſerit, etſi involuntariè ſecundum quid.

QUÆSTIO XL.

An Tyranno Infideli Catholicum ſibi ſubditum cogente, ut Puellam captivam à ſe violatam ſumat in Uxorem, ſi mortuo Tyranno, aliam ſumat, primum, vel ſecundum Matrimonium ſubſiſtat?

976. RESp. Primum Matrimonium irritum fuiſſe, ſecundum autem validum.

977. Prima Pars patet. Nam metus cadens in conſtantem Virum extrinſecè, & injuſtè incuſſus, irritat Matrimonium, de Sponſal. Cap. *Cum locus*, Cap. *De illis* 31. Quæſt. 2. & docet S. Thom. 4. Diſt. 29. Quæſt. 1. Sanc. Bonavent. ibidem, & Doctor Subtilis Quæſt. Unic. at Conjugium hoc cum Captiva celebratum eſt ob metum injuſtè incuſſum; ergo cum Catholicus invitus contraxerit, Matrimonium illud irritum eſt.

978. Ulterius. Eadem libertas requiritur

in Matrimonio carnali, ac ſpirituali, nempe ſolemni Profeſſione: at emittens ſolemnem Profeſſionem metu impulſus cadente in conſtantem Virum, mortis nimirum, mutilationis, carceris, aut aliarum ſimilium calamitatum, invalidè facit, & poteſt reſilire, ex Alexand. III. cap. I. *De his, quæ vi, & metu*, & Triden. ſeſs. 24. graviſſimis pœnis eos plectente, qui audent terroribus Virgines adigere, ut Vota ſolemnia emittant; ergo idipſum in caſu dicendum eſt.

979. Tandem libertas Conjugii omnimoda non ab Eccleſia tantum, ſed à Deo ipſo, & jure naturali dictante, inducta eſt. Cum enim, ut optimè advertit Seraph. Bonav. 4. Diſt. 29. Quæſt. I. Conjuges ſe invicem diligere debeant, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, cujus dilectionis Matrimonium typum gerit, ad Epheſ. 5. nimis rationi adverſatur, virum cohærere perpetuò Uxori, quam non voluntas, ſed violenta coactio induxit; quod enim quis non diligit, profectò non eligit, Cap. *Præſens* 20. Quæſt. 3.; ergo quia in caſu noſtro injuſta coactio intervenerit, Conjugium illud invalidum eſt.

980. Secunda quoque Pars liquet. Nam ſecundum Conjugium omnibus neceſſariis conditionibus ornatur, tum ex parte conſenſus pleniſſimè ex utraque parte liberi; tumquia nullum apparebat impedimentum, quo Conjuges à Matrimonio arcerentur; ex primo enim utpote invalido, nullum jus reſultavit in altero Conjuge, ut alter reſilire non poſſet. Non ſic de illo, qui metum incuſſit, aut illius particeps fuit: hic enim, quoniam ex parte ſui, plenè conſenſit, reſilire non poteſt; nemo enim ex iniquitate ſua commodum referre debet, nec dolus ulli patrocinatur, Cap. *Ex Literis*, de dolo,

lo, & contumacia, donec alter Conjux ſecundæ nupſerit.

981. Obji. Contra primam Partem. Tumquia nihil deeſt Matrimonio illi quoad validitatem: non quidem Sponſæ conſenſus, quæ libenter acceſſit; neque etiam Viri: nam licet à Tyranno compulſus, verè tamen per voluntatem conſenſum prębuit, ne pejora mala incurreret; qui quidem eſt actus liberæ voluntatis, quæ cogi ad actus ſuos eliciendos non poteſt, juxta Doct. Subtil. 2. Diſt. 37. Quæſt. Unic. §. *De Primo*. Tumquia non minor libertas ad Votum requiritur, quam ad Matrimonium: at hujuſmodi coactio non tollit Voti validitatem, ut patet in Votis naufragantium, ægrotorum, aut in aliis periculis verſantium. Tumquia metus extrinſecè incuſſus Matrimonium non ſemper infirmat, ut patet in deflorante Virginem, quam à Judice compellitur ducere in Uxorem, ex Cap. *Pervenit* de Adult. Tumquia metus à Tyranno incuſſus non cadit in Virum conſtantem, qui juxta rectam Rationem agendo minus malum eligere debet, ut effugiat majus: minus autem malum eſt nubere captivæ Mulieri corruptæ juſſu Tyranni, quam Fidem Orthodoxam abnegare, vel necem ſubire acerbiſſimam; ergo metus ille non cadit in Virum conſtantem; adeoque &c.

982. Ad Primum dico, deeſſe libertatem pleniſſimam, quam jus naturale, atque Lex Evangelica in Matrimoniis exigunt. Quamquam enim Vir ille liberè conſenſerit, ne mala pejora incurreret, attamen non conſenſit pleniſſima libertate.

983. Ad Secundum, verum eſt aſſumptum: at nego Illationem: nam Vota, quæ in naufragio, vel aliis hujuſmodi periculis emittuntur,

ex illis nequaquam prodeunt, cum alia opera poſſent fieri, ac voveri: at in caſu noſtro libertas Viri coarctatur ad hanc Mulierem ſuſcipiendam metu præcisè mortis, aut Fidei abnegationis.

984. Ad Tertium, admiſſo antecedente, quod plerique negant apud Sanchez lib.2. Diſp. 13.; eoquia metus ille, tametſi juſtè incuſſus, cum unicè ad extorquendum Matrimonium ordinetur, eo ipſo Matrimonium irritum facit, & fundatur in Cap. *Veniens*, & in Cap. *Gemma Mulier*, de Sponſal.; neg. adhuc conſeq. eoquia metus ille incuſſus ſupponit in Conjugibus liberam voluntatem, quæ debet ineſſe poſt copulam iterum coeundi. Ratio autem naturalis docet defloratorêm accipere debere in Uxorem Mulierem à ſe corruptam, cum aliis nunc, amiſſa Virginitate, diſpliceat, nec ita facile ſibi in poſterum nupturos inveniat: ſtuprator igitur liberè nubit ſtupratæ, quia ſibi liberè ſtuprando neceſſitatem iſtam impoſuit.

985. Ad Ultimum neg. major. Nullum quippe majus malum in Virum conſtantem cadere poteſt, quam mortis acerbiſſimæ, aut abnegationis veræ Religionis, & ideo ſapienter eligit nubere Mulieri corruptæ à Tyranno ſibi oblatæ: at hoc non probat fieri ea libertate, quæ ad Matrimonium requiritur, quæ abſolutiſſima eſſe debet. Nam cæteri contractus etſi metu injuſtè incuſſo celebrati, adhuc liberi ſint, & validi, à publica tamen Poteſtate, Parte inſtante, vel etiam ab ipſiſmet Contrahentibus reſcindi poſſunt: Matrimonium autem minimè; requirit quippe amicabilem, & quidem perpetuam conſuetudinem, non minùs animorum, quam corporum.

986. Quæres, An Principe Apoſtata à vera Reli-

Religione, vel Amico præpotenti in Regione precibus, & illecebris ad Matrimonium Puellam, vel ejuſdem Parente impellente, Matrimonium ſit validum?

987. Reſp. Principis, aut Parentis naturam inſpiciendam. Si Princeps, vel Pater ſit Vir mitis, & lenis ingenii, qui negativam rationabilem patienter ſuſtinere prævideatur, tunc Matrimonium eſſe validum, cum blanditiæ illæ potius augeant, quam minuant voluntarium. Si verò Princeps, aut Pater naturæ ſit ſævæ, atque aſperæ, minaſque truces exequi ſit conſuetus; tunc, cum preces Principum, ac Parentum præcepta cenſeantur, & in Jure cenſentur conſenſum extorquere, & cogere, Capite *Perditio*, de Jurejurando, & Capite *Cum inter*, de Elect., Matrimonium hujuſmodi ſit coactum, idcirco irritum eſt. Idipſum de minis dicendum eſt. Ita cenſent Covaru. Sanchez, Averſa, & Alii apud Maſtr. noſt. Diſp.7. de Matrim. Quæſt.4. art.1. eiſdem adhærentem, etſi Abbas, Henriquez, Ledeſma, & Alii oppoſitum ſentiant.

QUÆSTIO XLI.

An liceat Pagano cohabitationem denegare Uxori Infideli à ſe repudiatæ, & cupit reverti, quæ Infideli nupſit, etiamſi Conjux prior, & ipſe ad Fidem Orthodoxam fuerint converſi?

988. Reſp. Negativè, niſi ante, vel poſt converſionem Adulterium, aut Fornicationem cum alio non Conjuge poſt repudium commiſiſſet. Ita in terminis reſolvit Innoc. III. Cap. *Gaudemus*, de Divor.

989. Ratio primæ Partis eſt: Quia Repudiata

nubens alteri juxta Ritum ſuum, etſi in eſſe materiali adultera ſit, non tamen in eſſe formali; copulam quippe habet cum legitimo Conjuge, juxta præſcriptum Legis ſuæ; ergo ex hoc præcisè nequit Conjux eam, ut Adulteram, & Fornicariam repellere.

990. Confirm. Nam rem habens cum non ſua, quam inviolabiliter ſuam putat Conjugem, non poteſt à vera Uxore de Adulterio reprehendi, & hac de Cauſa divortium poſtulare, Cap. *Lectum*, 34. Quæſt. 1. eo quia non acceſſit animo adultero, ſed affectu maritali, quo pacto Jacob ad Liam acceſſit quatenus eſſe Rachelem putavit; ergo ſicut ignorans repelli nequit à thoro, ita nec repudiata, quæ, facto repudio, alteri nupſerat, repelli poteſt.

991. Ulterius. Nequit imponi divortium Mulieri, quæ, jubente, aut permittente Marito, rem habuit cum altero Viro, ut elicitur ex Cap. *Diſcretionem*, de eo qui cognovit; eſt quippe ipſius leno, cui prohibetur Uxorem de Adulterio accuſare, ff. ad L. Juliam de Adult. lib. 6. tit. 9. par. 4. Repudians autem Uxorem dat ei facultatem cum alio Viro concumbendi: hinc Mulieribus Hebręis repudiatis permittebatur alteri nubere, Deutor. 24.; ergo quoniam conſenſu, aut permiſſione Repudiantis carnalem copulam cum alio Viro habuit, uti Adulterium ipſi objici non poteſt, ita nec à thoro, & cohabitatione repelli.

992. Secunda Pars conſtat ex verbis præfatæ Decretalis: *Non tamen Dimiſſor poterit objicere fornicationem dimiſſæ pro eo, quod nupſit alio poſt repudium, niſi alias fuerit fornicata*; ergo ſivè ante, ſive poſt repudium eſt cauſa ſufficiens nolendi repudiatam admittere ſive ad thorum, ſive ad cohabitationem, cum fidelitati

oppo-

opponatur Matrimonii ex natura ſua, ſive Conjuges Fideles ſint, ſive Infideles.

993. Quæres I. An, ſi poſt repudium Vir nullam aliam ducat Uxorem, Repudiata verò fornicationis pœnitentiam oſtendat, eam teneatur recipere?

994. Reſp. Non teneri. Quia poſt ſententiam divortii ob adulterium à Judice competente latam non obſtringitur eam recipere, ex Cap. *Significaſti*, de divor. Cap. *De Benedicto*, 32. Quæſt. 1. & Cap. *Gaudemus*, de converſ. Conjug: at Mulier, de qua loquimur, dimiſſa fuit per ſententiam Judicis, oblato libello, in quo dimiſſio omnimoda etiam quoad vinculum petebatur; ergo, qui repudiavit non tenetur illam recipere; etiamſi Judex fuerit Ethnicus, cui Vir, & Mulier Ethnici ſubdebantur.

995. Quæres II. An Mulier non propter adulterium, ſed ob aliud crimen, vel cauſam repudiata, ſi ejuſdem illam pœniteat, & velit reverti, quoties aliam non ſumpſerit Uxorem, debeat à Viro converſo, qui eam repudiavit, recipi?

996. Reſp. Affirmativè. Ratio eſt. Quoniam fornicatio non fuit motivum eam repudiandi; ergo ſi eam pœnituit ſui criminis, & reconciliationem petat, Maritus Infidelis ad Fidem converſus eam tenetur recipere, niſi alia ſint motiva, ob quæ divortium etiam inter Chriſtifideles licitum eſt, ut v.g. ſævities nimia, vel mortis machinatio, vel alia ſimilia, & ſi nulla interveniat contumelia Creatoris.

997. Quæres III. An, ſi Uxor repudiata manens Infidelis, ac ceſſantibus motivis repudii Virum relinqueret, cui poſt repudium nupſerat & accederet ad priorem Conjugem, minimè ad huc ad ſecunda vota profectum, ſitque para-

ta pacificè cohabitare, teneatur Vir illam recipere, atque ad thorum, & cohabitationem admittere?

998. Reſp. Affirmativè. Ratio eſt. Quia licèt Viro converſo ad Fidem ad ſecunda Vota cum Muliere fideli tranſeunte, Matrimonium diſſolvatur, non tamen ipſamet converſione reſcinditur; adeoque non eximitur Converſus à vinculo Conjugii cum ſua Conjuge aliundè valido; igitur, nullo urgente motivo illam repellendi, tenetur repudiatam ad thorum, & cohabitationem admittere, cum in reipſa hujuſmodi Mulier ſit Converſi fidelis Uxor legitima, etſi ante Baptiſmum illam repudiavit.

QUÆSTIO XLII.

An Marito Catholico in Apoſtaſiam lapſo, Uxor perpetuam continentiam vovens, teneatur poſt Virum converſum ad thorum, & cohabitationem admittere?

999. Reſp. Non teneri, etſi à Conjuge propria authoritate diſceſſerit.

1000. Prob. autem ſic: Stante fornicatione carnali unius Conjugis, concedunt Canones à Conjuge innocente tranſitum fieri ad Statum Regularem, in quo Votum continentiæ includitur, Cap. *Conſtitutum*, de Conver. Conjug. & Cap. *Agathoſa*; ergo etiam licitum eſt, ſtante Apoſtaſia unius Conjugis, quæ Adulterium eſt ſpirituale, Conjugi innocenti emittere Votum perpetuæ continentiæ.

1001. Et ratio eſt. Nam, ſicut per adulterium carnale, ita etiam per adulterium, & fornicationem ſpiritualem, nempe Apoſtaſiam à Fide, vel Hæreſim Reus amittit jus, perfidia duran-

durante, thori, & cohabitationis cum Conjuge innocente, qui aquirit jus diſcedendi à nocente, alioquin Reus ex iniquitate commodum referret, quod Juri contradicit L. *In fundo* ff. de re vindic. Cap. *Agnoſcentes*, de Conſtitut. Igitur aquirit Innocens jus ſtatum mutandi, vel tranſeundo ad Religionem, vel perpetuæ continentiæ Votum emittendi; ergo, ſtante mutatione iſta ſtatus, non tenetur innocens ad nocentem redire, quamvis poſtea reſipuerit, & reconciliari poſtulaverit.

1002. Neque requiritur in hoc Judicis ſententia. Nam Uxor, de qua loquimur, in Loco degit Miſſionum, ubi nullum adeſt Eccleſiaſticum Tribunal, vel ſaltem poteſtatem ſuam liberè nequit exercere; ergo poteſt ex ſemetipſa illo Jure gaudere; ergo ſi publicè de crimine conſtiterit, ſicut, eo manente, potuit à Conjuge diſcedere, ita quoque Votum emittere perpetuæ Caſtitatis; & hoc in Foro Conſcientiæ, & ad præcavenda Animæ pericula, quibus caſibus Eccleſiaſticam Poteſtatem requiri, negat. Branc. noſt. de Matr. diſp.42. art.11. §.1.

1003. Argumenta, quæ poſſunt in contrarium afferri ex Cap. *De illa*, de divor., ex Cap. *Ceſſante* 1. Quæſt. 7. ex Cap. *Quo autem* 32. Quæſt.2. ex Cap. *Hinc*, de Adult. ſolummodò probant, Conjugem reſipiſcentem ſive ab adulterio, ſive ab alio crimine debere ab Innocente recipi, priuſquam ſtatus mutetur, quod ultro concedo, niſi Eccleſiæ Tribunali crimen ob publicitatem fuerit traditum, non autem ſi ante reſipiſcentiam Conjux innocens ſtatum mutaverit, ſolemne, aut perpetuæ continentiæ Votum emittendo. Quo caſu etiam Conjux reus idipſum poteſt facere à Vinculo Conjugalis cohabitationis, etſi non à Matrimonio ipſo ſolutus;

An Uxor Catholica à Viro pariter Catholico apud Judicem Ethnicum fornicationis accuſari, ab ipſa verò ad Patriarcham Schiſmaticum pro indemnitate provocari queat?

1004. RESP. Catholicum accuſantem apud Ethnicum Magiſtratum Uxorem de adulterio, ut criminaliter puniatur, non verò quoad puram dimiſſionem, licitè agere: Uxorem verò male ſe gerere ad Patriarcham Schiſmaticum provocando, quoties præcisè Judicium declinare voluerit: benè, ſi apud Infideles tegere jurgia intenderit cum Marito ex Adulterio exorta.

1005. Prima Pars evincitur. Non enim peccat, qui cauſam defert ad Legitimum Judicem, ad quem de Jure devolvitur Adulterium, cujus punitio criminaliter, non verò pure civiliter, quoad thori dimiſſionem, intenditur: ad Judicem autem Laicum aut pertinet, aut ſaltem deferri poteſt, crimen Adulterii, ut criminaliter puniatur. Cap. *Tua Fraternitati*, de Procuratoribus; ergo, ſicut cauſæ Adulterii à Viro Catholico delati Laicus Magiſtratus eſt Legitimus Judex, ita non peccat Vir ille ipſum implorando.

1006. Nec refert, Magiſtratum Ethnicum eſſe: nam uti defectus Fidei Orthodoxæ non eximit Fideles à ſubjectione Principibus debita temporalibus, etiam Ethnicis, ad Rom. 13.4. ita non aufert ipſis juriſdictionem crimina puniendi, ac dirimendi controverſias; ergo ex hoc præcisè, quod Judex Paganus ſit, non caret poteſtate de adulterio delato criminalem ferendi ſententiam.

1007. Con-

1007. Confir. Nam Judicium in cauſa Sanguinis ad Judicem Eccleſiaſticum, quà talis eſt minimè pertinere, ſed ad Laicum, habemus 23. Quæſt.8. Cap. *His à quibus*, 15. Quæſt. 4. Cap. *Nullus Epiſcopus*: Adulterium autem criminaliter puniendum eſt cauſa Sanguinis: pleſtitur quippe à Lege civili ultimo ſupplicio: nam apud Hebræos Adulteri lapidibus obruebantur, 33. Quæſt.5. Cap. *Hæc imago*; Jure verò Cæſareo neci traduntur L. *Quamvis* 2. C. Ad legem Juliam de Adult. quæ Lex quoad Viros non eſt correcta, ſed tantummodò moderata quoad Mulieres per Authen. *Sed hodie*; ergo ad Judicem Sæcularem pertinet, vel ſi mixti eſt Fori, non peccavit Maritus præveniendo, ipſamque deducendo ad Laicum Tribunal.

1008. Secunda Pars liquet ex ſemetipſa. Nam ſeparationis Mulieris à Viro quoad thorum, & cohabitationem tantummodò, utpote cauſæ ad Sacramentum pertinentis, cognitio ad Laicum Forum nequaquam ſpectat, ſed unicè ad Eccleſiaſticum, de exceſ. Prælat. Cap. *Accedentibus*; ergo graviter delinquit Catholicus Adulterium hoc pacto deferens Ethnico Magiſtratui.

1009. Tertia Pars videtur mihi perſpicua. Nam revocare Accuſatorem à legitimo Judice, ne cauſam coram eo juſtè propoſitam proſequatur, malum grave eſt Juſtitiæ oppoſitum, cum jus violetur & Accuſatoris, & Judicis: Ethnicus autem Magiſtratus Chriſtianorum, aut Incolarum, aut Forenſium legitimus eſt Judex in Locis, ubi Princeps Ethnicus dominatione potitur de jure, aut de facto ex præſumpto Principum Fidelium conſenſu, juxta Bonac. de reſtit. in Partic. Diſp. 2. Quæſt. ult. ſec. 1. Punc. ult.; ergo graviter delinquit Viri Catho-

lici Uxor nolens ſiſtere ſe coram Tribunali Ethnico, quod juſte à Conjuge imploratum eſt.

1010. Ultima tandem Pars conſtat: quia licitum eſt declinare Tribunal Judicis ſibi, aut Nationi, aut Religioni infeſti, jure ipſo naturali dictante: jura enim permittunt, Judicem ſuſceptum effugere, etiam Papæ Delegatum, dummodo ſuſpicio probetur, Cap. *Cauſam*, de Appel. & Recurſ. Infideles autem, præcipue Mahumetis Sectatores, infenſiſſimi ſunt hoſtes Chriſtianorum, experientia ipſa teſte; ergo licitum eſt ad aliud recurrere Tribunal, agit quippe recurrens cauſam non ſolummodo ſuam, ſed Fidelium omnium Chriſti.

1011. Nec refert Patriarchæ Schiſmatici Tribunal non minus eſſe illegitimum, quam Ethnici Magiſtratus: illud enim implorat, non ut legitimum, ſed ut malum minus, & ad redimendam vexationem, juxta Cap. *Duo ſunt* 22. Quæſt. 4.

1012. Obji. contra Primam Partem. Apoſtolus 1. Cor. 6. 5. vetat Chriſtianis Tribunalia Ethnicorum accedere, ac debere docet potius præjudicium aliquod ab iis ſentire, quam Foro objici Ethnicorum. Tumquia cauſæ Matrimoniales ad Tribunal Eccleſiaſticum pertinent, ex Triden. 24. de Refor. Matrim. Cap. 9. Adulterium autem eſt cauſa Matrimonii; ergo &c.

1013. Reſp. neg. ant., cum ipſemet Paulus Act. 26. Ethnici Imperatoris Tribunal appellando imploraverit. Loquitur ergo in caſu, quo ſuppetat Politicus Magiſtratus Fidelium, non verò quando deeſt; eo modo, quo Clericis inhibetur Judicem adire Laicum, ſi Eccleſiaſticus præſto ſit, de Judic. Cap. *Clerici* de Foro competenti, Cap. *Cum contingat*: aut

con-

conſilium præbet, non præceptum; ſermonem enim habebat cum Primitivæ Eccleſiæ Fidelibus, coram quibus effuſi Chriſti Sanguinis adhuc ferventis guttæ fluebant.

1014. Obji. adverſus ultimam Partem. Patriarcha Schiſmaticus, utpote jurisdictione privatus, eſt illegitimus Catholicorum Judex; ergo illicitum eſt ad ipſum provocare, Judice legitimo, etſi Infideli, derelicto.

1015. Reſp. ant. verum eſſe, ſi veluti legitimus Judex conveniatur; non verò, quando imploratur ad redimendam vexationem, quæ incurreretur, ſi coram Judice Infideli cauſa agitaretur; eo modo, quo, recuſato Judice Ordinario, Arbitri eliguntur, de offic. Judic. Cap. *Suſpicionis*. Cœterum tenendo ſententiam Opinantium Schiſmaticos toleratos jurisdictione nequaquam carere, quales ſunt Orientales, nulla eſt difficultas: nam Patriarcha Schiſmaticus in tali ſententia veram poſſidet jurisdictionem, nec ipſum conveniendo fit externa Schiſmatis participatio.

QUÆSTIO XLIV.

Utrum Mulier Græca Viro Latino Conjugio copulata, vel Latina Græco ſervare jejunia ſuæ reſpectivè Eccleſiæ nequaquam permiſſa, poſſint à Viro diſcedere, & divortium poſtulare?

1016. RESP. Affirmativè. Ducor quantum ad primum caſum. Quia Uxor Græca Ritum ſequitur, quem ſequi poteſt etiam inter Latinos, multò autem fortiùs, cum degat inter Græcos, qui jubentur à Sede Apoſtolica Ritum ſuum intactum cuſtodire; igitur tenetur ad illa jejunia ſervanda; ergo ſi impedia-

diatur, divortium petere poteſt. Tumquia reperitur in Territorio, ubi Lex jejuniorum viridi floret obſervantia reſpectu Græcorum; ergo ſicuti non eximitur à Lege jejuniorum ſuæ Eccleſiæ, ita ſi ſervare illa impediatur, divortium petere poteſt, ne peccatum grave committat; eo modo, quo Uxor Latina teneretur, ſi ſervare jejunia Eccleſiæ ſuæ à Conjuge impediretur Orientali.

1017. Secunda quoque Pars oſtenditur. Nam Mulier Latina non tenetur ſequi Ritum Græcorum, ſed proprium, juxta Clem. VIII. Conſtit. 34.; ergo ſi cogatur à Conjuge Græco ſervare Quadrageſimam, aliaque jejunia more Græco, petere divortium poteſt, ipſique permitti. Attamen ſi mandatis Græci Conjugis ſe accomodet, Ritum Latinum nequaquam, violat, hujuſmodi abſtinentiam minimè prohibentem, etſi nequaquam mandantem: quapropter non tenetur ad divortium petendum, etſi poſſet: imò conſulerem, Conjugi ſe accomodare, ut domeſtica ſervetur tranquillitas.

1018. Obji. Tumquia Mulier eſt ſubdita Viro ejuſdem Capiti, Cap. *Mulier*, 33. Quæſt. 5. ergo ipſi debet obtemperare in iis, quæ Legi Dei non adverſantur: at ſervando jejunia Eccleſiæ Latinæ, vel Græcæ non violatur Dei Lex, cum uterque Ritus tam Orientalis, quam Occidentalis Eccleſiæ ſit Sanctus; ergo tenetur Marito obtemperare; adeoque non petere divortium poteſt: tumquia *Volenti*, & *conſentienti non fit injuria*, *neque dolus* de Reg. Jur. in 6. Uxor autem conſenſit hujuſmodi jejuniis, cum conſenſerit ſtare ſemper cum Viro, ejuſque frui conſuetudine; ergo recedere non poteſt per divortium, etſi diverſimodè à Viro vitam ducere non poſſit.

1019. Reſp.

1019. Reſp. Minorem eſſe falſam. Nam Lex Divina, & naturalis vult Eccleſiæ Præcepta ſervari, quæ unicuique præſcribuntur; vult autem Eccleſia, Græcos ſervare Ritum ſuum, & ſuum Latinos. Uxores verò tenentur quidem Maritis obtemperare, non tamen in iis, quæ Legi Dei, & ſuæ reſpectivè Eccleſiæ adverſantur: non enim Uxores mancipia ſunt Virorum, ſed ſociæ. Ritus quoque uterque Sanctus eſt: at, ut ſanctè ſervetur, ab unoquoque reſpectivè, qui eum ſequitur, juxta mandatum Sanctæ Matris Eccleſiæ, ſervandus eſt.

1020. Ad ſecundum dico, ex conſenſu in Matrimonium non ſequi conſenſum in Ritum, uti ſupponit Clem. VIII. Bul. cit. Nec repugnat unitati Familiæ ob Religionis reverentiam Virum uno, Uxorem altero cibo veſci, cum id ſæpè ob alia motiva contingat. Neque pax Familiarum idcircò turbatur, cum leve ex hoc incommodum exurgat facilè ſuperabile.

QUÆSTIO XLV.

An poſito more Orientalis Eccleſiæ de ſecundis Nuptiis non celebrandis cum inhabilitate Perſonæ ad ſecunda, vel tertia vota tranſeundi, poſſint duo Catholici, ſtante hujuſmodi impedimento, à Miſſionariis in Matrimonium validè copulari?

1021. RESp. Poſſe, etſi Conjuges illud contrahendo fortaſſe peccaverint.

1022. Prima Pars Aſſerti evincitur. Nam Apoſtolus 1. Cor. 7. 39. Plures Nuptias ſucceſſivè concedit, nullum quippe ipſis terminum præfigit; Eccleſia verò Univerſalis numquam ſecun-

ſecunda, tertia, vel quarta Conjugia irritavit; nullum quippe Decretum, aut Oecumenici Concilii, aut Romani Pontificis, in quibus plenitudo Eccleſiaſticæ poteſtatis invenitur, aſſignari poteſt, quo ſecundæ, vel ulteriores Nuptiæ irritentur; ergo non datur hujuſmodi impedimentum, ſecundas, vel ulteriores Nuptias dirimens, cum ad ſolum Oecumenicum Concilium, aut Romanum Pontificem pertineat hujuſmodi apponere impedimenta, non verò ad particulares Eccleſias, veluti negotium Univerſalem Eccleſiam reſpiciens, ut optimè Laym. Teſtis de communi Lib.5. Theol. Moral. Trac.10. Part. 4. Cap.1. & Brancat. noſt. de imped. Matrim. Diſp. 19.

1023. Conf. hoc: cætera impedimenta dirimentia à ſolo Romano Pontifice, aut Oecumenico Concilio inducta fuerunt, ut Canones percurrenti liquidò conſtabit; ergo etiam hoc debuit à Supremo Eccleſiæ Magiſtratu induci, cum nulla ſit aſſignabilis diſparitas; adeoque ſi nullo Eccleſiæ Univerſalis Decreto Nuptiæ ſecundæ, quæcumque illæ ſint, annullantur, revera ſubſiſtunt.

1024. Eoque magis urget Argumentum: Quia Eccleſiarum particularium Decreta in Conciliis Provincialibus, aut Nationalibus ſancita firmitatem non habent, niſi à Supremo Eccleſiæ Capite Romano Pontifice, vel Oecumenica Synodo, ab eodem pariter confirmata ratihabitionem accipiant, Cap. *Concilia*, Diſt. 17. & revocari poſſunt, ex Gelaſ. Epiſt. 23. Nullus autem Summus Pontifex hucuſque, aut Synodus Generalis ab eo confirmata Legem hanc plurium ſucceſſivè Nuptiarum ratam habuit, ſivè à Synodo Nationali Græcorum, ſivè ab eorum Patriarchis profecta ſit; imò potiùs

tiùs oppoſitum habetur, cum Innoc. IV. Bul. *ſub Catholicæ*, in qua Ritus Græcorum diligenter expenduntur, & probati ab improbatis exactè ſecernuntur, hujuſmodi morem reprehendit, & vult libertatem Nuptiarum intactam omnino remanere; ergo Canones Eccleſiæ Orientalis à Suprema Sede quantum ad hoc minimè approbati, nullum habent vigorem; adeoque &c.

1025. Hoc autem eò magis convincitur. Quia præfatus Innocentius Bull. cit. §. 22. ſeverè vetat, ne quiſquam ex Græcis audeat in quarto Conſanguinitatis, vel Affinitatis gradu Matrimonium contrahere; ergo, ſicuti hujuſmodi impedimentum cognovit, agnoviſſet quoque Bigamiam ſucceſſivam; ſi revera cenſuiſſet exiſtere inter Græcos veluti dirimens impedimentum; igitur apertè conſtat, non agnoſci à Supremo Pontifice hujuſmodi impedimentum; adeoque ſi nullum datur Oecumenicum Concilium, vel Romanus Pontifex, qui ſecundas, aut ulteriores Nuptias infirmet, atque irritet, dicendum eſt, hujuſmodi Matrimonium revera ſubſiſtere.

1026. Secunda quoque Pars oſtenditur. Nam Patriarchæ, & Epiſcopi in ſua Dioeceſi poſſunt impedimenta non dirimentia ſtatuere, & alia diſponere, quæ Animarum ſaluti conducere cenſent, utpotè ordinariam ſuper Clericos, & Laicos poteſtatem habentes, de Majorit. & Obedien. Cap. *Solicitè*, locum quippe tenent Apoſtolorum Diſt. 2. Cap. *Cum in novo*, & firmat cum communi Sanchez Lib. 7. de Matrim. Diſp. 3.; ergo, ſi detur in Eccleſia Orientali hujuſmodi Lex, nec ſit revocata, uti exiſtimo, per Decretalem Innoc. IV. *Sub Catholicæ*, nec revocatio innoteſcat, tenentur

Fide-

Fideles obtemperare: oppoſitum facientes peccant lethaliter, ſaltem ex conſcientia erronea, quam ut deponant, à Miſſionariis inſtruendi ſunt.

1027. Obji. Adverſus Primam Partem. Tumquia Eccleſia Occidentalis habet poteſtatem impedimenta dirimentia inſtituendi; ergo etiam Orientalis, quæ non eſt inferioris conditionis: hæc autem hujuſmodi impedimentum inſtituit: hinc Leo Sapiens Auguſtus à Summo Pontifice illius temporis diſpenſationem petiit hujuſmodi Nuptias celebrandi; ergo Catholicus ille Græcus invalidè ſecundas Nuptias celebravit. Tumquia Romani Pontifices ſtatuerunt, Ritum Eccleſiæ Orientalis manere immotum: at Ritus ejuſdem Eccleſiæ eſt invaliditas plurium ſucceſſivè Nuptiarum; ergo &c. Tumquia conſuetudo Legem irritantem inducere poteſt, ex communi apud Maſtrium noſt. 4. Senten. Diſp. 7. Quæſt. 11. art. 1. at in Eccleſia Orientali datur hujuſmodi conſuetudo, qua Conjugia cum tertia ſaltem, & quarta Uxore irritantur; ergo revera irrita ſunt; nec videtur ratio, cur Latina Concilia Provincialia irritare poſſint Matrimonium, non verò Græca. Latinam autem irritare, appoſitis impedimentis, patet ex Wormat. I. Cap. 36. Tolet. II. Cap. 5. Pariſ. III. Cap. 4. & Aliis in jure Canonico contentis.

1028. Ad primum dico, Eccleſiam Occidentalem, non quia Occidentalis eſt, Matrimoniis impedimenta dirimentia appoſuiſſe, ſed quia vel conſenſit cum Orientali in Oecumenica Synodo, vel Supremus utriuſque Caput Romanus Pontifex, aut decernendo, aut approbando inducit.

1029. Ad ſecundum Reſp. Falſam eſſe minorem:

norem: Eccleſia enim Orientalis ſecundum ſe non irritat, ſed vetat ſolummodò, Pœnitentiâ præſcriptâ, Nuptias repetentibus ob nimiam procacitatem carnis, quam indicant, ut patet ex Synodo Neoceſarienſi, & Laodicena: alioquin quomodo Nazianzenus Orat. 39. ipſas admiſiſſet? Quomodo Synodus Florentina Oecumenica, cui Græci conſenſerunt, approbaſſet in Inſtruc. Armen.? Quomodo Nicænum I. Cap. 8. à Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus requiſiviſſet communicare cum his, qui ſecundis Nuptiis ſe obſtrinxiſſent?

1030. Ad Tertium. Minor eſt vera Principe Supremo non reluctante: ſicuti enim Lex vim non habet, niſi à Principe, vel Principis authoritatem habente; ita Conſuetudo, quæ vim Legis ſortitur, non ſubſiſtit, niſi Principe Supremo explicitè, vel implicitè conſentiente. Romani autem Pontifices hujuſmodi conſuetudini reſtiterunt, adeout Sergius Papa Leoni Sapienti, miſſis ad finem hunc Apoſtolicis Legatis, ad ulteriores tranſire Nuptias conceſſerit, etſi Nicolao Myſtico Patriarcha reluctante, qui propterea exilio fuit mulctatus, apud Baron. ad an. Chriſti 901. & 902. Non ergo Romani Pontifices morem hunc approbarunt, ſed potiùs reprobarunt; & propterea Conſuetudo illa vim Legis habere non poteſt. Concilia vero Nationalia vim habent nequaquam obſtringendi, niſi à Romano Pontifice firmitatem habeant, quæ in caſu noſtro minimè apparet, ſed potius oppoſitum.

1031. Si quis verò Patres, ut Baſilius, Nazianzenus, aut Alii huic ſententiæ favere videantur, intelligendi ſunt, ut ſentiant, Matrimonia repetita eſſe quidem licita ſecundum ſe, dici tamen adulteria, quia ſummam arguunt

guunt intemperantiam, cum iſti Patres optimè ſe in pluribus locis explicent, uti facit Hierony. Epiſt. ad Ager. etſi a modernis Criticis Liber iſte in controverſiam vocatur, an ejuſdem Doctoris fœtus ſit, necne; & Nazian. Orat. 39.

QUÆSTIO XLVI.

An Catholicus Patrini munere erga proprium Filium fungens, ubi nullus adeſt, niſi Hæreticus, aut Infidelis, poſſit ad Uxore ante diſpenſationem debitum petere?

1032. RESp. Negativè. Ducor: quia Filius non laborat extrema neceſſitate, cum in articulo, vel periculo mortis non ſit conſtitutus; ergo Parens munus Patrini exercendo, amittit jus debitum petendi: eadem enim affinitas ſpiritualis de Fonte levando contrahitur, quæ contrahitur baptizando, de cognat. ſpirit. in 6. Cap. Final.: at affinitate ſpirituali contracta ob Baptiſmum proprio Filio collatum, jus petendi debitum amittitur, niſi extrema neceſſitate cogente, Cap. *Ad Limina* 30. Quæſt. 1.; ergo etiam non remanet jus petendi debitum in levante Filium de Fonte: at in caſu nulla cogit extrema neceſſitas; ergo, tametſi fortaſſe Genitor non malè egerit levando ob cauſas in Quæſtione propoſita adductas, adhuc tamen jus petendi amiſit.

1033. Obji. Alex. III. Cap. *Si Vir*, de cognat. ſpirit. aſſerens Patrem levantem de Fonte nec thoro, aut cohabitatione, nec jure debitum reddendi privari; ergo nec privatur jure petendi.

1034. Reſp. neg. conſeq. poteſt enim optimè ſtare, quemquam privari jure petendi, non amit-

amittendo jus reddendi, ut contingit in eo, qui caſtitatem vovit, aut impedimentum novit dirimens, vel de eo dubitans, altero Conjuge ignorante, Cap. *Pervenit*, 30. Quæſt. 1.

1035. Non deſunt tamen docentes, à Parentibus Pueros levantibus ex Fonte, aliqua etſi non extrema neceſſitate impulſis, debitum petendi nequaquam amitti, quos cumulat Sanchez Lib. 9. de Matrim. Diſp. 26. & probabile cenſet Brancat. noſt. Diſp. 30. art. 11. quod quidem de iis, qui in Confirmatione eodem munere funguntur, cum eadem ratio videatur, dicendum eſt.

1036. Cæterum ſi quis in Locis Miſſionum ſcrupulis angatur, Miſſionarium Apoſtolicum adeat potentem cum ipſo diſpenſare, ut debitum nedum reddat, ſed etiam petat. Regulares enim Privilegio funguntur nedum in hoc, ſed etiam in aliis caſibus diſpenſandi etiam cum iis, qui ob inceſtum, vel aliam ſimilem cauſam prohibentur debitum petere, v. g. Votum Caſtitatis dummodo ſit temporale, nec aliis vinculis ſint innodati. Legatur Author Compend. Privileg. Regul. Caparub. Ver. *Debitum Conjugale*.

QUÆSTIO XLVII.

An Mulier Catholica Sectario ſub ſpe futuræ Converſionis nupta, ipſo retractante, alteri Catholico validè in Matrimonio copuletur?

1037. Reſp. Affirmativè, quoties Converſio ad Fidem per modum veræ conditionis fuerit appoſita: *Accipio te in meum Conjugem, ſi infra menſem hæreſim abjuraveris*; ſecùs, ſi per modum ſimplicis obligationis, pu-

ta dicendo: *Accipio te in meum Conjugem cum hoc onere, ut Hæreſim abjures.*

1038. Prima Pars patet. Matrimonium quippe celebratum, appoſita conditione de futuro, & quidem honeſta, non habet effectum, neque ſubſiſtit, conditione non purificata, Cap. *Super eo*, de Condit. Appoſit. valor quippe Matrimonii à conſenſu Conjugum pendet, Cap. *Sufficiat*, 27. Quæſt. 2. at in priori conditio fuit verè appoſita Conjugio, nempe converſio ad Fidem Orthodoxam; ergo iſta non purificata, Conjuge minimè converſo Matrimonium illud nullum eſt; adeoque Mulier ad ſecunda vota potuit validè tranſire.

1039. Secunda quoque Pars evincitur, quam docet cum Averſa, Pontio, Rebello, & Aliis Maſtrius noſt. 4. Senten. Diſp. 7. Quæſt. 5. art. 1. Quia nimirum appoſita conditione ſolummodò per modum oneris, & obligationis, conſenſus non ſuſpenditur, ſed abſolutè, ac de præſenti exhibetur; ergo, quamvìs non impleatur, Matrimonium adhuc validum eſt, inducens vinculum indiſſolubile, ad cujus valorem nihil aliud requiritur, quam abſolutus conſenſus de præſenti.

1040. Si quis inquirat, undenam colligatur, an conditio appoſita fuerit per modum conditionis, aut ſolummodò obligationis, & oneris?

1041. Reſpon. Colligi ex ipſiſmet verbis, quibus aperitur mens Contrahentis: vel ſi conditione appoſita non obſtante, copulam haberet cum altero Conjuge, cenſeretur enim abrenuntiare conditioni, eamque revocare, de Condit. Appoſit. Cap. *Per tuas*.

1042. Obji. Huic Matrimonio, de quo loquimur, nihil quin validum ſit, deeſt. Non qui-

quidem conſenſus de præſenti ex utràque parte ad validitatem requiſitus, Cap. *Tuæ Fraternitati*, de Sponſal. Non qualitas Contrahentium, cum uterque ſit capax: Hæreſis enim in altero Conjuge reddit quidem illicitum, ex Elibert. can. 16. & Laod. cap. 10., non tamen invalidum Conjugium, ex Triden. ſeſs. 24. Can. 5.

1043. Nec officit conditio appoſita de converſione ad Fidem Orthodoxam. Nam valor Sacramentorum non pendet ab eventu futuro; ſed de præſenti habet effectum, dummodò ſubſtantialia non deſint, ex communi Theol. apud Brancat. noſt. Tom. 1. de Sacramen. in Gen. Diſp. 3. art. 6.; ergo validum eſt.

1044. Reſpon. ſupponendo Matrimonium, hoc per modum conditionis fuiſſe celebratum, neg. ant. deeſt quippe conſenſus de præſenti perfectus, & completus pendens à conditione de futuro purificabili: deeſt quoque purificatio conditionis; & propterea tollitur omnino contractus ab ipſa dependens, & conſequenter ipſummet Sacramentum. Quod verò dicitur, Sacramentum non expectare in futurum effectus ſuos, hoc utique verum eſt: at negatur, hujuſmodi Conjugium eſſe verum, & actuale Sacramentum, conditione converſionis ad Fidem nequaquam impleta. Si verò conditio illa fuit per modum oneris, & obligationis appoſita; tunc ſicut validum, verum, & actuale fuit Conjugium, ita fuit verum Sacramentum, vinculum inducens indiſſolubile, & propterea ſecundum Matrimonium invalidum cenſendum eſt.

1045. At rogabit aliquis, utrum purificata conditione, requiratur novus conſenſus ad hoc, ut Matrimonium ſit validum?

1046. Et quidem in iis, qui dirimenti impedimento ſunt innodati, ut validè contrahant, novum

novum conſenſum requiri, tenet cum S. Th. S. Bonav., & Aliis Brancatus noſt. Diſp. 20. de Matrim. art. 2. §. 2. eoquia prior ille conſenſus conditionatus ob impedimentum dirimens nullus eſt: hinc Uxor Fidelis contrahens cum Infideli ſub conditione Baptiſmi, neceſſe eſt, Conjugem Infidelem baptizari, quo oblato impedimento diſparitatis cultus, quod dirimens eſt, renovari debet conſenſus, & fieri novus contractus validus, in quo fundetur ratio Sacramenti.

1047. In iis verò, qui nullum habent Canonicum impedimentum, etſi non deſint oppoſitum ſentientes, ut Paludanus, Hoſtienſis, Sanchez, Bonacina, adhuc tamen ad ſecuritatem Sacramenti ad ſui validitatem ſignum ſenſibile requirentis, novo actuali abſoluto conſenſu opus eſt: conditionatus quippe non eſt verus, & proprius conſenſus eo tempore, quo pendet adhuc à conditione in futuro ponenda. Nec fruſtraneæ ſunt conditiones appoſitæ, cum iis purificatis, nequeunt Conjuges à Matrimonio reſilire inter eoſdem ſtabilito.

1048. Sciſcitaberis ulterius, an purificata conditione, poſitoque novo conſenſu ſenſibili, opus ſit, Matrimonium coram Parocho, & Teſtibus renovare, quibus conditionis purificatio innoteſcat?

1049. Reſp. Negativè, cum nulla cogat neceſſitas, Matrimonio inter Conjuges renovato, maximè in Locis Miſſionum, ubi Teſtes Catholici ſæpè deſiderantur, nec ita facilè ſuppetunt, neque expediat vocare Infideles, aut Hæreticos; Paſtores verò multoties haberi non poſſunt.

1050. Nec apparet ratio, cur Matrimonium cum impedimento dirimente occulto coram

ram Parocho, & Teſtibus celebratum, obtenta diſpenſatione, & habito novo conſenſu, repeti non debeat; cond tionatum autem repeti debeat purificata conditione.

QUÆSTIO XLVIII.

An Catholico captivo nubente, invito Domino, cum Serva, quam liberam putabat, Conjugium validum ſit?

1050. Reſp. Affirmativè quoad primam Partem; negativè quoad ſecundam.

1051. Prima Pars conſtat ex Cap. *Quapropter* 29. Quæſt. 2. & Cap. 1. de Conjug. Servor., ubi expreſsè habetur, etiam contradicentibus Dominis, eorum Conjugia ſubſiſtere, cum etiam Servi, qui ſunt Orthodoxi, Chriſto liberi cenſeantur, nec Matrimonium ſervituti opponatur, etiamſi Dominis ſuis Servi fideliter obtemperare teneantur, ut optime dicitur Cap. Final. 29. Quæſt. 2.; ergo Matrimonium Servi Fidelis, invito Domino Infideli, validum eſt.

1052. Accedit, Matrimonium non eſſe purum contractum civilem, ſed veriſſimum inter Fideles Sacramentum: at Fideles ab Infidelibus in iis, quæ Sacramenta reſpiciunt, minimè pendent; ergo, ſicuti Dominus Infidelis vetare nequit aliorum Sacramentorum ſumptionem, ut v. g. Baptiſmi; ita nec poteſt Matrimonium impedire, quod nullum ejuſdem ſervitio nocumentum affert.

1053. Secunda quoque Pars patet, quam tenent communiter Scholaſtici S. Thom. 4. Senten. Diſt. 36. Quæſt. Unic. art. 1., S. Bonav. Diſt. 30. Quæſt. 1., Doct. Subtil. ibidem; eſtque communis. Conſtat autem expreſsè, Cap.

Ad Noſtram, de Conjug. Servor., & Cap. *Propoſuit*, Cap. *Si quis*, 29. Quæſt. 2. ubi res in terminis deciditur, dum ſtatuitur, Fœminam, quæ putabatur libera, inventam ancillam, poſſe ad arbitrium dimitti, & accipi alteram, & idipſum de Servo ſtatuitur ad Mulierem comparato; ergo error ſervitutis Matrimonium irritat.

1054. Viget quoque ratio. Nam involuntarietas Matrimonio ut liberrimo maximè opponitur: qui verò nubit ancillæ, quam putat liberam involuntariè conſentit, cum intendat nubere liberæ, non ancillæ; ergo conſenſus ille irritus eſt, & conſequenter etiam Matrimonium.

1055. Obji. Contra primam Partem. Servus non habet Corporis ſui dominium, ſi loquamur de veris Servis, ſed Dominus; ergo Conjugium invito Domino, nullum eſt, cum non poſſit tradere alteri, quod ſuum non eſt; hinc Servus, invito Domino, in Religione approbata profiteri non poteſt, Cap. *Admirantur*, Diſt. 54. etſi cauſa Religionis ſit favorabilior: propterea Matrimonium ratum, & non conſummatum ingreſſu Religionis diſſolvitur, ex Triden. ſeſs. 25. cap. 6.

1056. Reſp. Servum non habere quidem plenam ſui corporis libertatem, illa tamen frui, qua opus Matrimoniale poteſt exercere, quod quidem ſervitio Domini nequaquam opponitur, quod rationabile eſſe debet, non brutale, alioquin nemo ſeipſum in Servum vendere poſſet, quod falſum eſt. Idcircò autem Servus in Religione approbata, invito Domino, profiteri non poteſt, quia ſervitus erga alterum Dominum ſtatui Regulari omnino repugnat Religioſorum erga proprium Prælatum omnimodam exi-

exigens ſubjectionem, quam non quærit ſtatus Matrimonialis.

1057. Obji. Contra ſecundam Partem. Servitus Matrimonio non opponitur, neque ipſum invalidat, Cap. *Si Fœmina*, 29. Quæſt. 2.; ergo etſi ignoretur, Fœminam eſſe Servam, adhuc Matrimonium ſubſiſtit. Tumquia error qualitatis, non Perſonæ non irritat Conjug. Cap. Unic. 29. Quæſt. 1.; ergo nec error ſervitutis.

1058. Ad Primum neg. conſeq. Non enim Matrimonium irritum eſt, quia ſervitus ipſi opponatur, ſed quia deeſt conſenſus unicè in liberam directus, non in Servam: hinc valet cum ancilla, cujus ſervitus eſt comperta.

1059. Ad Secundum neg. pariter conſeq. eoquia error aliarum qualitatum nullo pacto Matrimonio ipſi, aut eius uſui adverſatur: propterea ignoratio earum Matrimonii validitatem nequaquam tollunt: at ſervitus etſi Matrimonio ipſi non opponatur, opponitur tamen aliquo pacto ejuſdem uſui; hinc Servus longe deterioris conditionis eſt, quam liber, & ſervitus Naturæ ipſi adverſatur, quam omnes in opprobrio, & ludibrio habent, cum Deus homines liberos effecerit, & Jure tantummodò Gentium ſervitus inducta eſt.

1060. Quæres I. An Domini Fideles habentes Servos Infideles Conjugatos, poſſint eos ita laboribus exercere, ut raro, & difficulter valeant cum Uxoribus ſuis commiſceri?

1061. Reſp. Si Juſtitiæ rigor ſpectetur, poſſe; Dominus enim Jure ſervitutis poteſtatem habet utendi prout ipſi libuerit: quare, ſicuti poteſt illos vendere, donare, aut locare, ita poteſt laboribus addicere, ut raro cum Uxoribus concumbendi facultate potiantur. Ita diſcurrit Subtil. 4. diſt. 30. Quæſt. unic.

1062. Si vero Charitas perpendatur, non poſſe uſum rationabilem Matrimonii, laboribus indiſcretis impediri, docet idem Subtil. loc. cit. Non enim debemus in aliis impedire bonum, quod nobis juſtè velle tenemur, niſi hujuſmodi permiſſio in damnum noſtrum notabile redundet: Dominus autem debet velle ſibi hoc bonum, niſi legitimo detineatur impedimento, juxta Paulum 1. Cor. 7. 3. maximè quoties ardore libidinis æſtuat; ergo, ſicuti poteſt, & tenetur uti Matrimonio pro ſe ipſo, cogente neceſſitate, ita debet, & tenetur ex Charitate permittere in aliis etiam Servis, etſi ſe invito contraxerint; multò autem fortiùs ſi conſenſum præſtitiſſet, dummodò honeſtè, & citra ſervitutis jacturam exerceatur.

1063. Quæres II. Domino ſervitium exigente, Uxore autem ſive libera, ſive Serva debitum petente, cum utrique eodem tempore ſatisfieri nequeat, cuinam ſit obſequendum?

1064. Reſp. Cum S. Thom. 4. diſt. 36. Quæſt. unic. art. 2. S. Bonaventura, pluribuſque aliis, quos congerit Sanchez lib. 7. de Matrim. diſp. 3. teneri Servum indulgere Uxori, non autem Domino. Ducor. Quia Servus Domino imperanti, ne contrahat Matrimonium, non tenetur obtemperare; ergo nec tenetur obtemperare Domino imperanti, ne utatur; alioquin fruſtratorium eſſet jus contrahendi, cum numquam ad actum reduci poſſet. Tumquia onus reddendi debitum Uxori graviùs urget, & antecedit debitum obediendi Domino, cum iſtud Jure Gentium inductum ſit, illud verò Jure naturali. Tumquia, imminente diſcrimine lethaliter peccandi, Domini præceptum non urget, cum Act. 4. 19. Deo potius, quam hominibus obediendum eſt: Servus autem eſſet in diſcri-

ſcriminè peccàndi, niſi debitum peteret, aut redderet Uxori, ſtimulo carnis alterutrum colaphizante; ergo tenetur Servus, etiam invito Domino, cum Uxore miſceri.

1065. Nec ſequitur ex hoc, deſtrui ſervitutem; Servus enim corpus ſuum tradidit Uxori ea ratione, qua Servos decet, & Uxor conſcia ſervitutis conſenſit in commutationem, ſtante conditione ſervili.

QUÆSTIO XLIX.

An Mulier ducta in Uxorem ab Ethnico ſictè baptizato, detecta ab eodem fictione, valide alteri nubat?

1066. RESp. Negativè. Ratio eſt. Quia Mulier non poteſt recedere à Matrimonio priori in facie Eccleſiæ celebrato, niſi evidenter conſtet, vel moralis ſaltem habeatur certitudo, illud irritum fuiſſe; ad ejuſdem enim diſſolutionem plura requiruntur, quam ad ipſum impediendum ſunt neceſſaria, ex Sanchez lib.2. de Matrim. diſp.45. Quæſt.4., requiruntur quippe duo ſaltem Teſtes omni exceptione majores: at aſſertum Conjugis de fictione Baptiſmi nihil probat, cum ipſi non ſit fides præſtanda: hinc Eccleſia Baptizatos cogit ad Legis Evangelicæ Obſervantiam C. *Majores*, de Baptiſ. & ejus effec. ergo, ſicuti aſſertum Baptizati ſe fictè ſuſcepiſſe Baptiſmum, non probat fictionem, ita non probat ad diſſolutionem Matrimonii.

1067. Confirm. Uni ex Conjugibus aſſerenti, nec probanti, conſenſum in Matrimonium non fuiſſe verum, ſed fictum, non creditur, ſed compellitur ipſi ſtare, Cap. *Per tuas*, de probat.; ergo etiam credi non debet aſſerenti,

ſe fictè baptizatum, niſi aliundè convincenter evincat, cum eadem ſit utrobique ratio.

1068. Obji. conſtat ſufficienter de invaliditate prioris Matrimonii cum fictè Baptizato: præſumi enim non debet, eum fingere voluiſſe cum ſui præjudicio; ergo Mulier illa, diſſoluto priori Matrimonio, potuit tranſire ad ſecundum.

1069. Reſp. neg. antec. ad cujus probationem dico, unam præſumptionem vinci ab altera: Nam, ſicuti Infidelis ille mentitus eſt dicendo, ſe velle baptizari, etſi Baptiſmum nequaquam intenderet, ita potuit mentiri ob alium aliquem finem dicendo, ſe fictè ſuſcepiſſe Baptiſmum, etſi revera ſuſcipere intenderet Uxoris fortaſſe percitus amore.

QUÆSTIO L.

Vtrum in Locis Miſſionum Matrimonium Viri Catbolici cum Virgine Fratris ſui uterini Filia, cujus conſanguineam in ſecundo conſanguinitatis gradu olim duxerat in Vxorem, nunc autem defunctam, validum ſit?

1070. RESp. Negativè. Ducor. Nam invalidum eſt Matrimonium cum impedimento dirimente contractum, niſi in eodem ab Eccleſia fuerit diſpenſatum, & ſit diſpenſabile: neque hoc indiget probatione: at conſanguinitas inter Neptem, & Patruum eſt impedimentum dirimens, Cap. *De inceſtis*, Cap. *Conjunctiones*, 32. Quæſt.2. Nec Miſſionarii Apoſtolici ex vi facultatum poteſtatem habent ſibi tributam diſpenſandi in gradu hujuſmodi, cum Vicariis Apoſtolicis, Epiſcopis, & Præfectis Miſſionum ſit conceſſa authoritas, apud Pignat. tom.7.

tom. 7. conſul. 43. *Diſpenſandi in tertio, & quarto conſanguinitatis, & affinitatis gradu ſimplici, & mixto; & in ſecundo, tertio, & quarto mixtis; non tamen in ſecundo ſolo quoad futura Matrimonia; quo verò ad præterita etiam in ſecundo ſolo, dummodò nullo modo attingat primum gradum cum his, qui ab Hæreſi, vel Infidelitate convertantur ad Fidem, ut ſupra; & in prædictis caſibus Prolem declarandi legitimam*: at Conjuges, de quibus loquimur, non ſunt ab Hæreſi, aut Infidelitate converſi, gradus verò conſanguinitatis, etſi ſecundus ſit, primum tamen attingit, Neptis enim, & Patruus in puro laterali gradu nequaquam inveniuntur, uti ſunt Conſobrini, ſed aliquo modo in linea Aſcendentium, & Deſcendentium; ergo authoritas Miſſionarii ad hujuſmodi tollendum impedimentum nequaquam extenditur; adeoque Matrimonium cum hoc impedimento celebratum, diſpenſatione Miſſionarii non obſtante, nullum eſt. Per quod patet ad objectionem, quæ fieri poteſt in facultatibus, quæ à Sede Apoſtolica Miſſionariis Apoſtolicis ſolent concedi.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

INDEX

Tractatuum, & Quæſtionum, quæ in hac Tertia Parte Epitomes Manualis Miſſionariorum Orientalium continentur.

TRACTATUS IX.

Difficultates practicas Sacramenta in Genere reſpicientes complectens.

CAPUT UNICUM.

De Sacramentis in Genere moraliter conſideratis.

Quæſt. I. *AN Sacerdotes captivi valeant Sacramenta concaptivis Fidelibus miniſtrare?* Pag. 6.

Quæſt. II. *An Sacramenta ſint iis adminiſtranda, qui ſummâ Myſteriorum Fidei ignorantiâ laborant?* 9.

Quæſt. III. *An dantes Filias Chriſtifidelium Infidelibus, aut Hæreticis in Matrimonium, poſſint ad Sacramenta admitti?* 12.

Quæſt. IV. *An Mulieres uxoratæ captæ ab Infidelibus, ac fugere renuentes cum periculo vitæ, ad Sacramenta admitti queant?* 17.

Quæſt. V. *An liceat Catholicis Sacramenta percipere in Templo Hæreticorum, Patriarcha Schiſmatico id ſub pœnis præcipiente?* 19.

Quæſt. VI. *An Mulier Chriſtiana Uxor Apoſtatæ jam defuncti, nolens alere Filios in Fide Catholica metu tormentorum, ad Sacramenta poſſit admitti?* 21.

Quæſt. VII. *An Sacramentis dignæ ſint Chriſtianæ Mulieres Apoſtatis nuptæ, a quibus ob metum gravem renuunt ſeparari?* 24.

Quæſt. VIII.

Quæſt. VIII. *An clandeſtinè Uxorati nolentes ſeparari Sacramentorum ſint capaces?* 25.

Quæſt. IX. *An Puellæ Parentum tantummodò voluntate nuptæ, Virum relinquentes, ad ipſum verò redire renuentes Sacramentis ſint dignæ?* 27.

Quæſt. X. *An poſſint ad Sacramenta admitti qui ob ſumptus ſuperfluos nequeunt Parochis promiſſam ſtipem exhibere?* 30.

Quæſt. XI. *An Militibus a direptione adverſus Turcas, Principe ſuo Catholico invito, exercita abſtinere nolentibus dari Sacramenta poſſint?* 31.

Quæſt. XII. *An Sacramenta ſint tribuenda Militibus duellum ab Infidelibus oblatum acceptantibus?* 34.

Quæſt. XIII. *An Sacramenta interdum poſſint ex cauſa urgenti ſimulatè adminiſtrari?* 35.

TRACTATUS X.

Dubia practica de Sacramentis in particulari continens.

CAPUT PRIMUM

De Baptiſmo.

Quæſt. I. *AN valeat Baptiſmus ob fines merè terrenos ſuſceptus, non verò deſiderio ipſiuſmet Baptiſmi?* 38.

Quæſt. II. *An Infantes Infidelium, Schiſmaticorum, aut Hæreticorum a Miſſionariis baptizari debeant?* 40.

Quæſt. III. *An a Miniſtris Evangelicis baptizari valeant Infantes Infidelium, Parentibus reluctantibus, extra mortis periculum?* 42.

Quæſt. IV. *An in Baptiſmatis adminiſtratione poſſit unus Materiam, alter Formam miniſtrare, uti faciunt Georgiani?* 45.

Quæſt. V. *An valeat Baptiſmus, in quo Mini-*

ſter ſpongia aqua madefacta Infantem abluit? 47.
Quæſt. VI. *An Baptiſmus Adultis conferri queat, nulla præcedente Myſteriorum Fidei inſtructione?* 48.
Quæſt. VII. *An valeat nonnullorum Orientalium Baptiſma, in Cujus Forma ſingulis Perſonis Trinitatis additur* Amen? 50.
Quæſt. VIII. *An Ethnici rebellantes Principi ſuo ad Baptiſmum admitti queant, rebellioni minimè abrenunciantes?* 52.
Quæſt. IX. *An Ethnici Concubinas, aut ſecundas Uxores repellere renuentes admitti ad Baptiſmum valeant?* 53.
Quæſt. X. *An recipi debeant ad Baptiſmum Ethnici, qui renuunt Uſuras in Regione ſua conſuetas abjicere?* 55.
Quæſt. XI. *An Ethnicus a Judice compulſus ad dandas uſuras poſſit ad Baptiſmum recipi, tametſi officium a publica Poteſtate dimittere non permittatur?* 57.
Quæſt. XII. *An permitti poſſit, Infidelem, aut Hæreticum Patrini munus in Baptiſmo exercere?* 59.
Quæſt. XIII. *An ob verecundiam Mulierum apud nonnullas Ethnicas Nationes unctiones Chriſmatis in Baptiſmo poſſit omitti?* 60.
Quæſt. XIV. *An mos nonnullorum Orientalium Eccleſiarum dandi ſimul Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam poſſit ſuſtineri?* 61.
Quæſt. XV. *An offerri poſſit Parvulus a Schiſmaticis baptizandus ad Fidem Orthodoxam occultandam?* 63.
Quæſt. XVI. *Utrum Miſſionarii rebaptizent licitè Infantes, quos putant dubia forma fuiſſe baptizatos, etiamſi in mortis periculo non verſentur: vel Adultos, qui ſunt erroneè inviti?* 66.
Quæſt. XVII.

Quæſt. XVII. *Vtrum Miſſionarii poſſint, invitis Parentibus, & Dominis, Filios, atque Servos baptizare, qui ſcientes, & volentes Baptiſmum petunt?* 68.

Quæſt. XVIII. *Vtrum Baptiſmus apud Orientales non in indicativo, ſed in infinito modo his verbis collatus:* Baptizare in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, *ſit validus?* 70.

Quæſt. XIX. *An Miſſionarius poſſit baptizare Infidelem ſurdum, & mutum a nativitate?* 72.

Quæſt. XX. *Vtrum validus, & licitus ſit Baptiſmus, dum a Miſſionario Formam proferente Puer in extremis conſtitutus ob defectum aquæ in flumen projicitur?* 74.

Quæſt. XXI. *Vtrum hæc Forma baptiſmalis nonnullorum Orientalium valeat:* Ego eum lavo: Tu cum tuo ſpiritu eum baptiza in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? 77.

Quæſt. XXII. *An valide baptizetur Puer contagio infectus, profundendo ſuper ipſum vas aquæ in ſummitate arundinis poſitum, dum Forma profertur?* 78.

Quæſt. XXIII. *An Miſſionarius bene ageret, conferendo Infideli adulto in agone mortis conſtituto Baptiſmum, quem antea poſtulaverat; etiamſi nulla, vel ſaltem dubia Pœnitentia præceſſerit?* 79.

Quæſt. XXIV. *An Miſſionarius Infideles ſua prædicatione converſos valide, ac licite aſpergendo baptizet?* 82.

Quæſt. XXV. *An Catholicus in Baptiſmo ſolemni erga Puerum a Schiſmaticis ſibi oblatum Patrini munus exercere queat?* 85.

Quæſt. XXVI. *An Miſſionarii licitè baptizent Pueros, quos Schiſmaticis Parentes offerunt denuo baptizandos?* 90.

CAPUT II.
De Sacramento Confirmationis.

Quæſt. I. *AN Omittens recipere Confirmationem, ne a Schiſmaticis accipiat, graviter delinquat?* 92.

Quæſt. II. *An in confectione Chriſmatis miſceri valeat Oleum conſecratum non conſecrato pro Unctione Confirmativa?* 94.

Quæſt. III. *An liceat Orientalibus uti Chriſmate veteri a pluribus annis numquam renovato?* 96.

Quæſt. IV. *An ſimplex Sacerdos inter Orientales valeat Chriſma conſecrare pro Confirmatione adminiſtranda?* 97.

Quæſt. V. *An valida ſit Confirmatio nonnullorum Orientalium, in qua, ob defectum Chriſmatis, adhibetur Oleum ab Epiſcopo benedictum?* 98.

Quæſt. VI. *An valide ſit Confirmatio per ſolam manuum impoſitionem collata?* 101.

Quæſt. VII. *An Epiſcopus apud Infideles ob incommoda, & pericula non miniſtrando Sacramentum Confirmationis; & Catholici non curantes illud ſuſcipere graviter delinquant?* 104.

Quæſt. VIII. *An a Catholicis inter Infideles, aut Hæreticos Sacramentum Confirmationis repeti interdum poſſit?* 106.

Quæſt. IX. *Utrum Latini Catholici urgente Infidelium perſecutione, validè, & licitè ab Epiſcopo Orientalis Ritus Confirmationis Sacramentum recipiant?* 110.

Quæſt. X. *An Chriſma Græcorum ex pluribus aromatibus confectum ſit valida Confirmationis materia?* 113.

Quæſt. XI. *An Epiſcopus licitè ſine Patrino Confirma-*

firmationem miniſtret, ne Sectarium, aut Catholicum Fidei ſuſpectæ pro miniſterio admittat? 114.
Quæſt. XII. *An Epiſcopus in Miſſionibus Parvulos recenter baptizatos confirmando, recte agat?* 115.

CAPUT III.

De Sacroſancto Altaris Sacramento.

Quæſt. I. *An liceat Catholicis audire ſacrum, aliaque Eccleſiaſtica officia in Templis Schiſmaticorum?* 118.
Quæſt. II. *An liceat Sacerdoti Catholico Miſſam celebrare, aut Sacram Synaxim deſtribuere in Templis Schiſmaticorum, aut Hæreticorum, aut Ethnicorum?* 121.
Quæſt. III. *An liceat inter Infideles, & Hæreticos Calicem æneum, aut cupreum adhibere, ſi deſit aureus, aut argenteus?* 123.
Quæſt. IV. *An Miſſionarii uti poſſint Calice ab Epiſcopo non conſecrato, ſed ſolummodò a ſe benedicto?* 125.
Quæſt. V. *An a Catholicis ad Miſſæ intereſſendum Schiſmatici, aut Hæretici admitti queant?* 129.
Quæſt. VI. *An Miſſionariis carentibus Vino liceat, urgente neceſſitate, in ſolo Pane Sacramentum Euchariſtiæ conficere?* 131.
Quæſt. VII. *An urgente neceſſitate, poſſit Sacerdos Latinus uti Fermentato, Orientalis Azymo?* 134.
Quæſt. VIII. *An liceat Miſſionariis Fœminam ad Miſſæ famulatum adhibere, vel abſque Miniſtro celebrare?* 135.
Quæſt. IX. *An liceat Miſſionariis Apoſtolicis juxta Orientalium conſuetudinem tribus horis poſt meridiem Miſſam celebrare?* 137.
Quæſt. X. *An liceat Miſſionariis ſtipem a Schiſmati-*

maticis, aut Hæreticis accipere pro Miſſa juxta eorum intentionem celebranda? 140.
Quæſt. XI. *An conſuetudo nonnullorum Orientalium ſuſtineri queat, qua uno Sacrificio pluribus Miſſarum oneribus putant ſatisfacere?* 142.
Quæſt. XII. *An ſuſtineri queat Orientalium nonnullorum conſuetudo, per plures particulas in eodem oblatas, & conſecratas unico Sacrificio pluribus Miſſarum oneribus ſatisfacere arbitrantium?* 144.
Quæſt. XIII. *An Miſſionariis liceat eadem die pluries, cogente neceſſitate, celebrare?* 148.
Quæſt. XIV. *An Forma nonnullorum Orientalium in Eucharistia conficienda, dicendo*: Hic Panis caro mea eſt &c., *poſſit ſuſtineri?* 149.
Quæſt. XV. *An Orthodoxus adorans Sacramentum Altaris à Sacerdote Græco, ante recitationem precum, quas Orientales neceſſarias putant, elevatum rectè agat?* 152.
Quæſt. XVI. *An Miſſionarii, Mari tranquillo, poſſint Altare erigere, Miſſamque celebrare?* 153.
Quæſt. XVII. *An inter Ethnicos liceat Miſſionario Miſſam cooperto Capite celebrare?* 155.
Quæſt. XVIII. *An Miſſionarius celebraturus, & Confeſſione indigens, nec habens ad manum, niſi Schiſmaticum, aut Concubinarium, vel Clerici percuſſorem Sacerdotem, debeat ipſi confiteri?* 157.
Quæſt. XIX. *An Miſſionarii Regulares diverſorum Ordinum debeant etiam in locis Miſſionum diverſitatem reſpectivè ſuorum Rituum in Sacro conficiendo ſervare?* 159.
Quæſt. XX. *An Miſſionarius non habens, niſi Particulas parvas, vel unicam tantum Hoſtiam magnam, poſſit licitè, ut Infirmis Viaticum*

cum præbeat, vel cum una parva celebrare, vel ægrotis portionem Hoſtiæ ſuæ tribuere? 160.
Quæſt. XXI. *An Miſſionariis liceat deferre ad ægrotos Sacrum Viaticum abſque ullo penitus apparatu?* 162.
Quæſt. XXII. *Utrum Miſſionarius ægrotum ſine Viatico mori permittens graviter peccet, periculo mortis non obſtante?* 164.
Quæſt. XXIII. *An Miſſionarius non jejunus poſſit Sacrum Viaticum in itinere conſumere, aut in loco non decenti abſcondere, dum illud ad Infirmum defert, prævidens ab Hæreticis, aut Infidelibus conculcatum iri?* 168.
Quæſt. XXIV. *Nonnullæ difficultates ſtrictim reſolvuntur ad Sacram Euchariſtiam pertinentes.* 170.

CAPUT IV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

Quæſt. I. *An Schiſmatici, vel Hæretici ad Fidem converſi, citra publicam Hæreſis, aut Schiſmatis abjurationem poſſint abſolvi?* 172.
Quæſt. II. *An à Græcis accedentibus ad Pœnitentiæ Sacramentum Miſſionarii profeſſionem Fidei exigere debeant?* 174.
Quæſt. III. *An forma Græcorum, aut aliorum Orientalium miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ ſuſtineri valeat?* 175.
Quæſt. IV. *An liceat Catholicis Pœnitentiæ Sacramentum à Miniſtro Schiſmatico, aut Hæretico extra caſum mortis ſuſcipere?* 177.
Quæſt. V. *An Chriſtifideles, Confeſſariis idioma Regionis, in qua degunt, ignorantibus, teneantur per Interpretem confiteri?* 181.
Quæſt. VI. *An Miſſionarius Schiſmaticum purè externum poſſit abſolvere, Apoſtolicis facultatibus nondum munitus?* 185.

Quæſt. VII.

Quæſt. VII. *An liceat Venialia Schiſmaticis; mortalia Catholicis Sacerdotibus confiteri.* 186.

Quæſt. VIII. *An inter Infideles, aut Hæreticos liceat per Epiſtolam, aut internuncium peccata ſua confiteri, & abſolutionem conferre.* 188.

Quæſt. IX. *An liceat Chriſtianis inter Infideles, aut Hæreticos verſantibus Confeſſionem Sacramentalem dimidiare, ratione magni Pœnitentium concurſus?* 190.

Quæſt. X. *An liceat mos Græcorum nonnullorum audiendi ſimul Maritum, & Vxorem confitentes?* 194.

Quæſt. XI. *Vtrum liceat Pœnitentem Hæreticum, aut Schiſmaticum uſu rationis privatum, qui ante ſigna aliqua Pœnitentiæ præbuerit, abſolvere.* 196.

Quæſt. XII. *An in Locis Miſſionum, ubi duo tantum Miſſionarii degunt, ſi complices ſint alicujus gravis delicti, validè unus Confeſſionem alterius excipiat.* 198.

Quæſt. XIII. *An Miſſionarius licitè taceat in Confeſſione Præfecto ſuo peccatum aliquod grave ex reſervatis, ex cujus Confeſſione prævidet, nedum nocumentum ſibi, ſed Miſſioni quoque præjudicium illatum iri?* 199.

Quæſt. XIV. *An Miſſionarius ex Confeſſione cognoſcens ſibi inſidias ab Ethnicis, aut Hæreticis parari, poſſit licitè die Feſtivo Miſſæ celebrationem omittere, & à luſtranda Miſſione abſtinere?* 201.

Quæſt. XV. *An Miſſionarius Pœnitentem validè à reſervatis abſolvat, Prælato petitam facultatem injuſtè denegante?* 202.

Quæſt. XVI. *An Miſſionarius Regularis à Caſibus, & Cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſervatis abſolvere poſſit?* 205.

Quæſt. XVII. *An Miſſionarii Regulares poſſint*

Ec-

Eccleſiaſticis non Regularibus peccata ſua etiam non reſervata confiteri? 207.
Quæſt.XVIII. *An Sacerdos Orientalis Orthodoxus Uxorem propriam habens, & peccans cum alia Muliere, teneatur in Confeſſione ſe Sacerdotem eſſe revelare?* 209.
Quæſt.XIX. *An Catholicus inter Ethnicos degens, & infidelem Virginem corrumpens, hanc infidelitatis circumſtantiam in Confeſſione aperire teneatur?* 210.
Quæſt.XX. *An Miſſionarius in Diœceſi Epiſcopi Græci, non adhuc obtentis à Sede Apoſtolica ſolitis facultatibus, omnium Fidelium ibi degentium Confeſſiones excipere, atque à caſibus alibi reſervatis abſolvere poſſit, non habito Epiſcopi aſſenſu?* 212.
Quæſt.XXI. *An Catholicus inter Hæreticos, aut Ethnicos commorans, & in dubium incidat ſive poſitivum, ſive negativum de rebus de Fide definitis exterius expreſſum, poſſit à Miſſionario facultatibus conſuetis carente abſolvi.* 216.
Quæſt.XXII. *An Schiſmaticus Orientalis ad Fidem Orthodoxam converſus renuens particulam* Filioque *in Symbolo exterius recitare, à Miſſionariis abſolvi, & ad Eccleſiam admitti poſſit.* 219.
Quæſt.XXIII. *An Catholicus prævidens Miſſionarios fore diſceſſuros, nec tamen præveniens Confeſſionem, & Communionem Paſchalem, ſed illam omittens uſque ad Paſcha anni ſequentis, peccet, & pœnas Canonicas ſubeat?* 224.
Quæſt.XXIV. *An Chriſtifidelis inter Hæreticos, aut Ethnicos degens, ut liberiùs vivat, negligens à Miſſionariis myſteria addiſcere, ac incidens proinde in varias Hæreſes exterius oſten-*

oſtenſas, poſſit à Miſſionario Summi Pontificis Facultatibus nonadhuc munito abſolvi? 227.
Quæſt. XXV. *An Catholicus incidens in Hæreſes, nec à Miſſionariis correctus reſipiſcens, ſi tandem pœniteat, abſolvi poſſit?* 230.
Quæſt. XXVI. *An Latinus Catholicus juxta morem Orientalium Schiſmaticorum ſe permittens rebaptizari, poſſit pœnitens à Miſſionario non adhuc facultatibus inſtructo abſolvi?* 233.
Quæſt XXVII. *An Catholicus in proximo mortis diſcrimine poſitus Orthodoxo carens Sacerdote, teneatur Hæretico, aut Schiſmatico confiteri?* 234.

CAPUT V.

De Ordinis Sacramento.

Quæſt. I. *AN Orientales ſola manuum impoſitione Diaconatum, & Presbyteratum accipientes, denuo more Latino debeant ordinari?* 236.
Quæſt. II. *An Pueri apud Orientales Sacris Ordinibus initiati, pubertatem ingreſſi ad Horas Canonicas recitandas teneantur?* 239.
Quæſt. III. *An Clericus Latinus poſſit Ordines ab Antiſtite Greco accipere?* 242.
Quæſt. IV. *An Clericus Subdiaconus Orientalis, mortua prima Uxore, poſſit aliam ſumere, & nihilominus aſcendere ad Ordines Superiores?* 246.
Quæſt. V. *An Converſus ex Ethniciſmo ad Ordines recipi queat, etſi plures ante Baptiſmum Concubinas habuerit?* 251.

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

Quæſt. I. *AN poſſit ſuſtineri mos Græcorum, & aliorum Orientalium, qui ſeptem Sacerdotes in hoc miniſtrando Sacramento adhibent?* 254.

Quæſt. II.

Quæſt.II. *An Extrema Unctio abſque partium ungendarum immediato tactu, propter Mulierum verecundiam, apud nonnullos Orientales miniſtrari queat?* 256.

Quæſt.III. *An duæ, vel una tantum pars Corporis ungi queat ad validitatem hujus Sacramenti, omnium tamen ſenſuum in forma nomine expreſſo, neceſſitate urgente?* 258.

Quæſt.IV. *An ſufficiat Sacrum Chriſma pro materia remota Extremæ Unctionis?* 261.

Quæſt.V. *An adhiberi poſſit Oleum ab Hæreticis, aut Schiſmaticis acceptum pro Extrema Unctione miniſtranda?* 262.

Quæſt.VI. *An Latinus Sacerdos uti poſſit Oleo à Græcis Sacrato, aut ex ſemetipſo, urgente neceſſitate, benedicere valeat?* 263.

CAPUT VII.

De Matrimonii Sacramento.

Quæſt.I. *AN Ethnici ex Gentiliſmo ad Fidem Orthodoxam converſi teneantur Uxores omnes dimittere, & eam eligere, quæ converti voluerit?* 266.

Quæſt.II. *An Chriſtiani ſub jugo Infidelium degentes Uxorem, quam duxerunt, poſſint dimittere, & alteri copulari ſub prætextu ignorantiæ vinculi Conjugalis?* 272.

Quæſt.III. *An poſſit reddi debitum Uxori in facie tantum Eccleſiæ agnitæ ut tali, revera tamen nequaquam legitimæ, inter Ethnicos, ubi Tridentinum non eſt publicatum?* 273.

Quæſt.IV. *An Vir Mulieri nubens ob longam abſentiam Uxoris ab Infidelibus raptæ valide contrahat?* 276.

Quæſt.V. *An Virgines ab Infidelibus, aut Fidelibus in excurſionibus raptæ, valide Raptoribus nubere queant?* 279.

Quæſt.VI. *An Conjux Infidelis ab alio Infideli*

ob

ob Matrimonialia jurgia ſeparatus, poſſit Fideli novo Conjugio nubere, ſi ipſemet ad Fidem convertatur. 280.
Quæſt.VII. *An Fideles occidens Uxorem poſſit nubere Infideli adulteræ poſt ejuſdem ad Fidem Orthodoxam converſionem?* ibid.
Quæſt.VIII. *An Infideli repudiante Uxorem Infidelem, & aliam ducente, ſi poſtea Fidem Orthodoxam ſuſcipiant, ultimum Matrimonium ſit validum?* 281.
Quæſt.IX. *An error Perſonæ irritet Matrimonium priuſquam Conjuges ad veram Fidem convertantur?* 283.
Quæſt.X. *An impedimentum poſitum à Principe Infideli irritet Matrimonium inter Infideles?* 285.
Quæſt.XI. *An affinitas orta ex fornicatione Matrimonium inter Infideles irritet?* 286.
Quæſt.XII. *An Infideles, qui Matrimonium contraxerunt in linea recta, vel tranſverſali affinitatis, poſſint in eo relinqui, ſi converti voluerint?* 288.
Quæſt.XIII. *An inter Ethnicos validum ſit Matrimonium Conſanguineorum in linea recta, & in primo gradu tranſverſali.* 290.
Quæſt.XIV. *An poſſit contrahi Matrimonium à Catholicis coram Schiſmaticis ad Fidem Orthodoxam occultandam?* 296.
Quæſt.XV. *An Matrimonium abſque Teſtibus rogatis ſit validum?* ibid.
Quæſt.XVI. *An licitum ſit Matrimonium Puellæ Catholicæ cum Hæretico, aut Schiſmatico ſub ſpe futuræ converſionis?* 297.
Quæſt.XVII. *An validum ſit Matrimonium coram Parocho Schiſmaticho, ſi Catholicus deſit?* 298.
Quæſt.XVIII. *An validum ſit Matrimonium clan-*

clandeſtinum, ubi publicatio Tridentini ignoratur? 299.
Quæſt. XIX. *An liceat Parocho Catholico Schiſmaticorum Conjugiis aſſiſtere?* 300.
Quæſt. XX. *An liceat tranſire pro Matrimonio contrahendo ad Loca, ubi Tridentinum non eſt publicatum?* 302.
Quæſt. XXI. *An Ethnicus ad Fidem Orthodoxam coverſus poſſit, Uxore parata converti, vel citra converſionem pacificè inhabitare, Religionem ingredi, atque in ea profiteri?* 306.
Quæſt. XXII. *An Infidelis ante Baptiſmum, habitis Sponſalibus, & copula carnali cum Muliere Infideli, ſuſcepto Baptiſmate nubat alteri Fideli, Matrimonium hoc validum ſit?* 310.
Quæſt. XXIII. *An Catechumeno nubente Mulieri Catechumenæ nolenti citra injuriam Creatoris cum ipſo vivere, habitoque ab ipſa Filio, ſuſcepto Baptiſmo, alteram baptizatam ducente, primum, vel ſecundum Matrimonium ſubſiſtat?* 311.
Quæſt. XXIV. *An Matrimonium Hæretici Latini cum Muliere Græca coram ſimplici Græco Presbytero celebratum ſit validum?* 313.
Quæſt. XXV. *An Matrimonium in Locis Hæreticorum, aut Infidelium coram tribus Teſtibus, abſque Parocho ob metum perſecutionis abſente, celebratum, ſit validum?* 314.
Quæſt XXVI. *An Matrimonium Ethnici carnaliter Filiam Uxoris ſuæ ex alio Conjuge ſuſceptam cognoſcentis, ſi ab eodem, interfecta Uxore, ut Filiam ſumeret, eam ſibi Conjugio copulet, cum ſeparari nolint, ſuſtineri queat, ut ad Baptiſmum admittantur?* 316.
Quæſt. XXVII. *An Matrimonium inter duos Chriſtifideles celebratum, ſtante metu perſecutionis, abſque Teſtibus, cum ſoli Infideles vocari*

cari poſſint, ſit validum? 318.
Quæſt. XXVIII. *An Matrimonium clandeſtinum contractum à Vago ubi Tridentinum publicatum eſt, coram Miſſionario, ſed inconſulto Vicario Apoſtolico, invalidum ſit; & illi aſſiſtens lethaliter delinquat?* 319.
Quæſt. XXIX. *An, ubi Tridentinum non eſt promulgatum, Sponſis nolentibus coram Parocho Matrimonium contrahere, atque ab eo Benedictionem accipere, poſſit Miſſionarius Abſolutionem impendere Sacramentalem quouſque reſipiſcant?* 323.
Quæſt. XXX. *An Matrimonium in Locis Miſſionum, ubi Tridentinum eſt promulgatum, ſine prævijs publicis denuntiationibus celebratum, ſit validum, & licitum?* 324.
Quæſt. XXXI. *An ob metum Infidelium, aut Hæreticorum denuntiationes fieri extra Eccleſiam poſſint citra ullam noxam diebus ferialibus, & ſingillatim ſingulis Fidelibus, & privatim in Domo?* 328.
Quæſt. XXXII. *An Chriſtifidelis inter Ethnicos, aut Hæreticos degens Matrimonium abſque Miſſionarii Benedictione conſummans delinquat?* 329.
Quæſt. XXXIII. *An Matrimonium contractum non coram Miſſionario Loci, ubi Tridentinum publicatum fuit, ſed coram Teſtibus, alio Miſſionario vidente, & per Locum illum tranſeunte, validum ſit?* 332.
Quæſt. XXXIV. *An, omiſſis metu Infidelium, aut Hæreticorum Denuntiationibus, liceat Miſſionario Matrimonium Sponſis denegare ob impedimentum in Confeſſione, aut ſecreto naturali ab eo ſcitum, ut Vicario Apoſtolico detegat, & reſolutionem accipiat?* 336.
Quæſt. XXXV.

Quæſt. XXXV. *An Matrimonium cum Virgine Fideli à Catholico contractum, non obſtante novo impedimento à Principe Infideli, cui ſubduntur, appoſito, validum ſit?* 341.
Quæſt. XXXVI. *An Matrimonium, cui Teſtes, & Parochus inviti aſſiſtunt, abſque ullo ſigno approbationis validum ſit?* 344.
Quæſt. XXXVII. *An Mulier Catholica in Locis Miſſionum degens Virum Apoſtatam à Fide relinquendo, & nolens ad ipſum reverti, niſi priùs Catholicam Fidem denuo amplectatur, lethaliter delinquat?* 351.
Quæſt. XXXVIII. *An duo Conjuges Catholici apud Orientales, quorum unus in hæreſim, alter in adulterium labitur, poſſint per divortium ſeparari?* 356.
Quæſt. XXXIX. *An juſtè à proprio Conjuge Catholico Uxor dimitti poſſit, quæ ſtricto gladio ab Ethnico impetita ejuſdem timore mortis impudentiæ ceſſit?* 358.
Quæſt. XL. *An Tyranno Infideli Catholicum ſibi ſubditum cogente, ut Puellam captivam à ſe violatam ſumat in Uxorem, ſi mortuo Tyranno, aliam ſumat, primum, vel ſecundum Matrimonium ſubſiſtat?* 361.
Quæſt. XLI. *An liceat Pagano cohabitationem denegare Uxori Infideli à ſe repudiatæ, & cupit reverti, quæ Infideli nupſit, etiamſi Conjux prior, & ipſe ad Fidem Orthodoxam fuerint converſi?* 365.
Quæſt. XLII. *An Marito Catholico in Apoſtaſiam lapſo, Uxor perpetuam continentiam vovens, teneatur poſt Virum converſum ad thorum, & cohabitationem admittere?* 368.
Quæſt. XLIII. *An Uxor Catholica à Viro pariter Catholico apud Judicem Ethnicum fornicationis accuſari, ab ipſa verò ad Patriar-*

cham

cham Schiſmaticum pro indemnitate provocari queat? 370.

Quæſt. XLIV. *Utrum Mulier Græca Viro Latino Conjugio copulata, vel Latina Græco ſervare jejunia ſua reſpectivè Eccleſiâ nequaquam permiſſa, poſſint à Viro diſcedere, & divortium poſtulare?* 373.

Quæſt. XLV. *An poſito more Orientalis Eccleſiæ de ſecundis Nuptiis non celebrandis cum inhabilitate Perſonæ ad ſecunda, vel tertia vota transeundi, poſſint duo Catholici, ſtante hujuſmodi impedimento, à Miſſionariis in Matrimonium validè copulari?* 375.

Quæſt. XLVI. *An Catholicus Patrini munere erga proprium Filium fungens, ubi nullus adeſt, niſi Hæreticus, aut Infidelis, poſſit ab Uxore ante diſpenſationem debitum petere?* 380.

Quæſt. XLVII. *An Mulier Catholica Sectario ſub ſpe futuræ Converſionis nupta, ipſo retractante, alteri Catholico validè in Matrimonio copuletur?* 381.

Quæſt. XLVIII. *An Catholico captivo nubente invito Domino cum Serva, quam liberam putabat, Conjugium validum ſit?* 385.

Quæſt. XLIX. *An Mulier ducta in Uxorem ab Ethnico, ficte baptizato, detecta ab eodem fictione, validè alteri nubat?* 389.

Quæſt. L. *Utrum in Locis Miſſionum Matrimonium Viri Catholici cum Virgine Fratris ſui uterini Filia, cujus conſanguineam in ſecundo conſanguinitatis gradu olim duxerat in Uxorem, nunc autem defuncta, validum ſit?* 390.

INDEX

Nonnullarum Quæſtiuncularum, quæ in hac tertia Parte incidenter reſolutæ inveniuntur.

Prior numerus eſt Paginæ, ſecundus Marginalis.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

AN liceat Pueros Infidelium baptizare, ſi de Parentum voluntate nihil conſtet? Pag. 44. n. 20.

Quid faciendum, uno Parente Fideli, altero Infideli exiſtente, uno conſentiente, altero reluctante? ibid. 22.

Quonam pacto Milites, & Conſiliarii Regnorum occupatorum ad Baptiſmum ſint admittendi? 53. 45.

An triginta pro centum aſſignata in aliquibus Regionibus Ethnicorum a Magiſtratu pecuniam Mutuanti uſuram contineant, ita ut ſic Mutuantes nequeant ad Baptiſmum admitti? 56. 55.

An Filii Uſurariorum baptizari cupientes, ipſorum uſuras reſtituere teneantur? 58. 60.

An Miſſionarius detectam Baptiſmi invaliditatem Baptizato aperire debeat? 67. 87.

An conferri debeat Baptiſmus illi, qui nec petit, nec Baptiſmum reſpuit? 73. 101.

An Amentes adulti Infidelium, & Hæreticorum baptizari debeant? ibid. 103.

An iterari debeat Baptiſmus, in quo diceretur: *Ego te baptizo in Nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti?* 77. 116.

An ad effugienda jurgia, aut verbera, & perſecutiones Mariti Schiſmatici, liceat Catholicis in privato Baptiſmo vocare Parochum Schiſmaticum? 88. 148.
An Mulier Catholica, etſi prævideat Filium ſuum à Schiſmaticis ſolemniter baptizandum, poſſit ipſum clam Miſſionariis baptizandum offerre? 89. 152.
An debeat iterari Baptiſmus, in quo Aqua roſacea naturali permiſcetur? ibid. 154.
An, ſæviente Infidelium perſecutione, vel peſte graſſante, cæremoniæ Baptiſmi omitti poſſint? 90. 156.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

An Confirmatio ab Epiſcopo collata non utente Formâ in Pontificali contentâ ſit valida? 112. 221.
An Epiſcopus inter Infideles, aut Hæreticos degens poſſit Confirmationem conferre nec jejunus, nec jejunis? 117. 235.
Quonam tempore Sacramentum Confirmationis conferri debeat, & qua ætate? ibid. 237.
An tempore Interdicti liceat Sacramentum hoc conferre? ibid. 239.

DE SACROSANCTO ALTARIS SACRAMENTO.

An Miſſionarii Apoſtolici Veſtes, Pallas, & Corporalia abſque Epiſcopo benedicere valeant? 127. 265.
An liceat Catholicis uti Calice, Veſtibus, & Inſtrumentis, quibus Hæretici, aut Schiſmatici utuntur? 128. 269.
An apud Orientales liceat tribus horis ante Auroram

rorum celebrare, ſicut licet apud Maronitas tribus horis poſt meridiem? 139. 302.
An Sacerdos Catholicus callens linguam Orientalium, & carens proprio Miſſali, poſſit uti Miſſali Schiſmaticorum? ibid. 304.
An conſuetudo nonnullarum Eccleſiarum Orientalium tribuendi quotidie etiam Laicis Corpus Chriſti, poſſit ſuſtineri? 145. 321.
An ſuſtineri poſſit mos nonnullarum Eccleſiarum Orientalium, quarum Sacerdotes ex particulis Hoſtiæ majoris, qua Sacrificium conficitur, Fideles omnes, quotquot fuerint, communicant, verbis Evangelicis freti Matth. 6. 26. *Benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis &c.*? 146. 323.
An, ſæviente Infidelium perſecutione, liceat Chriſtianis Orientalibus Corpus Chriſti in Eccleſia acceptum, domum ferre, ſumptionem differre, aliò aſportare, ſecumque in itinere retinere? ibid. 325.
An Catholicis Orientalibus ex antiqua conſuetudine ſub utraque ſpecie communicantibus, ut ſunt Abyſſini, Græci, & Alii, poſſit permitti in ea i actu permanere, ſi citra incommodum ab illis retrahi nequeant? 147. 327.
Quinam ſint caſus, quibus extra Eccleſiam conſecratam celebrare permittitur? 154. 347.
An, peſte graſſante, ne Miniſter damnum ex nimia propinquitate contrahat, liceat medio aliquo inſtrumento Euchariſtiam ægroto porrigere? 166. 379.
Quid præſtare Miſſionarii debeant, ſi contingat, eos, dum Sacra faciunt, ab Infidelibus impetiri? 169. 388.

AN in mortis articulo, ſi Catholicus deſit, liceat à Schiſmatico petere Sacramentum Pœnitentiæ? 181. 424.

An Apoſtaſia integra à Fide purè externa poſſit à ſimplici Miſſionario in Confeſſione dimitti? 186. 436.

An poſſint interdum Miſſionarii Apoſtolici, non adhuc ſuis facultatibus præditi, abſolvere à Cenſuris? 193. 458.

An poſſit abſolvi Hæreticus, aut Schiſmaticus Pœnitens, conſuetudinem quamdam Romanæ quidem Eccleſiæ Moribus, non tamen Fidei Orthodoxæ adverſam, nullatenus deſerere volens? ibid. 460.

An Pœnitens indirectè à reſervatis abſolutus, teneatur, longo tempore elapſo, quo Abſolutionem directam petere non potuit, eam poſtulare, ſi facultas acceſſerit? 204. 487.

An Prælatus Miſſionum poſſit per literas à Cenſuris abſolvere? ibid. 489.

An Miſſionarii Apoſtolici in Locis Miſſionum facultatibus præditi S.Congreg.ae Sum.Pontificis, poſſint à Caſibus Epiſcopo, non tantum jure communi, ſed ſpeciali reſervatis abſolvere? 205. 491.

An Latinus inter Orientales victitans poſſit Sacerdoti Græco Catholico, etſi adſint Latini, confiteri? 208. 502.

An Græcus Catholicus extra caſum mortis, cum nullus alius Sacerdos, niſi Latinus ſimplex ſuppleat, licitè, etiam quoad reſervata, confiteatur ipſi, atque validam Abſolutionem obtineat? 215. 514.

Quinam ſint Confeſſarii, qui Navigantes in Oceano abſolvere queant ſive ab ordinariis

pèccatis, ſive etiam à Sedi Apoſtolicæ reſervatis? ibid. 516.
An Catholici Græci poſſint aſſiſtere in Eccleſia Schiſmaticorum, in qua Dioſcorus Sanctus pronuntiatur, & S. Leo, qui eum in Syn. Chalcedon. damnavit, excommunicationi ſubjicitur, adſtantibus *Amen* reſpondentibus, ne gravia incommoda incurrant? 222. 530.
An Miſſionarius poſſit abſolvere Neophitum, qui, fictè ſuſcepto Baptiſmate, in varias Hæreſes etiam externas prolapſus eſt? ibid. 532.
An in veram, & propriam Hæreſim incidens exterius ſignificatam, ignorans Cenſuras adverſus eamdem latas, optimè tamen ſciens doctrinam, quam profitetur, ab Eccleſia, veluti hæreticam reprobari, poſſit a quocumque Confeſſario ſimplici abſolvi? 229. 552.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

AN ab Epiſcopo Græco Catholico volente Ordines conferre more Latino, liceat Clerico Latino eos ſuſcipere? 244. 590.
An Clericus Græcus habens Epiſcopum Schiſmaticum poſſit ad Latinum, ut promoveatur, accedere? 245. 592.
An Orientales, qui ab Antiſtite Schiſmatico Ordines ſuſceperunt, & diſpenſationem à Sede Apoſtolica obtinuerunt, poſſint Ordines exercere more Latino? ibid. 594.
An Clerici Græci, qui minores Ordines ſolummodo ſuſceperunt, poſſint ad Sacros promoveri Ritu Latino? ibid. 595.
An Infidelis habens rem cum Uxore ſua adultera, vel ſumens in Uxorem eam, quam antea polluerat, Bigamus efficiatur? 253. 616.

DE EXTREMA UNCTIONE.

AN mos Græcorum Sanos Oleo Infirmorum ungentium poſſit ſuſtineri? 255. 623.
An, urgente neceſſitate, loco Olei Infirmorum poſſit Oleum Cathecumenorum in hoc Sacramento miniſtrando adhiberi? 265. 651.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

AN Conjuge Fideli ad ſecundas nuptias tranſeunte, poſſit quoque Infidelis ad alias nuptias tranſire, tametſi tali diſſolutioni obſtinatione ſua cauſam præbuerit? 269. 667.
An, ſi Conjux Infidelis adulteretur, deinde ad Fidem convertatur, priuſquam Conjux Fidelis novis nuptiis adhæſerit, vel ipſe aliam Uxorem ſumat, teneatur ad ipſum ſuſcipiendum, vel ejus ſecundæ nuptiæ ſubſiſtant? 470. 669.
An ſi Conjux Fidelis poſt converſionem, altero in pertinacia manente, nec ſimul cum Fideli, niſi cum injuria Creatoris cohabitare volente, nuptias nequaquam contrahat, nec Profeſſionem emittat in Religione approbata, Matrimonium diſſolvatur, & Infidelis ad alias nuptias tranſire valeat? ibid. 671.
An ad hoc, ut Conjux Fidelis novum contrahat Matrimonium, opus ſit monere Conjugem Infidelem, ut convertatur, vel ſaltem à vexando Fideli, & in poſterum pacificè cohabitet abſque injuria Creatoris? 271. 673.
An Servitus ſcita dirimat Matrimonium? 284. 711.
An Conjugia Servorum ſint valida, etſi ſervitute ignorata? ibid. 713.
An Infideles ſub Principe Orthodoxo viventes
Ma-

Matrimonii Legibus circa impedimenta ſubdantur? 286. 718.
An Catholicorum Matrimonia ſubdantur impedimentis novis à Principe Ethnico, in cujus Ditione vivunt, introductis? ibid. 720.
An Infidelis, ſuſcepto Baptiſmo, poſſit cum Mulieribus contrahere, quæ ſibi in Infidelitate conſanguineæ, aut affines erant? 294. 745.
An inter Infideles oriatur impedimentum publicæ honeſtatis juſtitiæ? ibid. 747.
An Infideles, à quibus interdum Infantem Baptizare contingit, cognationem ſpiritualem contrahant? 295. 750.
An liceat vocare Teſtes Hæreticos, aut Schiſmaticos, Parocho Catholico Matrimoniis aſſiſtente? 301. 776.
An Advenæ, & Peregrini tranſeuntes per Loca, ubi Tridentinum eſt publicatum, validè Matrimonium abſque Parocho, & Teſtibus contrahant? 304. 786.
An Captivi apud Infideles, aut Hæreticos validè Matrimonium contrahant abſque Parocho, & Teſtibus? ibid. 789.
An, Sacerdote Regulari non Parocho in Locis Miſſionum, ubi Tridentinum publicatum eſt, Matrimonium celebrante, quod differre non valeat, eo quia deeſſet Parochus, nec haberi poſſet licentia ab ipſo, vel Epiſcopo peti, Conjugium eſſet invalidum, aut illicitum? 305. 792.
Quænam ſint cauſæ, ob quas omitti, præmiſſa diſpenſatione, denuntiationes in Matrimonio poſſint? 327. 857.
An ſi conſtaret evidenter, nulla inter Sponſos impedimenta verſari, omitti deberent denuntiationes, vel ſaltem ab Epiſcopo diſpenſari? 328. 859.
An

An Sacerdos non Parochus poſſit nuptias benedicere? 335. 886.
An Miſſionarius ignorans Idioma eorum, quos in Conjugio copulare debet, Interprete uti poſſit: quod de Teſtibus quoque inquiritur? ibid. 888.
An in Locis Miſſionum Matrimonia fieri pòſſint in Oratoriis, & Domibus privatis? ib. 890.
An Paròchus in Miſſionibus degens, nec Vicarium Apoſtolicum nimis diſtantem, aut metu Infidelium latentem convenire valens, nec habens ullum indicium viam pandens inquiſitioni, Conjuges autem in Matrimonio de præſenti celebrando inſtent, alias ſine ipſo celebraturi, aſſiſtere debeat? 339. 901.
An Conjuges de futuro ſciſcitanti Parocho, aut Ordinario teneantur ſub mortali impedimentum aperire, tametſi occultiſſimum, & cum ſcelere conjunctum? 340. 903.
An præſentia Parochi, & Teſtium in celebratione Matrimonii debeat eſſe ſimultanea? 347. 927.
An Miſſionarius Parochialia exercens, & impeditus aſſiſtere Matrimonio, poſſit alteri Miſſionario, aut Sacerdoti extraneo, & ſub alterius Vicarii Apoſtolici, aut Præfecti ditione conſtituto facultatem tribuere loco ſui aſſiſtendi? 348. 930.
An Regulares Parochialia minimè exercentes benedicere poſſint Sponſos poſt Matrimonium, Miſſionario, qui præeſt Miſſioni, aut Vicario Apoſtolico inconſulto? 349. 933.
An Sponſalia clandeſtina ſint valida, aut Matrimonium clandeſtinum vim Sponſalium habeat? 350. 936.
Quibus probationibus opus ſit, ut Uxor divortium efficiat quoad thorum? Quibus quoad
Da-

Domicilium, ſive Hæreſim, ſive aliam cauſam ſpectemus? 354. 949.
An Mulier adultera, aut Vir mœchus poſſit abſque publica Judicis authoritate dimitti? 355. 952.
An Conjux Fidelis teneatur diſcedere à Conjuge fidem conjugalem notoriè & pertinaciter frangente? ibid. 955.
An mollities, & actus inhoneſti ſufficienter probati, ſufficiant ad impediendum divortium, quod poſtularetur ab alia Parte? 357. 962.
An Mulier prævidens Infidelium irruptionem, à quibus ſcit fore, ut vi opprimatur, renuit tamen periculum effugere, ſi reipſa violenter maculetur invita, poſſit à Marito repelli? 360. 972.
An Chriſtifidelis inter Ethnicos vivens metu necis percitus, permittens Uxorem ſuam ab Infidelibus violari, vel eam ipſis proſtituens, quæ tamen animo libenti corruptoribus morem gerit, poſſit eam, pacata tempeſtate, repellere, divortio interpoſito? 361. 974.
An, Principe Apoſtata à vera Religione, vel Amico præpotenti in Regione precibus, & illecebris ad Matrimonium Puellam, vel ejuſdem Parente impellente, Matrimonium ſit validum? 364. 986.
An, ſi poſt repudium Vir nullam aliam ducat Uxorem, Repudiata vero fornicationis pœnitentiam oſtendat, eam teneatur recipere? 367. 993.
An Mulier non propter adulterium, ſed ob aliud crimen, vel cauſam repudiata, ſi ejuſdem illam pœniteat, & velit reverti, quoties aliam non ſumpſerit Uxorem, debeat à Viro converſo, qui eam repudiavit, recipi? ibid. 995.
An ſi Uxor repudiata manens Infidelis, ac ceſſantibus motivis repudii Virum relinqueret, cui

qui poſt repudium nupſerat, & accederet ad priorem Conjugem minime adhuc ad ſecunda vota profectum, ſitque parata pacificè cohabitare, teneatur Vir illam recipere, atque ad thorum, & cohabitationem admittere? ibidem 997.

Unde nam colligatur, an conditio in Matrimonii celebratione appoſita fuerit per modum conditionis, aut ſolummodò obligationis, & oneris? 382. 1040.

An, purificata conditione, requiratur novus conſenſus ad hoc, ut Matrimonium ſit validum? 383. 1045.

An, purificata conditione, poſitoque novo conſenſu ſenſibili, opus ſit Matrimonium coram Parocho, & Teſtibus renovare, quibus conditionis purificatio innoteſcat? 384. 1048.

An Domini Fideles habentes Servos Infideles conjugatos, poſſint eos ita laboribus exercere, ut raro, & difficulter valeant cum Uxoribus ſuis commiſceri. 387. 1060.

Domino ſervitium exigente, Uxore autem ſive libera, ſive ſerva debitum petente, cum utrique eodem tempore ſatiſfieri nequeat, cuinam ſit obſequendum? 388. 1063.

ANT 1318428